Pertinet ad Conventum [illegible]
ad Populo civitatis Hispalensis Discal-
ceatorum Sancti P. N. Augustini

[illegible signature]

Remedium ut canis no latret
& asinus no rud[illegible] 278
in oliva ficum generari 271.

AELIANI
DE HISTORIA ANIMALIVM
LIBRI XVII.

Quos ex integro ac veteri exemplari Græco, Petrus Gillius vertit.

Vnà cum noua elephantorum descriptione.

ITEM DEMETRII DE CVRA ACcipitrum, & de Cura & medicina canum, eodem Petro Gillio interprete.

Ad Reuerendißimum, & illustr. D. Georgium Cardinalem Armaignacum.

IN VIRTVTE, ET FORTVNA.



LVGDVNI,
APVD GVLIEL. ROVILLIVM,
SVB SCVTO VENETO.
M. D. LXII.



ILLVSTRISSIMO ET ornatiſs. Card. Georgio Armaignaco Ruthenorum Antiſtiti meritiſſimo, mœcenati ſuo Ioannes Tullerius S. D.



ELIANVS iſte tuus (Cardin. illuſtriſ.) ſuæ linguæ patriæ & ciuitati (romanus enim fuit) quaſi poſtliminij iure Petri Gillij domeſtici tui, viri ingenio ſingularis & diligentiſſimi interpretis beneficio reſtitutus, animalium omnium quæ iſto cœlo, terra, maríque fruuntur naturas, leges, ſocieta-

tes,& recõditas notiones ita ad viuũ expreßit, vt præter Atticam elegantiam in eo multum laboris, vsus, & experientiæ diiudices. Non est hoc valde mirũ profectò quod Ithacensis ille Vlysses (uti à præcone suarum laudum Homero celebratur) multorum hominum mores vidit, & vrbes. fecere hoc item plures ab orbe condito, & nouarum rerum cupidi, & virtutis studiosi mortales Sed est hoc maximè mirum, prudentißime Mæcenas, & penè à fide nostra alienum, tanta audacia & auiditate aliquos extitiße, quibus apud veteres (credo) Aelianns iste palmam præripuit, qui quasi in ipsis Oceani latebris demersi, & rursum ex altis gurgitibus in terram emergentes, mox etiam in cœlum vsque

sub

ſubuecti, cum piſcibus, terreſtribus animantibus, & auibus efferatis (quibuscum homini nullum commercium, nulla lex, nulla fidelitas eſſe poteſt) quaſi cum ſuis conuictoribus, ita colloquerentur: vt ab illis ipſis penitiores animi receſſus & naturas ediſcerent. Sed eſt illud immortalis & benefici Dei prouidẽtia non mortale opus. Quò maior illi optimo architecto gratia ab hominibus referenda eſt. nec interim ſuo honore & gloria fraudandi illi, qui nullis parcentes periculis, ſumptibus, valetudini, nullis denique barbarorum inſultibus ad ea dignoſcẽda & in communem omnium vtilitatem producenda verſati ſunt. Quo in genere noſtro æuo primus Petrus Gillius, Aeliani interpres fidus, facilè omnes

ſcriptores antecelluit. Quæ enim eſt natio tam barbara, quod cœlum à noſtro remotum, quæ maria ſinuoſis anfractibus à nobis diuiſa, flumina, ſyluæ, rupes, antra, vrbes, pyramides, coloßi, quæ denique orbis plagæ quas ille diuinus Gillius (abſit aſſentatio verbo illo) non inueſtigarit modò, ſed etiam indefatigato ſtudio perquiſitas & inuentas, literis ſuis & monumentis non illuſtrarit? O virum omnibus ſæculis laudandum & admirandum! Quod ſi potuiſſet aliquando parem facere Aelianus Gillio, vtpote qui illum ſuis natalibus reſtituit, ita Gillium Galliæ ſuæ integrum & valentem ſeruare, næ ille vir, iudicio meo, plura quàm Aelianus & meliora præſtitiſſet. Expreſſas enim ad viuum imagi-

nes

nes ex diuersis terrarum tractibus, & pictos rictus, rostra, vngues, corpora denique ipsa portentosa tua liberalitate, & sua diligentia haberemus. Quæ omnia ab extremis Solis ardoribus secum Romam vsque exportata transtulerat: hæc videlicet erant sui laboris præmia, fructus, & trophæi. Sed, dij boni, partim à pyratis, partim à plagiarijs iisq; nõ cognitis expilata nũc desideramus. Veruntamen opti. Card. quicquid & illius diuini Gillij (quem honoris causa semper nominabo) monumentis, naufragijs, ruinis, & deprædationibus, post illius manes superesse potuit, hoc tantulum compactum, & sartum tectum Roma secum deferens Antonio Gillio eius nepoti viro probo, & virtutis patruæ imita-

tori sedulo largitus es. Est hoc, medius fidius, authoritate & magnanimitate tua dignum, vt hic pariter à te virtutis & laboris hæres scriberetur: at ille nunc vti vicissim grato, liberali, & obnoxio est in te, literas, & parentis sepulchrum, animo, illius libros quasi Sibyllæ folia colligens, & velut in ordinem cogens tuo sacrosancto nomini nuncupauit, non poteras melius nec ille honestius fecisse. Post editam itaque in lucem Bospori Thracij descriptionem, deinde Constantinopolitanæ vrbis effigiem, ecce tibi Aelianus latinæ linguæ à Gillio restitutus, ex puluere in Solem exit integer. Quem tu, sat scio, qua & alios adeóque defunctum prosequutus es memoria, hilari fronte, tum ob rerum varieta-

tem

tem, cùm etiam doctrinam & fructum ex eo vberrimum excipies, nec id vt facias à nobis argumentis inuitari debes. Tantùm à te postulo illustriß. Card. vti meum in Gillium interpretem, animum gratum & beneuolum existimes: hácque à me epistola in fronte libri huius descripta, magis illius eruditionem admirando, nepotis precibus victũ, quàm gloriolæ cupiditate stimulatum fuisse: cæteris in rebus diligentiam & obseruantiam ad te, qui mearum fortunarum columen es, semper detuli, & deferam quandiu viuam.

Bene vale.

AELIANI IN *historiam animalium* Præfatio.

QVOD homo ſit ſapiens, iuſtus, eorum quæ procreauerit prouidentiſsimus, quòd ad victum neceſſaria liberis inquirat, noxia declinet, reliquiſque muneribus, quæ & natura dedit, ornatus ſit, nihil fortaſſe mirabile: cùm ſermonis ſit particeps, re omnium pretioſiſsima, & rationem habeat perfectiſsimum & vtiliſsimum munus: deos etiam venerari, & colere nouerit. Sed rationis expertes beſtias, participes eſſe cuiuſdam virtutis natura ſummas iudicio ſuo, & præſtantiam huma-

nam

nam habere, hoc mirum videri debet. verùm vnicuíque animali ſcire propria attribuere, eorúmque actiones nihil de ſtudio cedẽtes humanis, eſt hominis valde docti. Equidem quæ ſcripta ſunt ab aliis, noui, quibus à me collectis verba peculiaria theſaurum non contemnendũ elaboraſſe me arbitror. Si cui hæc videantur vtilia, ipſis vtatur. cui verò non videantur, ſinat patri fouendos fœtus ſuos. nõ enim omnium omnibus pulchra, neq; omnia omnibus ſtudio digna vidẽtur. Iam quod poſt multos ſcripſimus, fraudi eſſe nõ debet laudi noſtrę, temporis conditio: ſi quid præſertim doctrinæ dignum ſtudio, præſtitimus præſtanti vel inuentione vel voce.

Ad

LECTORI admonitio.

HVNC illum esse librum, ne credas, quem vocant, ex Aeliani historia per Petrum Gillium Latini facti, itémque ex Porphyrio & cum eiusdem accessionibus: in quo etiam continetur de Gallicis & Latinis nominibus piscium, qui est excussus apud Gryphium 1535. id esse verum deprahendes, si hunc cum altero iunxeris & perlegeris: nam eo modo materiam non aggreditur, atque hic verus Aelianus. est autem versio, alter verò dici potest esse quædam Collectanea ex Aeliano. hac de causa te admonitum velim, ne putes, hunc excussum esse. Vale.

ERR

ERRATA QVAE IN *Aeliani historia.*

PAgina 1. linea. 10. *lege pertractandas*. 4. 10. *longas*. 14. 10. *artificium*, 51. 4. *dele ad*. 52. 13. *ventrem*. 54. 9. *cautione*. 65. 13. *nidificare*. 66 25. *coruiculi*. 67. 21. *confidens. ibid. li. vlti. clangores*. 87. 23. *societatem*. 116. 4. *statura*. 127. 2. *à fi. numerorũ*. 138. 21. *Eis*. 146. 15. *scribit*. 184. 8. *à fi. splendidam*. 202. 5. *quodpiam*. 204. 5. *à fi. multumq;*. 229. 11. *hinnuli*. 236. 2. *catulos*. 275. *lin. penul. smyrnio*. 247. 2. *sues*. 281. 8. *elephantos*. 307. 9. *De polypo & locusta*. 330. *vlti. vlciscuntur*. 372. *vlti. animatos*. 331 10. *lutei*. 380. 9. *altionis*. 427. 3. *à fi. delphinus*. 445. 5. *inexhaustum*. 465. 5. *Cynamolgi*. 455. 5. *à fi. præterea*.

Extraict du priuilege du Roy.



AR grace & priuilege du Roy est permis à Guillaume Rouille Libraire de Lyon, d'imprimer, ou faire imprimer vne foys ou plusieurs, ce present liure intitulé, *Aeliani historia animalium libri xvij. vnà cum Elephantorum descriptione &c. Petro Gillio interprete.* Et fait defences de par ledict Seigneur, à tous autres Libraires, Imprimeurs, & personnes quelconques, de non imprimer, ne faire imprimer, vẽdre, ne distribuer, en ses païs, terres & seigneuries, ledict liure, si ce n'est par le consentement dudict Rouille. Et ce iusques au temps & terme de douze ans, à compter du iour & datte, que sera paracheué d'imprimer ledict liure, sur peine d'amende arbitraire, &

de

de confiſcation des liures qu'ilz ſaroyent imprimer. Et afin qu'aucun ne puiſſe pretendre ignorance du preſent priuilege, ledict Seigneur veut & entéd, que l'extraict d'iceluy eſtant mis au commencement deſdictz liures, ſerue pour toute notification, ſauf en demander copie audict Rouille (ſi bon leur ſemble) & ce à leur deſpens. Car tel eſt ſon plaiſir, nonobſtant oppoſitions & appellations quelconques, comme plus à plein eſt cōtenu & declaré par leſdictes lettres de priuilege, ſur ce donnees à Sainct Germain en Laye, le vinthuictiéme iour de Decembre, mil cinq cens cinquante huict.

Par le Roy, Maiſtre Iean Nicot, maiſtre des requeſtes de l'hoſtel, preſent.

Signé, Guillaudet.

AELIANI LIBER primus historiæ animalium.

De auibus Diomedæis. CAP. I.



NSVLA quædam nomine Diomedæa auibus Diomedæis abundat, hæ hominibus natione barbaris neque quippiam nocent, neque eos adeunt: ſin Græcus aduena eò diuerterit, diuino quodam munere ab his auibus aditur alis explicatis tanquam manibus ad prenſationem & complexum, Græcos ſe pertrectantes, non refugientes intrepide ſe palpari ſuſtinent, in accumbentiúmque ſinus aduolant velut ad menſas hoſpitales inuitatæ: vulgò ſocij Diomedis eſſe iactantur, qui vnà cum eo contra Ilium arma tulerunt prima eorũ natura in auium ſpeciem immutata, etiam nunc ſe eſſe Græcos & Græcorum ſtudioſos perſeuerare.

De ſcari libidine. CAP. II.

SCarus herba maritima veſcitur & alga: omnium piſcium ad Venerem inflammatiſſimus eſt. Cauſa cur capiatur, eſt cupiditas inexple-

bilis in fœminam: ea non ignorantes rei piscatoriæ peritißimi hoc modo ei insidias ponunt, vt comprehensæ fœminæ summum os ad tenuem funiculum ex sparto confectum alligent, eámque viuam per mare trahant, vbi eorum cubilia esse & in quem locum congregentur norunt. Conficiunt etiam graue plumbum figura rotundum, longitudine trium digitorum, quo ex chordis appenso trahitur scarus fœmina captiua: aliquis eorum naßæ in piscatorio nauigio accommodatæ os latè diducit, dátque operam, vt nassa in scarum captum conuertatur, ea enim sensim demittitur lapide ad certam mensuram facto. Mares verò non aliter quàm iuuenis ad amatam conspectam libidinis furore feruntur, circúmque eam concursantes, alius alium præuertere eique appropinquare & contingere studet, vt solent homines vehementer amantes, aut osculum, aut vellicationē, aut aliud quodpiam furtum amatorium venantes, qui deducit fœminam sensim & pedentim insidijs collocatis rectà ad nassam cum amata diceres ducere amantes. Cùm proximè ad nassam hi accesserūt plumbum in interiorem partē à piscatore traductū & linea decidēs fœminam in nassam detrahit, quo simul influētes mares capiuntur ac pœnā dant scari eiusmodi furentis libidinis.

De capitone pisce. CAP. III.

C*Apito è piscium genere est, qui in paludibus degunt, cōtinentißimus, ac in victu temperatiß*

perantißimus esse creditur. Etenim nullam animantem inuadit, sed cum omnibus pacem seruare solet. Si vero in quempiam iacẽtem inciderit, hunc in suum prandium conuertit, non prius tamen eum attingit quàm cauda mouerit, si immobilis sit, hunc prædam sibi facit, si vero moueatur, eo intacto discedit.

De anthia. CAP. IIII.

VT homines fidi & commilitones veri, perinde pisces inter se vlciscuntur, quos Anthias venationis maritimæ periti nominare solent, ex his quilibet cum nouerit conuictorem socium captum esse, celerrime adnare festinat, ac dorsi sui nixu ad eum inhærescunt, incursu impulsuque prohibent pro viribus captiuum abduci.

Quemadmodum scari suos gregales captos liberant. CAP. V.

SCari gregales suos optimè vindicant, ac adeuntes lineam dentibus conficere conantur, vt ex hostibus seruent captum, & sæpe funem concidentes eum liberauerit, neque ob id petunt redemptionis præmia, frustrati sæpe non assequuntur socij liberationẽ, tametsi id quod suum erat promptißime præstiterunt. Iam vero in nassam cum inciderit Scarus, dicunt eum posteriorem partem suam de nassa eijcere, reliquos vero qui non sunt capti, circumnatantes eũ morsu corripere, & foras socium proferre. Si vero in caput exierit ipsorũ quispiam

qui foris est caudam ei porrigit, ille comprensa cauda sequitur. Hoc illi quidem faciunt more hominum, qui tametsi libros de amicitia non didicerunt, tamen à natura hauserunt leges amicitiæ.

De trocta pisce. CAP. VI.

PIscis trocta cuius naturam, nomen & os declarant, dentes habet frequentes, & continentes, quibus quicquid inciderit perfringere potest. hamo captus solus ex piscibus non se ab hamo retrahit, sed impellit sese in ferrum, chordam consumere cupiens. Piscatores contra machinantur longas ansas, ille vero, quoniam quodam modo valet saltu, sæpius ansas transilit, ac linea qua agitur concisa, ad piscium domicilia reuertitur. Hic etiam sui generis grege coacto delphinos inuadit, & ij quidem si quem segregatum circumuenire poßint fortiter inuadunt, plane enim sciunt delphini suis morsibus verberari aspere solere, itaque troctæ ei acerrime instant, delphinus contra resilit, subsilit atque indicat vt ex dolore torqueatur, idcirco tenaciter vrgent, simulq; ad saltum delphini tolluntur, hic eos repellere conatur, illi vero nihil remittentes viuum lacerant, postea vero quàm pro se quisque aliquam eius partem vulnerauit discedit, delphinus vero libenter enatat cum couiuas (vt ita dicam) minus inuitatos suo cum dolore excepit.

De cane. CAP. VII.

GLaucam citharœdam à cane amatam fuisse audio

audio, alij dicunt non à cane, sed ariete, alij ab anſere, atque apud ſolos Ciliciæ populos puerum cui nomen eſſet Xenophon canis amauit, aliumq; aduleſcentem in Sparta ob ſpeciem graculus amauit.

De pauone. CAP. VIII.

PAuonem hominis amantiſsimum dicũt, cùm homini occurrit eum declinat reuerentia quadam & pudore ductus. Cùm verò iniuria affectum hominem ab alia fera perſpexerit, tum ei auxiliatur.

De canibus. CAP. IX.

NIcias quiſpiam ex venatoribus cùm de improuiſo in carbonariam fornacem lapſus fuiſſet, canes qui cum eo erant hoc intuentes, non illinc diſceſſerunt, ſed primò circum caminum ingemiſcentes & vlulantes commorabantur, tandem prætereuntes leniter & ſenſim morſu veſtiũ attrahebant, ad id quod accidiſſet, tanquam auxiliatores domino ſuo implorantes homines. Vnus igitur videns hoc idem ſuſpicatus eſt id quod erat, & ſecutus eſt canes, inuenitq; Niciam in fornace deflagratum, ex reliquis coniectauit rem ipſam.

De fuco. CAP. X.

FVcus, qui inter apes naſcitur, de die in mellarias cellas abditus manet, nocte verò, cùm apes dormire obſeruauerit, eorum opera inuadit, vaſtàtque alueos. Hoc illæ cum intellexerunt, plurimæ enim apium dormiunt nempe defeſſæ, paucæ

vero excubant, cum viderint furem, verberant eum modice & leniter, expelluntque alis, & in exilium proijciunt. Iste vero non ob id corrigitur sua natura piger & vorax, est duobus malis prœditus, intra fauos se abdit, vt vero ad pastionē apes profectæ sunt, ille rursus opus inuadens, quod suum est facit, confercit se melle, & depopulatur thesauros dulces apium. Ex è pastione redeuntes, cum ei occurrerint, non amplius leniter eum verberant, neque tanquam essent in exilium eum eiecturæ, sed aspere aculeis inuadentes percutiunt latronem, nec amplius mulctatur increpationibus, sed voracitatis, & gulæ nimiæ pœnas vita persoluit. Apiarij hæc dicunt, ac mihi persuadent.

De apibus inertibus. CAP. XI.

EX apibus quædam sunt inertes, nō tamen moribus fuci sunt, neque enim fauos corrumpūt, neque melli insidiantur, sed ex floribus aluntur, ac cum alijs compascentibus ad pastiones volant, tametsi mellis conficiendi & condendi industria careant, non tamen prorsus otiosæ sunt. Earum enim quædam aquam regi, & apibus vetulis apportant, nam seniores apud regem ad eius stipationem selectæ permanent, aliæ vero hoc munere funguntur, vt mortuas ex alueo efferant. mundos enim & puros fauos eis esse oportet. mortuam apem intra alueum fauorum non esse patiuntur, aliæ vero ex his nocte excubant substructiones nō secus, ac pa r

uam

nam vrbem vigilijs asseruantes.

De ætate apium. CAP. XII.

Apium quispiam ætatem ad hunc modum internoscere poterit, quæ annũ non excesserunt, nitescunt, oleiq; similitudinẽ & speciem gerunt, vetulæ verò & aspectu & tactu horridulæ euadunt, atque ex ætate affecta rugis plenæ videntur. eæ tamen fingendorum fauorum experientia & industria præcellentiores sunt, ex longitudine nimirum temporis ad mellis scientiam eruditæ, eædémque tanta diuinatione præstant vt & pluuias, & frigora futura præsentiant. Et quando horum alterum, vel vtrunque impendere coniecturis assequuntur, non longissime ab alueo volatu procedũt, sed circum apiaria volantes veluti foribus incubant. Ex his rebus alueorum custodes futura augurati agricolis turbulentæ tempestatis aduentũ prædicunt. Longè autem magis frigoris, quàm pluuiæ & niuis metuentes sunt. Sæpe verò vento aduersæ volant paruulum lapillum pedibus portantes, quantulus inter volandum commodè gestari possit. Itaque in hunc modum contra ventorum incursiones, & afflatus auræ, ne ex itinere deducantur, eiusmodi firmamentũ ac robur sibi machinantur.

De capitonis amore. CAP. XIII.

Vim & numen multa genera piscium nouerunt cupidinis, ne hos quidem qui in summa maris altitudine degunt, cõtemnẽtes. Etenim capito

diuinum huius numen colit, atque veneratur, non tamen omnis capito, sed ille, quem a faciei acumine nominant, qui piscium genera & differentias nouerunt. In sinu Achaico, multi quantum audio, capiuntur: quare capiantur, libido in causa est: maximè verò eorum in res Venereas libidinis furorem captura testatur. Cum ex Capitonibus fœminam piscator venatus fuerit, alligaueritque aut lõga arũdine, aut sparto etiam lõgo, in littore pedetẽtim ingrediẽs adnatantẽ piscẽ & salliente pertrahit, per eius vestigia quidam subsequens retia fert, obseruans, vbi & quando diligẽter occurrendũ sit. Itaq; agitur fœmina, mares verò qui hoc viderint, veluti adulescẽtes libidinosi formosæ puellæ prætereunti cupiditatis oculos adijcientes in eam feruntur libidinis furore agitati. Ille autem retia deijcit, & in ea quidem sæpe piscium Veneris appetitione accedentium magna copia incidit, tum venator oportet curet, vt fœmina captiua formosa sit, & bene pinguis, vt plures ad eam accedant pulchritudinis illecebra tanquam esca illecti, sin macilenta sit, & sine corpore, multi ea spreta discedunt, quicunque verò horum est vehementi amore ductus, non discedit, me hercle, non formæ, sed coitus desiderio detentus.

De castitate Aethnæi piscis. CAP. XIIII.

SVnt igitur, & castitate præstantes pisces Aethnæus, ita appellatus posteaquàm cùm parti suo

Jus tanquam cum vxore quadam coniunctus eam sortitus sit, aliam non attingit, neque ad fidem tuẽdam sponsalium tabulis illi opus est, neque malæ tractationis pœnam timet, neque Solonem veretur, ex quo leges nobiles, & vrbes graues profectæ sunt, quibus libidinosi homines non audire nihil verentur.

De merula marina. CAP. XV.

M*Erula marina domiciliorum & sedecularum loco in petris & cauernis stabulatur, eorum quisque cum multis complexu venereo iungitur. Et si hoc genus matrimonij contemnendum, multarúmque esse studiosum, delicatorum ad res Venereas diceres esse barbarorum, & tu qui Xenophotiæ Cyripædiæ studuisti, diceres esse vitam Medorum & Persarum. Omnium autem piscium est maxime zelotypus, cum semper alias, tum maxime, cum eius vxores pariunt. Si audacius compositione nominum dicta sunt, dant nobis horum potestatem naturæ facta. Cum enim parturiendi doloribus eæ tenentur, domi quiescunt, mas autem nempe maritus, foribus incubans cauet, ne extrinsecus insidiæ inferantur metu paruulorum, videtur nondum genitos amare, metúque paterno motus, his timere iam, & totos dies in eorum custodia permanet nihil gustans, cura ipsum alit, sub crepusculum vespertinum intermittit hanc custodiẽdi necessitatem, cibúmque exquirit, quod ipsum as-*

sequitur, fœminæ autem intus manentes siue sunt in partus doloribus, siue iam enixæ, cum alijs vescuntur tum copia algarum, quæ in cauernis & circum petras nascuntur.

De merula pisce. CAP. XVI.

E*Xperiens piscator hamum graui plumbo accommodatum squillaque implicatum & alligatum deijcit & submouet lineam excitans & exacuens piscem ad escam, squilla verò mota speciem quandam sui præbet ingressuræ in cauernas Merulæ, hoc enim ipsum Merula capitaliter odit, itaque cum id fieri sentit, iracunde inuadit squillam existimans eam hostem esse, non enim illi tum cibus curæ est, cúmque squillam dentibus lacerauit discedit, cibo præstabiliorem & antiquiorem vigilandi curam ducens: alioqui cum aliquid ex cibis obuijs est comesturus, primò perfringit, deinde iacere sinit: vidénsque rem mortuam & non palpitantem ex ea comedit, fœminæ verò quamdiu marem vident propugnantem, domi manent, formámque tuendæ familiæ seruant: vbi verò mas è medio sublatus est, ex præ mœrore acquiescere non valentes errant, eas enim tristitia foras educit, & producit, tum capiuntur. Quid ad hæc poetæ dicunt Euadnen & Alcestin dudum nobis gloriose lugêtes?*

De glauco pisce. CAP. XVII.

G*Laucus piscis pater factus, quos sustulit ex coniuge, diligentissime cauet ne insidijs impetantur*

pe[illegible]ntur, neue pernicies vlla eis inferatur, & quoad alacriter ac sine periculo natare possint, tamdiu ille custodire non intermittit, nunc à tergo cum eis natans, nunc verò non à tergo, sed adnatat, nunc ad vnum eorum latus, nunc ad alterum. Si quis verò ex paruulis timere cœperit, ille timore cognito, ore hianti paruulum excipit, deinde, timore præterito, quem deuorauerat reuomit qualem acceperat, ille rursus natat.

De canicula marina. CAP. XVIII.

CAnicula marina simulatque peperit, nulla mora interposita suos paruulos simul secum natantes habet: si quis verò eorum timeat, ingreditur rursus per genitalia in ventrem matris, vbi timor abierit, is prodit tanquam rursus editus.

De delphini amore erga suam procreationem. CAP. XIX.

MVlierum in filios studium magnam quidem hominum admiratione habet: veruntamen perspicio, filijs qui è vita excesserunt superesse matres, nec ex eorum casu more delphinorum perire, sed tristitia mitigata in doloris obliuionem venire. delphinus autem fœmina omniũ maxime animalium eorum, quæ procreauit studio tenetur, ex sese geminos parere solet. Cum autem piscator aut tridente eius procreationem vulnerauit, aut telo cepit, enimuero longi teli ex parte superiori, ad quam funis alligatur perforati, cuspides vncinatæ defixæ

xæ in delphini corpore eum retinent, is quamdiu in omnes partes resiliendo se versans aliquod robur habet, piscator funem laxat, ne vi abrumpatur, piscémque & ferrum amittat. Cum autem ex vulnere delphinũ labori succumbere, atque ex vulnere aliquantum de contentione insultandi remittere piscator animaduertit, sensim ad nauem subducit, prædáque potitur. Iam verò mater nec catuli sui casum perhorrescit, nec metu reprimitur, sed incredibili desiderio filium insequitur, & quòd filium in media cæde versantem sibi deserendum non existimat, nullis terroribus ab insequendo deterretur, atque adeò eam filio venientem subsidio percutere manu facile est, vt collibuerit volenti cædere vnà cum filio capitur, cui sese ex periculis seruare, & discedere integrum erat, ac si adsint ei ambo catuli, intelligátq; alterũ læsum esse, atq; (vt diximus) captiuum abduci, integrũ alterũ caudæ verberatione persequitur, ac mordicus premẽs ablegat, atque sibillum quantum maximum potest, mittit tanquam tesseram, vt fuga salutem adipiscatur, cuius admonitu discedit ille, ipsa verò remanet vt capiatur, atque simul cum altero filio moriatur.

De bone marino. CAP. XX.

BOs marinus in cœno nascitur. à partu perparuulus est, ex minimo euadit maximus, ab inferiori alui parte albescit, dorsum, faciem, latera nigra

nique habet natura timidus & nullis viribus præditus est. os illi paruum, dentes abditi, & reconditi, vt ne videri quidem poßint, est longißimus & latißimus, multos pisces depascitur, humanis carnibus delectatur, infirmitatis & imbecillitatis suæ sibi maxime conscius est, vnicæ magnitudini suæ confidit, quare ad conspectum natantis alicuius aut piscantis sese in excelsum efferens contra eum natat & insidiatur, desuper grauiter vrgës, premens, instans, terrorem inijciens, & totum corpus suum tanquam funem explicans, supra infelicem piscatorem, prohibet eum emergere, & respirare, itaque spiritus angustijs compressus moritur, hos aggressor quod maximè inquirebat prandium assequitur.

De Cicadis. CAP. XXI.

Cæteræ aues Indiæ os expressum habent, ac ore valent ad cantum, moreque hominum lingua loquuntur. Cicadæ non ita, sed ex membranæ verberatione loquuntur, rore vescuntur à prima luce, donec impleantur hominum conuentu fora, silent, vigore solis progrediente cantare aggrediuntur, laboriosi quidam vt ita dicam chori moderatores supra caput pastorum, messorum, viatorum cantantes, hoc autem cantandi studium solis maribus à natura tributum est. Cicada fœmina muta est, ac amore sponsæ verecundæ silentium sibi conuenire existimat.

De Ara

De araneo. CAP. XXII.

TExtrinam, & lanificia deam nomine Erganen inuenisse fama hominũ celebratum est. Araneus vero ad textrinum opus sua sponte naturaq; natus est, non enim textili artificio studet, neque aliunde filum assumit, sed ex suo ventre stamina deducit, celeritate pedum venabula contexit, atque in retis speciem diffundit, tum filis quæ ad texendum de ventre suo detrahit, iisdem ventrem suum studiosissimè alit: mulieres autem, quæ maximè ad nendi altificium digitorum argutijs valent, filúmque elaboratissimum conficere præclare sciunt, non cum eo subtilitate operis sunt conferendæ, huius nimirum filum tenuitate pilum vincit.

De formicis. CAP. XXIII.

RErum cœlestium notionem habere, cursum syderum tenere, atque vim intelligere, sapereq; Babylonios, & Chaldæos testantur historici: formicæ verò neque cœlum suspiciunt, neque digitis mensis dies numerare sciunt, hoc tamen eis natura donauit admirabile, vt mensis nono quoque die non pedem ex cauerna egredientes admodum quietæ tecto se teneant.

De sargis. CAP. XXIIII.

SArgis piscibus idonea domicilia saxa & cauernæ sunt, quæ non latis luminibus fenestras habent, sed tanquam fenestellas paruulas tanto interuall

i... distantes, quo pertinere & permeare solis splendor, earumque distantiam lumen à sole complere possit. Cum enim omni luce sargi delectentur, tum vero solis maximè radios sitienter expetunt, in loco multi eodem habitant, apud paludes, & breuia vitam agunt, vicinam, proximam, continentem se habere gaudent. Capras vehementissimè amant: namque cum caprarum proximè, & secundum littus pascentium, vnius aut alterius vmbra in mari apparuerit, protinus gaudio exilientes summo studio adnatant, ac saltu non admodum ad saltandum idonei capras contingere affectant, sensum caprini odoris percipiunt, & si sub fluctibus natant: itaque voluptate gestientes ad eas accedere student. Quod autem tanta amoris insania in capras existunt, ex his idcirco capiuntur, quæ tantopere desiderant. nam piscator caprinam pellem extractam cum cornibus, induens insidias parat, sole à tergo relicto, atque farinam caprino iure madefactam in eam maris partem spargit, ac abijcit, vbi habitare solent sargi, quibus tanquam filtro quodam odoris supradicti allectati, accedunt, farina vescuntur: pellis assimulatæ capræ conspectu permulcentur, ex his autem multos piscator hamo robusto capit, cuus linea alba non ex arundine appensa est, sed virga cornea simul ac ad hamum adhæserit, subtrahere expeditissimè cõuenit,

ne

ne alios conturbet, manu etiam capiuntur, si quis spinas, quas ad tuitionem sui excitant a capite in partem inferiorem reuocando, & reflectendo declinet, premendóque ex lapidibus, in quos ad latendum se compellunt, extrahat.

De vipera. CAP. XXV.

VIpera sua circumplicatus fœmina cum ea coit. hæc verò sine molestia iniri se patitur, postquam ad coeundi finem peruenerunt, vxor pro coitus consuetudine mala significatione amoris maritum excipit, nam ei ad collum inhærens morsu abscindit caput. Itaque ex viperino coitu hæc perit, illa verò prægnans efficitur, non autem oua parit, sed animantes partus edit, iamiam idoneos natura ad pernitiem inferendam. In ipso enim partu matris aluum distrahunt, & lacerant, perque disruptum ventrem erumpunt vlciscentes patrem in hunc modum. Heus mi tragœdi! quid ad hæc Oreste Alcmiones?

De hyena serpente. CAP. XXVI.

HYenam si videas, nunc quidem marem, nunc quàm mox videbis fœminam. Si vero nunc fœminam, postea marem, vtriusq; enim sexus particeps est, eundem marem cui ante nupserat, vxorem ducit. quotannis autem genitalia immutat, Censeum igitur & Tyresiam nō ostentatione verborum, sed rebus ipsis exprimit, & declarat hoc animal.

De cantharorum marinorum salacitate. CAP. XXVII.

PVgnant de fœminis iuxtà, ac viri de pulchris mulieribus, hirci contra hircos, tauri contra tauros, de ouibus arietes depugnant cum procis stimulantur in fœminas canthari maritimi, nascuntur locis asperis. Quod vero in amatores suarum coniugum odium acerbum habent, acerrimas pugnas edi videres: nec tamen illis more sargorum piscium de multis certamen instituitur. at non aliter quàm Menelaus cum Paride pro vna vxore decertant.

De polypi edacitate. CAP. XXVIII.

POlypus cum alijs cibis pascitur. est enim edacissimus, ad fraudemq́; & insidias callidissimus, tum verò suorum membrorum conficientissimus est, quorum argumentum est, si venatio eum deficiat, pilos suos deuorat, ac ventrem morsu vellicat, inopiámque venationis leuat, deinde renascitur quod deest, hoc tanquam promptum prandium ad famem restinguendam comparante natura.

De vespis. CAP. XXIX.

EQui cadauer proiectum vespas gignit, ex huius putrescentis medulla euolant vespæ, nimirū volucris progenies ex equo animali velocissimo.

De noctua. CAP. XXX.

MVlieribus veneficia & cantiones exercentibus similis est noctua captiosum animal,

hæc enim capta suos imprimis aucupes, sic cauponibus suis in se illicit, vt eam velut ludicrum & delitias circunferant, eámque me hercule tanquam ornamentum quoddam in humeris circunferant, noctu vigilat, & voce quasi quibusdam præstigijs ac illecebris aues allicit, eásque sibi assidere facit, interdiu verò alia aucupij inductione vtitur, auibus illudit, nimirum in aliam atque aliam speciem vultum conuertens, aues adulescentes in admirationem raptæ manere apud eam perseuerant maximo eorum in quæ se format timore perculsæ.

De lupo marino. CAP. XXXI.

Lupus à squilla superatur, quanquam voracissimus, itaque palustris, & cœnosi loci incolæ insidias moliuntur palustribus & lutarijs, sunt enim tria genera squillarum, vnum cœno gaudet, alterum alga oblectatur, tertium saxatile est, cum autem se ipsas vlcisci non queunt, pro vltione extremum spiritum in victoria effundere non dubitant. equidem earum astutias & fraudes non grauabor narrare, cum se interceptas sentiunt, fastigium quod eminet à capite simile acutissimo rostro triremis, quódque in summa parte secturas habet modo serrulæ vncinatæ versantes, generosæ squillæ saliunt, atque summa leuitate, & saltu valentes saltatorium versant orbem. lupus ore hiante, atque imminenti, cum sit, pelle tenera, & molli squillam lassitudine viribus defectam comprehen-

dit

di[illegible]dium fore arbitratur, squilla primum gutturis laxitate, & spatio saltat, post aculeos in miserũ venatorẽ defigit, huic interiora exulcerantur, tumescentiáq; plurimũ sanguinis mittũt, deniq; suffocatione lupum interficiens, interficitur.

De hystrice. CAP. XXXII.

VNguium robore & dentium ad dissecandum præstantia confidentes, sunt vrsi, lupi, pardi, leones: hystrix hæc non habet, verumtamen à natura armis ad se tuendum destituta non est, contra inuadentes crines tanquam tela iaculatur, sæpéque cùm crinibus dorsi horruerit, tam contente iacit crines, vt volent non aliter quàm neruo quodam expulsi.

De inimicitiis polypi, murenæ, & locustæ. CAP. XXXIII.

MAlum ingens, & morbus agrestis, & inhumanus inimicitiæ, atque odium inhæres, penitusq; insitum, quod etiam ratione carentibus natura ingenuit inexpiabile, atq; implacabile, murena cum polypo capitali odio dissidet, polypus cũ locusta graues gerit inimicitias, murenæ etiam teterrima hostis est locusta, atque infestissima, murena polypo brachia abscindit dentium firmitate, post autem in ius ventrem subiens, his malis eum quibus verissimile est afficit, hæc enim è genere nantium est, ille vero serpentium more graditur. Si polypus in saxorum colorem se vertat, nihil

ei astutiæ hæ fallaces prosunt, murena eius ventratoriam planè tenet. Cùm vero polypus locustas à se comprehensas occiderit, exprimit carnes, atque earum succum exhaurit, ac nimirum locusta cornibus erectis iracundia furens in eum modum murenam lacessit, ac si murena mulier irata esset. hæc igitur aduersarij aculeos quibus præmunita est mordicus tenet, illa vero pedes acutos tanquam manus prætendens, vtrinque cuti inhærere fortissimè non intermittit. hæc discrutiatur, seseque huc & illuc versat, & acutas testas amplectitur, quibus confixa remollescit, & succumbit, denique remissa iacet, locusta ex hoste instituit prandium.

De sphyręna. CAP. XXXIIII.

Piscis sphyræna maris alumnus, si reti circunueniatur natando sapienter perquirit, aut contextus raritatem, aut aliud quippiam, quod rimas agat, si casu quodam elabatur rursus liber natat. si ex his vnus exitus fœlicitatem consecutus sit, reliqui eiusdem generis simul capti ad illius fugæ modum exeunt, tanquam à duce viam quandam eruditi.

De sepia. CAP. XXXV.

CVm se à peritis piscatoribus captari cognoscit sepia, suum atramentum emittit, quo circunfusa ab oculis piscantium remouetur, eorúmque præstringit oculos, cum sit in eorum oculis, piscatores vero nihil tale vident. Et Aenea tene-

bris

br... circunsepto fefellit Achillem Neptunus, ut ait Homerus.

De fascinationis remedio. CAP. XXXVI.

Fascinantium oculos cauent etiam animalia rationis expertia. Mirabili naturæ beneficio audio fascinationis amuletum palumbos lauri folia tenuia suis nidis imponere ad custodiam suorum pullorum, milui habent rhamnum, circi intybum agrestem, turtures iridis fructum, corui agnum, vpupæ adianthum, quem etiam callitrichon quidam vocant, harpa hederam, cancrum, herodius, pardix calami comam, turdus ramum myrti, alauda gramen, aquila lapidem ætiten. existimatur hic lapis bonus mulieribus vterum ferentibus. abortui resistit.

De torpedine & aliis animalib. CA. XXXVII.

Vt id, quod à torpedinis piscis tactu obtorpuisset, ei nomen dedit, ita remora quod naues remoratur ex eo nominata est. pariente alcione mare subsistit, pacem & amicitiam inter se habent venti. parit vero media hyeme, & tamen cœli temperatio alcedinibus largitur eo tempore dies esse tranquillos. Si casu equus lupi vestigium conculcat, torpore comprehenditur, si lupi calcaneum in quadrigam proieceris, sistetur acsi conglaciasset equis calcaneum conculcantibus. Leo in folijs ilicis vt fecit vestigium, torpore tenetur. Si lupus conculcet, vel si modò appropinquet folijs

scyllæ torpore capiuntur: hæc vulpes in luporum cubilia non sine causa iniiciunt, insidiosæ nimirum, non ignorant, quæ eis infestißima sunt.

De ciconiarum & aliorum animalium vi contraria. CAP. XXXVIII.

Ciconiæ, ouis suis perniciem molientes vespertiliones sapientißimè vindicant. Cum hæ itaque solo suo contactu oua ipsa sterilia efficiant, hoc remedio vtuntur ciconiæ, platani folia in nidos suos inferunt, ad quæ accedentes vespertiliones torpore comprehensæ perniciem afferre non queunt. Hirundinibus hoc idem natura largita est, nam cùm blattæ earum ouis pernitiosæ sint, matres apij folia ante pullos proiiciunt, ob idque ab illis ad pullos accessus fieri nequit. In polypos si quis rutã iniiciat, immobiles manere in sermonem hominum venit, serpentem si arundine contingas à prima plaga non se commouet, torporéq; constricta quiescit, sin iterum, aut tertio plagam inflixeris, colligit, ac confirmat sese. Murena quæ plagam vnam accepit, torpescens perstat, sin plures inferas, funditus ira incenditur. piscatores dicũt polypum in terram progredi ad oliuæ germen in littore positum.

De elephanti adipe. CAP. XXXIX.

Contra omnium ferarum venena remedium est elephanti adeps, quo si quis inungatur, & nudus contra efferatißimas bestias procedat, illæsus discedit. Arietis autem cornua, & suis

grun

grugni tum horrescit. Sic Romanos Pyrrhi Epirotarum regis elephantos in fugam vertisse homines dicunt, victoriámque amplam ex eo bello retulisse mulieris forma hoc animal capitur, atque hebescens ad eius pulchritudinem remittit furorem animi sui, riualem vero fuisse in Aegypto elephantem ferunt Aristophanis Bysantini de quadam muliere coronas texente. Omnia bene olentia amat, vnguentorum & florum odore permulcetur.

De canibus. CAP. XL.

*Q*Visquis fur aut latro vult canes ferocissimos silere aut fugare, ex pyra hominis torre sumpto contra eos procedens eos in metum conijcit. Audiui etiam illud, quòd qui ex ouis lacerata à lupo lana vestem confecerit, vestis ei qui feret molestiam afferet, & dolorem. Si quis seditionem, & litem velit in conuiuio moliri, lapidem à cane morsum vino inijciens conuiuas molestia afficit & insania. Scarabeis malè olentibus si quis spargat vnguentum non ferentes suaueolentiam moriuntur: ita ferunt coriorum tinctores innutritos malo cœlo detestari vnguentum. Dicunt Aegyptij, serpentes omnes ibicum pennas metuere.*

De turturibus. CAP. XLI.

*A*D hanc ratione aucupatur turtures, qui absolute perfecteq; earum aucupium tenent:*

nec longißimè ab experimento aberrant, vt saltent, valdéque suauiter, præclaréq; canant, quorum auditu hæ delectantur, saltationisque conspectu permulcentur, accedúntque propius aucupes sensim & pedetentim eò secedunt, vbi retiū explicatorum positæ sunt insidiæ, in quas incidentes capiuntur, captæ primum saltatione, & cantiunculis.

De orcyno. CAP. XLII.

ORcynus cetaceus piscis rerum suarum prouidens est, non tamen artificio hoc prouidentiæ munere amplißimo, sed natura ornatus est, hamum quo tamen transfixus est, in maris altitudinem sua impulsione deprimens ad solum allidit, eúmque oris pulsatione expellere cupit, quòd si id minus fieri queat, ab hamo acceptum vulnus luculentius infert, dilatat atque exsiliendo id quod sibi molestum exhibet expuit, abijcítque, sæpe id non assecutus inuitus ad piscatoris prædam subtrahitur.

De melanuro. CAP. XLIII.

TImidißimi piscium melanuri, suæ timiditatis testes habent piscatores. neque enim capiuntur nassa, neque ad eam accedunt, siquando eis saginam circundederis imprudentes comprenduntur, cum autem placidum & quietum est mare, ij ad imam maris sedem in petris aut algis quiescunt, tegumentóque proteguntur, quocunque corpus occultari potest. Cum in alto aduersa tempestas est, piscésque alios vident, in altitudinem ex fluctuum

impetu

impetu descendere, hi tum fiducia implentur, simul & ad littus appropinquāt atque spumam super se fluctuantem, seipsósque cooperientem satis esse ad se tuendum arbitrantur. Vix dici potest quàm pernoscunt eo die noctéve cum feritas maris & immanitas efferuescit, fluctúsque formidabiles in sublime concitantur, tum à piscatoribus non adiri mare, ac cum sæuæ maris tempestates sunt, ex his viuunt cibis, quos è saxis partim eruunt, partim è terra euellunt, nec tamen nisi sordidis pascuntur, & abiectis, quibus non facilè alius piscis, nisi fame oppressus, vesceretur. Cùm maris tranquillitas viget, in solo sabulo pabulum inquirunt, hincque pascuntur, quemadmodum verò capiantur alius dicet.

De aquila. CAP. XLIIII.

Aquila ex auibus maximè acres, & acutos oculos habet, in quam Homerus hoc consentit, & testimonio est in morte Patrocli similem huic aui inducens Menelaum, cum requireret Antilochum, quem ad Achillem mitteret nuntium, tristem quidem, sed tamen necessarium de morte eius amici, quem misit quidem. Veruntamen non accepit, etsi id summe desiderabat. Aquila non solùm sibi, sed hominum oculis vtilis habetur, in melle Attico eius felle sumpto, si cui hebescunt oculi, inungatur, planè videbit, habebítque oculos acutissimos.

De luscinia. CAP. XLV.

LVscinia sic splendidißimè canora est, vt et vox sit acuta, concisa, locáque deserta cantu & summa vocalitate sua percrepare faciat, huius carnes ad somni fugam vtiles existimantur, mali certe conuiuæ, qui tali cibo vescuntur, & planè indocti, malum ex cibo proficiscitur, donum scilicet fuga somni regis deorum & hominum vt ait Homerus.

De grue. CAP. XLVI.

GRuum clangores pluuias accersere fama est, eius verò cerebrum quippiam amatorium habet, vtile ad conciliandam mulierum gratiam, si modò bene animaduerterunt, qui hæc primi obseruarunt.

De vulture. CAP. XLVII.

VVlturum odoribus alarum incensis, & suffimentis quantum audio facillimè serpentes ex latibulis proferuntur.

De pico martio. CAP. XLVIII.

INcuruato rostro, & adunco est picus martius, quo quercus percutit, vnde à Græcis dryocolaptes appellatur, hoc est quercus percussor: in ea locum excauat in quem tanquam nidum pullos suos imponit, ad nidi instructionem, non ferulis inter se connexis eget, neque ædificatiunculis. Si quis lapide immisso ei foramen obstruxerit, ille ex his coniectura assecutus insidias sibi opposi-

tas

tas esse, herbam lapidi contrariam affert, eámque contra lapidem ponit, lapis velut offensus, & non facile ferens vim herbæ exilit, atque rursus foramen pico aperitur.

De denticibus piscibus. CAP. XLIX.

D*Entices congregatiles sunt, nec sibi esse à gregalibus suis solitudinem, & segregationem ferunt, sed cum æqualibus congregari gaudent, ac nimirum per adolescentes separatim à reliquis natant, ij verò, qui sunt confirmatiori ætate, etiam inter se vitæ communitate illo prouerbio coniunguntur, Aequalis æqualem delectat. Ac illi quidem præsentes præsentibus, tanquam ijs quibus cum societas, aut amicitiæ coniunctio, delectantur ex eadem consuetudine, vsúque frequenti. Aduersus piscatores sic machinantur, vt cum piscator in eos cibum demiserit, congregati & in orbem consistentes inter se conspiciant, & quasi signo dato inter se admoneant, ne prope ad cibum accedant, neve demissum cibum attingant, atque in hunc ordinem instructi permanent, sin autem soliuagus ex alio grege accesserit, hamúmque deuorauerit, ac suæ solitudinis præmio accepto subtractus fuerit, illi iam confidunt se non captum iri, quod non sint capti, sicque ex fiducia se tuendi negligentiores facti capiuntur.*

De

De coruo. CAP. L.

PEr æstatem coruus exarescit siti confectus, cum clamore ultionem testari fama est, cuius causam afferunt, quòd cum ad aquationem eum famulum suum Apollo misisset, ille magna segete inuenta adhuc viridi inuestigare volens, granum frumenti expectans vt maturuisset, mandatum domini neglexit, quamobrē siccissimo anni tēpore siti affectus suæ moræ dat pœnas. hoc fabulæ simile videtur. Aliud tamen dicetur de coruo ob Apollinis reuerentiam. Hunc sacrum, & Apollinis pedisequum esse dicunt, idcirco diuinationibus præditum fatentur, eiúsque clamori dant operam, qui auium sedes, & clangores, & volatus ipsarum à dextra, ac sinistra cognoscunt. Corui oua audio nigros efficere pilos. qui capillitiū suum adulterat, oportet, oleum in ore compressum habeat, nam nisi id fiat, simul cum pilis ei dentes nigri reddentur, vixq; elui possunt.

De merope. CAP. LI.

MErops auis contrà volat, atque cæteræ aliæ enim omnes quasi sursum ad oculos versus, illa verò retro ad caudam versus volat, & profectò naturam volatus admiratione, & insolētia pleni quē facit hoc animal, summopere miror.

De murena. CAP. LII.

CVm libidinis impetus plena est murena, exit in terram sponsi iniquissimi desiderio permota

m[illegible]a latibulum viperæ intrat, ibique ambo inter se coniganitur, atque coitu implicantur. Vulgò hominum opinio ait, viperam stimulis libidinis concitatam, ad mare accedere, & vt adolescens in amoribus dissolutus cùm lyra fores pulsat amatæ, sic vipera sibilo edito amatam euocat, ea è mari exit, natura diuersorum locorum incolas in cupiditatem vnam, & cubile idem cogente.

De serpente. CAP. LIII.

Hominis mortui spinæ medullam putrescentem in serpentem conuerti aiunt, exoririque feram, & serpere animantem immanissimum ex mansuetissimo, atque bonorum honestorúmq; hominum reliquias requiescentes quietem pro præmio habere, vt eorum animas bona, quæ toties attestata sunt à sapientibus, malorum verò hominum spinas post è vita excessum talia monstra parere. at id aut est totum fabulosum, aut si adhibenda ei fides sit, præmium meo iudicio dignum suis moribus retulerit malus, qui serpentis pater efficitur mortuus.

De hirundine. CAP. LIIII.

Hirundo significatione sua pulcherrimi temporis ostendit aduentum. ea hominis studiosa est, cuius contubernalem se esse gaudet, cum ei rursus bonum videtur, discedit. homines Homeri lege hospitalitatis eam tecto recipiunt, qui præcipit hospitem præsentem esse diligendum, discedere vero

re vero volentem dimittendum.

De capris. CAP. LV.

Capra anhelandi aliud quiddam plusculum habet à cæteris animalibus: pecuarij sermones & pastoritij eam ex auribus & naribus respirare testantur, sensúque audiendi esse acerrimo ex omnibus vngula bipartita præditis animalibus. Causam quare id fiat ignoro: verùm si capra etiam est Promethei opus, cur ita fecerit disquirere volenti relinquo.

De caniculis marinis. CAP. LVI.

Canicularum marinarum tria genera, quorum maximi sunt cetacea magnitudine, reliqua duo genera procedunt ad cubiti magnitudinem, quorum alterum galeon, alterum centriten solent nominare, & horum maculosi galei appellare possent, centritas nominans reliquos non erraret, varij quidem & pellem teneriorem habent, & latiores sunt, alij vero parui & pellem duram habent, & caput tendens in acutum, & colorem in album vergentem. Aculei ipsis innati sunt, alter in capitis vertice, alter in cauda, duri quidem aculei, & venenum quoddam iaculantur, horum paruorum canum vtrunque genus capitur in cœnosis locis hac esca piscem album dissectum piscator deijcit, ac cum

vnus captus est hamo, omnes hoc aspicientes accurrunt ad captiuum, & sequuntur vsque ad nauem æmulatione quadam, existimantes captum escam sibi prædatum fuisse, vt eorum nonnonnulli in nauem aliquando insiliant, & volentes capiantur.

De morsu aspidis. CAP. LVII.

Viperæ & aliarum serpentum morsus non carent remedio, ex hisque fieri potiones, atque vnguenta percipio, incantationésque quorumdam illitum venenum mitigauerunt, solum aspidis morsum non curari posse, esséque omni medicina robustiorem. Dignum hoc animal odio ob redundantiam mali, at fera scelestior, & quæ minus vitari possit fœmina venefica, qualem fuisse Medæam, & Circen audimus. Nam aspidum venena & morsus opera sunt illarum autem venena vel solo tactu necare feruntur.

De pastinaca marina. CAP. LVIII.

Marinæ pastinacæ aculeus ab omni medicina inuictus existit, etenim vt primum pupugit, statim interficit, quæ quidem ipsius arma vel rei maritimæ peritissimi perhorrent, neque enim alius quispiam neque vulneratrix ipsa medicinam vulneri facere potest, soli enim hastæ Achillis hoc datum fuit.

De ceraſt

De cerastis serpentibus. CAP. LI.

CErastes serpens ferum animal colore album, gemina supra frontem gerit cornua, cochleæ cornibus similia, non similiter tamen atque illius tenera, longè alia ratione in cæteros Libycos homines, ac erga nuncupatos Psyllos cerastæ afficiuntur: illis enim infesti sunt, cum his fœdere deuinciuntur, pacémque seruant. Enimuero Psyllorum gens ab eis si mordetur, non modò non sentit morsum, sed eos etiam qui in id mali inciderint facillimè sanat, si priusquam totum veneno corpus imbutum sit, ex ipsis quispiam vel accersitus, vel sua sponte veniens os aqua colluerit, illiusq; manus qui morsus sit abluerit, ex veneno statim tum conualescit, tum ab omni malo liberatur. Libyci autem homines aiunt, virum cui sua vxor venerit in suspitionem adulterij, quique ex ea susceptos liberos adulterino sanguine natos suspicetur, experimenti causa in dolium cerastarum plenum infantem puerum conijcere, sicque obijciendo tanquam artificem aurum igni, ingenuitatem pueruli experiri cerastas protinus insultare, acerbósque fieri innatum malum puero minitantes, eos vt puer attigit, remollescere, vnde Libycus ille se legitimum patrem agnoscit. Cum serpentium, tum phalangiorum hostes cerastæ habentur, hæc vero si Afri comminiscuntur homines, non me, sed semetipsos fallunt.

De

De apum insidiatoribus. CAP. LX.

Hostilem in modum apibus insidias moliuntur pari auiculæ, vespæ, hirundines, serpentes, aranei, ynges, à quibus omnibus apes de vita sua incredibiliter timent, apiarij pulicariæ suffimento aut viridi papauere locum ante alueos sternendo, cum eiusmodi animalia ab eis depellunt, tum vespas hoc modo comprehendunt, ante earum nidos nassam in quam prius paruulam mænam, aut membradem simul cum hiope aut chalcide imponi conuenit appendunt, eæ vero sua natura edaci esca allectæ, frequentes in nassam incidunt, quibus nassa comprehensis non amplius retro regredi licet, simul & eas aqua conspersas facilè necant, aut igni cremant, lacertæ item insidias in apes faciunt, ac terreni crocodili pestem perniciémque illis instruunt, farina ad veratrum admista, aut tithymali, aut maluæ succo suffusa ante alueos dispersa gustantibus illis omnibus modo commemoratis perniciem affert, aranei ante alueos ad lumen accensæ lucernæ, cui vas aqua plenum subiectum sit volitantes in oleum decidunt, ac si pereunt, alia ratione non facile tolli queunt. Soboles ranarum lutariarum si quis in earum lacum verbasci, nucísve folia iniiciat, necatur. Pari aues gustatu farinæ vino dilutæ capite grauatæ cadunt, & iacentes palpitant, & ridiculæ capiuntur euolare non valentes. Hirundo musicæ reuerentia permotis non ab apiarijs

occiditur, alioqui ad necandum facilis. Satis im est eas prohibere prope alueos nidificare. tetro odore offenduntur apes, vnguentóque odorato, vt puellæ vrbanæ, & modestæ tetrum odorem contemnunt, & vnguenti suauitatem spernunt.

De ratione ædificandi apium. CAP. LXI.

SEniorem Cyrum de regia quam in vrbe Persepoli ipse ædificasset, magnam gloriam adeptum fuisse fama celebratum est, Darius lautæ ædificationis substructione quam fusius omnium sermone decantatam struxerat efferebatur, Cyrus minor ex hortis quos purpuræ nitore, & gemmarum fulgore ornatus in Lydia sua manu conseuisset, gloria magna cum apud omnes Græcos, tum apud Lysandrum Lacedæmonium, cum is in Lydiam ad eum venisset, fuit. Sed hæc plusquam satis historici prædicarunt. Apium nō item domos solertiori ratione ædificatas scripserunt, cum illi tamen in regijs ædificandis permultos vexarint, apibus verò vt nihil minus molestum, sic solertius nihil esse potest. Primùm regum cellas eminentiore loco magna laxitate amplas ædificant, eásque sepimento tanquam muro quodam ad maiestatem regiam tuendam circunuallant, ac vt ætate & conditione triplices sunt, sic tripartito suas cellas diuidunt, quædam enim summa senectute affectæ, regiæ aulæ manent vicinæ proximæ tanquam custodes & satellites: post quas habitant natu minimæ, & quæ annum non excesserunt

[illegible] sentiores vero & ætate confirmatiori extimæ manent, vt illæ exacta ætate satellites lictorésque regum sint, eæ autem quæ ætatis firmitate robustiores existunt, tanquã murus quispiam illarũ natu minimas sepiant. Opinio vna est, apium reges non aculeatos esse, est rursus altera eas robore aculeorum peracutorum armatas esse, nunquam tamen eis neque contra hominem, neq; contra apes vti, quoniam non fas sit tãtæ nationis imperatorem malum admittere. reliquas autem apes harum rerum prudentissimi testantur in conspectu suorum imperatorum aculeos summittere quasi fasceis, veluti imperio potestatéq; his cedentes. Iam verò hoc vtrunque in illis regibus quispiam admirari possit siue aculeo careant ad inferendam iniuriam, siue quia habentes ab iniuria aculeos abstinere queant.

AELIANI LIBER secundus historiæ animalium.

De gruibus. CAP. I.



VM Thraciam grues relinquunt, defugiendo iniurias frigoris frequẽtes congregantur in Ebrum fluuium, lapidémque pro se quæque deuorat, vt & vnde prandere poßit habeat, & aduersus incursiones ventorum firmamentum aßequatur, in Nilum hyberni illic victus desiderio incensæ, cum proximum est è Thracia vt se migrare ingrediantur vltráque progrediantur, grus quæ est extremo tempore ætatis affecta ter circum vniuersum gregem volans decidit, supremúmque vitæ diem conficit, quàm primùm sepultura reliquæ afficiunt: recta deinde iter in Aegyptum faciunt, neque immensa pelagi spatia alarum robore transmittentes vsquã interquiescunt, Aegyptios sementẽ faciẽtes offendũt & mensæ vt ita dicam, in armis ciborum redundantia extructæ interueniunt, ac tametsi minus inuitatæ hospitalis tamẽ mensæ iure fruuntur.

De pyr

De pyrigonis. CAP. II.

TErra mariq; nasci animalia nihil mirũ: nam materia, nutrimentũ & natura horum causa architectrix est, ex igni vero generatas bestias volucres existere nuncupatas pyrigonos, & in eo ipso igni viuere, & ali, hucq; & illuc volare, hoc admirabilitatem facit, illud item admirationem excitat, cùm extra ignem nutricium egrediuntur, statim exeunt è vita: quæ autẽ causa sit ex igni vt nascantur, contráque aëre temperato elemento extinguantur, alijs dicendum relinquo.

De coitu & visus recuperatione hirundinum. CAP. III.

ADuersæ hirundines coeunt contrà atq; cæteræ aues, cur id faciant causa retrusa est, atq; abdita, aliquorum tamen sermone in vulgus peruagatum est eas sic coire, quòd Tereum regem horreant, nequando latenter irrepens nouã tragœdiam efficiat. hirundinibus à natura donum meo iudicio summum tributum est, si acu earum oculi puncti excæcentur visum recipiunt. quid igitur Tiresiam amplius admiramur, tametsi hîc & apud inferos Homeri testimonio sapientissimum.

De animalibus vnũ diem viuentibus. CA. III I.

ANimalia ephemera idcirco sunt appellata, quòd id ætatis viuunt, vt vno die cursum vitæ conficiant, ex fæce vini acescente originem trahunt, aperto dolio vt in lucem suscepta sunt, vita

excedunt, ea felicitate prædita vt ingredi quid m in vitam natura illis det, malis vero quibus vita referta est celerrimè liberet, ne nimirum quam partem suarum calamitatum sentiant.

De aspide & basilisco. CAP. V.

EX aspidis quidem vulnere longo tempore quispiam sanus fieri possit vel exectionem membri vel exustionem ignis fortiter patiendo, vel accommodatis medicamentis malum sistendo, ne serpat longius. Basiliscus verò etsi magnitudine sit dodrantali, tamen serpentium vel maximus non longo interuallo sed statim basiliscum intuens exsiccatur basilisci spiratione, ac si baculum quem quispiam teneat, ille momorderit, baculi dominus necatur.

De amore & musicæ studio delphinorum. CAPVT VI.

QVanto delphinis in studio musica sit ex Arione Methymneo Aegyptij & Lesbij testantur, quantóque ijdem ipsi amatorio affectu flagrent Theitæ delphini de amore erga eleganti forma puerum prædicant, Leonyda autem Byzantius in vrbe Plerofelino nuncupata se cū Eolida nauigando præteruehere tur delphinum in illius portu vrbis habitantem ciuibúsque huius tanquam hospitibus suis vtentem vidisse confirmat, idémque affert hunc delphinum de manu aniculæ cuiuspiam

cibalem mariti educari solitum fuisse, plenósque inuitamẽtis cibos illi ab eisdem suppeditatos fuisse, neque tamen puer cum eis esset infans pariter alendus, illum alere destitisse, sed ambos educasse, ex quo conuictu delphinus puérque mutuum inter se amorem conciliarunt; & quod prædicandum virtutisque plenum videtur, inter eos mutuus amor charus, in precióque erat. Delphinus vrbem quam dixi veluti patriam suam flagranti studio amplexabatur, portúmque tanquam domum suam amanter incolebat, & suis nutritijs gratiam educationis sic persoluebat, vt cum ætate grandis factus esset, déque manu educantium cibum capere non haberet necesse, extra portum in altum progressus ex prædis quas caperet, partim sibi ad prandium haberet, partim suis educatoribus afferret, vnde fiebat, vt hi vehementer lætarentur, ab eóque illud vectigal acerrime sibi & puero expectarent, nomen similiter delphino vt puero imposuerant. Puer ex illa viuendi cum delphino consuetudine hanc collegerat fiduciam, vt è crepidine locísque è mari eminentibus illum auderet appellare, faciléq; ad se leui appellatione euocaret, ac siue ille remigationem quandam contenderet, siue cum alijs gregatim errantibus lusione aliqua delectaretur, totum gregem præ studio festinandi venire ad puerum desaltaret, siue multa fame pressus

venaretur, illum tamen puer tanta celeritate euocabat, vt vehementi impetu more nauis plenissimis velis impulsæ ferretur, atque ad puerulum appropinquans ad illum luderet, & adsiliret, nunc circum illum adnans, nunc illum ipsum velut prouocans, vt ad certamen secum amasium suum alliceret, hæc cum delphino qui vetulis & puero vectigalis esset prædicata, tum alia pleraque quæ vrbs illa habebat spectaculum prætereuntibus dare solent.

De sibilo basilisci. CAP. VII.

IN Africa mulos, vel cæsos, vel siti animo deficientes Archelaus ait, plerosque mortuos humi iacere proiectos, sæpéque magnam serpentium vim influere ad eorum cadauera depascenda, eásque basilisci exaudito sibilo se statim in cauernas, infráve harenas abdere, illum verò eò profectum in tranquilla permultæ pacis libertate prandere, postea verò quàm pransus sit, sibilo repetito latitantibus serpentibus significare se iam pransum ex cadaueribus abire.

De piscatorum Euboicorum communione prædæ cum delphinis. CAP. VIII.

EVboicorum hominum sermone huc narratio quædam perlata est, illorum piscatores pariter æquabiliterq; cum delphinis pisceis quos cœperunt communicare. Audio ad eiusmodi piscatum tempestatum quietem opus esse: id quod si accid

ac, derit, tum de prora laternas quasdam piscatores suspendunt, quæ etsi intra se ignem habent, sic tamen lucem transmittunt, vt ignis quidem obtegatur, lumen verò transluceat, piscibus splendor timorem facit, & molestiam affert, quare insidiarum ignoratione obstupescentes, quid sibi velit quod vident appropinquare aggrediuntur, causam tanti sui timoris cognoscere studentes, cuius rei consideratione perterriti aut ad saxum quoddam stant frequentes cum tremore & metu, aut ad littus impulsi exsiliunt, sic obstupefacti vt de cœlo tacti esse videantur, facileque iam sit tridente percutere. Delphini cum ignem à piscatoribus incendi animaduertunt, seipsos statim ad subsidium ijs ferendum comparant, & illi quidem sensim, & pedetentim remigant, delphini verò formidine exterrentes, impellunt pisces, eorúmque effugia reprimunt ne elabi queant, quare pisces ex delphinorum natatu & piscatorum remigatione, vndique in angustias compulsi, & quodammodo circumsessi, quòd sentiunt sibi ex tantis angustijs nullum patere exitum, idcirco stant, & manent, vnde efficitur vt eorum permagnus numerus capiatur, ac tum delphini velut repetentes communis laboris remunerationem sibi debitam ex illa piscatione eò procedunt, quibus prædæ auxiliatoribus si cum fide & grato animo piscatores partis æquabilitatem distribuant, persua-

ſum his habetur qui in re maritima verſantur ... ſus ad piſcandum etiam ſi minùs inuitentur adiutores fore, ſin autem piſcatores prædam cum his communicare omiſerint, hoſtes experientur, quos antè amicos habuerant.

De ceruorum cum ſerpentibus diſsidio.

CAPVT IX.

MIrifico quodam munere naturæ ceruus ſerpentem funditus vincit, neque enim ipſum tametſi hoſtis in latebram abditus effugere poteſt, etenim ille naribus ſuis in ſerpentis cauernam incumbens vehementiſsimè inſpirat & ſpiritu ſuo quaſi amatorio quodam alliciens extrahit, inuitúmque profert, ac nimirum procumbentem illum mandere ingreditur, quod hyeme facere maximè ſolet. Si quis autem cerui cornua in pulueres excidat, poſteáque exciſos in ignem pulueres conijciat, fumus inde naſcens vndique ſerpentes, ne illius quidem nidorem ſuſtinentes, fugat.

Quemadmodum aſini equas ineant.

CAPVT X.

INter cæteras animantes equus magno elatóque animo eſt. enimuero magnitudo & celeritas ipſa ceruicíſque eminentia, tibiarum facilis contractio, facilíſque porrectio, vngularum crepitus

nis inducunt, cùm vt audacius is exultet, & gestiat, insolentiúsque efferatur, tum maximè comata equa mollitie & insolentia diffluens, superbiat, eámque ob rem ab asinis se iniri indignissime ferat, vt maximo vicissim gaudio compleatur, cum equo quasi matrimonio sociata sit, ob idque ipsum se plurimi esse arbitretur, cuius modi affectus gnari, qui sibi mulos gigni volunt, equæ iubam temere & sine artificio tondent posteáque asinos admittunt, ea vero, tum mariti ignobilitatem cuius prius pudebat, & contra quem ante resistebat, facillime patitur, atque eius rei Sophocles meminisse videtur.

De elephantorum obedientia, docilitate musicæ studio.

CAP. XI.

SEquitur vt de natura elephantorum deinceps dicam, de arte numerorum & obtemperatione, eorúmque acutissimis sensibus, ac facilitate ad eas disciplinas assequendas, quæ ad discendum difficiles sunt, vel homini ipsi, nedum tam immani feræ, & quæ aliàs intractata tantopere animo agresti esset, duróque aduersus omnem pertractationem. Enimuero ad numerum saltare tibiæ auditione demulceri, sonorum differentiam intelligere, cursum tardare ad soni tarditatem, seque remittere ad remissionem tibiæ, rursus cùm acutè sonans impellit, festin

festinare discere, assequi perfecte elephantus so-litus est, neque vero natura modo illum summa ex omnibus animalibus magnitudine ornauit, sed & disciplina mansuetum & tractabilem edidit, iam autem si vel Indiæ, vel Arabiæ vel Africæ elephantorum obediendi facilitatem, & docilitatem scripturus essem, cupiam fortaßis fabulosa quædam nimium licenter confinxisse, atque ad eiusmodi animalium famam augendam contra naturam mentitus fuisse videri possem, quod ab studioso philosophiæ, & veritatis amatore candido alienißimum videri debet, ex his quæ ipse vidi, & quæ Romæ gesta alij antè scripserunt, pauca quædam perstringere, atque quid sit horum animalium maximè proprium constitui attingere. Elephanto ad morum mansuetudinem, & facilitatem erudito nihil mitius, nihil ad id quod volumus obtemperantius est, cum Tiberij Cæsaris nepos Germanicus gladiatorum spectaculum edidit plures grandes vtriusque sexus elephantes Romæ erant, è quibus alij plerique generati extiterunt, quorum artus interea dum committebantur, & confirmabantur, & membra infirma recens conglutinabantur, peritus vir ad pertractandos eorum sensus, animosque, nunc eos disciplina mansuetiori, nunc terroris & mirificæ verberationis plena excipiens erudiebat, primùm eos maxima lenitudine & mollitudine,

cibos

cuos nimirum illecebris & varietate suauium inuitamentorum refertos indulgens ad disciplinam informabat, vt si quid esset agreste expelleret, ex feritate ad mansuetudinem, & quasi ad humanitatem quandam transformaret, sicque eos moderabatur, vt feritate expulsa, disciplinis & musicæ studio operam darent, tympanorum sono nihil exterrerentur, fistula demulcerentur, pedum ingredientium strepitum, cantúmque miscellaneum ferrent, eos præterea exercebat ad non formidandam hominum multitudinem, illa vero virilis disciplina non ad grauem plagarum ictum excandescere coactos membrum aliquod ad saltandum flectere non rabiose, cum essent maximo robore prædití incitari. Iam vero hanc à natura ingenuitatis præstantiam assequuti erant, vt apte compositi essent, & liberaliter dociles ad humaniores disciplinas, cum orchestodidascalus elephantorum spectaculum edidit, in tempore suo specimen dederunt se rectè institutos esse, illúmque in seipsis erudiendis non operam perdidisse: nam duodecim numero theatrum ingressi composito gradu incedebant, ac toto corpore diffluebant lauto ornatu, hominum nimirum stolis saltatorijs induti, soláque magistri significatione vocis ordinatim structi gradiebantur, ac vero rursus si ita illis hoc imperaretur in orbem saltabant, eundémque orbem ad imperantis vocem repetebant, atque nunc flores

pauim

pauimentum ornabant, ſpargentes, nunc modò pedibus terram pulſantes, muſica moderatam ſaltationem quandam vnà obibant. Damonem igitur & Epentharum ac alios plerosque pulcherrime muſicam eruditos, & inter paucos muſicæ peritos exiſtimatos fuiſſe, mirificum quidem at non certe incredibile, neque à ratione alienum fuit, cum homines eſſent rationis participes valuiſſe vi intelligendi, ac ratiocinandi: at vero animal rationis expers numerum, & cantum percipere, formam & ornatum tenere non à ſaltandi moderata elegantia aberrare, quæ didicerit repetere poſſe, hoc naturæ donum eſt, ſimúlque vis quædam admodum ſingularis, illa vero vel ad ridiculè inſaniendum ſpectatorem inducere poſſint in theatri harena humiles lectos ſpectare vario ſtragulo textili & magnificis operibus picto ornatos ditiſſimæ domus, monumenta lauta, item pocula & argenteas crateras, auréſque permulta aqua repletas, menſasque magnificas tanto pane & carnibus extructas, vt vel edaciſſimorum animalium ventrem implere potuiſſent, omnibus ita recte apparatis conuiuæ intromiſſi ſunt elefanti mares ſex virili veſte induti, totidémque fœminæ ſtola muliebri ornatæ decore epulis accubuerunt, ac in menſam promuſcides tanquam manus porrexerunt, ſummáque cum modeſtia epulati ſunt, neque ex ipſis quiſpiam viſus eſt vorax, neque maioris partis rapax, cum

eſſet

est bibendum vnicuique cratera exhibebatur, & quidem promuscidibus potionem haurientes moderate bibebant, deinde circunstantes leuiter & festiuè sine contumelia aspergebant. Non pauca eiusmodi de ingenio & natura propria horum animalium admirabilia, alij scripserunt, ego recte & ordine in tabula quadam latinas literas vidi elefantos scribere, veruntamen docentis manus subijciebatur, ad literarum figuram & lineamentum instituens animal, cúmq; elephantus scriberet, eius oculos immotos & deiectos esse perspexi, vt grammaticum quendam dixisses.

De leporum vi & natura. CAP. XII.

Quædam propria lepori à natura ingenita sunt, palpebris patentibus somnum capit. eius annos indicant foramina quædam. nam quot sunt illi corporis cauernæ totidem annos ætatis agit, vno & eodem tempore quædam in vtero inchoata & imperfecta fert, quædam parturit, quædam modo peperit.

De duce cetacei generis. CAP. XIII.

Omne fere cetarium genus duce ad sibi moderandum eget, illiúsque oculis ducibus ad videndum vtitur, is autem dux est quemadmodum harum rerum periti testantur, longus piscis colore albo, capite prælongo, angusta cauda, hunc ne ducem vnicuique cetaceo natura dederit, an amicitia quadam adductus ipsa cete vltro antegrediatur,

haud

haud ſcio plane, ſed id tamen factum naturæ impulſu arbitrarer, nam hic ſeparatim nunquam ab illo nauigat, ſed ante huius caput antecedens ipſius dux, ac quaſi temo exiſtit. etenim cuncta illi & prouidet, & præſentit, caudáque extrema præmonſtrat, ſingula tum horribilia formidoloſáque inhibet, tum cibaria conciliat, inſidiáſque à piſcatoribus poſitas ſigno quodam oſtendit, atque quem locum propter magnitudinem illum adire non oporteat præſignificat, nequando nimirum irretitum funditus pereat, quod mirum videri debet, minimam beſtiam maximo animali vitæ cauſam afferre. Cum ad pinguitudinē cete peruenit, amplius nec videre, nec audire poteſt, carnium enim moles & videndi & audiendi viam intercludit, & tanquam illius luminibus obſtruit, quare ceti oculus ineptus efficitur ad videndum. quòd ſi is piſciculus quo ad neceſſaria vtitur perit, illi quoque pereundum eſt.

De chameleonte. CAP. XIIII.

CHameleon animal, non vno atque eodem colore ſpectatur, ſed & ſeſe furtim ſubducit, & videntium oculos velut perſtringit, nam nigro colore ſi eum offendis, mutat ſe ipſe, & aliud coloris genus inſtituit, ac ſe cito in viriditatem inuertit, & quaſi mutatione veſtium facta, alius rurſus viſus album colorem tanquam aliam perſonam veſtém ve veluti hiſtrio induit naturam ementitam,

etſi

etsi non veneficijs veluti Medæa quædam, aut Circe iuitus est, tamen præstigijs potens videntium oculis illudere solet.

De pompylis piscibus. CAP. XV.

Pompylus piscis pelagius in ima sede maris versari solitus, vel omnium piscium quos auditione accepimus, maximopere cognoscendus est, is aut terram male odit, aut hæc ipsa illius odio tenetur, sic circum naues altum secantes tanquam amicas concursant pompyli, easque stipat saltantes, & nautæ quidem quantum absint à terra ignorare solent, at ij ex pompyli tanquam canes magna sagacitate propinquam prædam præsentientes, sic terram non longe abesse antè multo sentiunt, idcirco non tanto amplius studio nauium tenentur longius eas vt persequi comitando velint, sed quasi signo ad abeundum sublato frequentes in altum redeunt, vnde nautæ continentē, tametsi fascibus non eam assecuti, sed à pompylis eruditi propinquam esse sentiunt.

De tharando. CAP. XVI.

Ruborem, pallorem, liuorem, homini & bestijs cutem mollem habentibus & minime villosis accedere nihil mirum, Tharando verò animali, cui est tergus impenetrabile & villus vrsorum magnitudine admirabile videri debet, seipsum enim cum villis suis hic vertit, milleque colorum species cum summo videntium stupore reddit, Scythicum animal est, dorso & magnitudine tau-

ro simile, eius corium ne spiculo quidem pene-tra-ri potest.

De remora. CAP. XVII.

E*Chenæis pelagius piscis aspectu niger, longitudine cum mediocri anguila æquandus, nomen à rebus quas agit habet, ab inhibendis nauibus echeneida Græcè scientes appellarunt, nauis secundo vento & plenis velis propulsæ extremam puppim mordicus premens tanquam indomitum atque effrenatum equum freno robusto inhibens violentißime ab impetu reprimit, & constrictam tenet, frustráque ventis vela dantur, frustra venti afflant, quæ res vectores angit ac solicitos vehementer habet.*

Quemadmodum telis confixi elephanti liberantur. CAP. XVIII.

A*Rs & doctrina curandi vulnera apud Homerum per manus vel ad tertiam vsque ætatem traditur. Patroclum Menætij filium Achilles Pelei filius medicinam docet, Achillem verò Chiron erudit, disciplinas nimirum heroes tantum & deorum filij exercebant, & radicum succos, varietates herbarum, vsum pharmacorum, temperationem, cantiones tum inflammationibus contrarias simul & sanguini reprimendo propitias, & alia inuenerunt, quibus quàm natura parum egeat elephantus docet, cùm enim vel hasta vel*

vel sagitta ictus est, oleæ flore vel oleo ipso defixa tela expellit atque huiusmodi ratione ad incolumitatem restituitur.

Quemadmodum fingant suos catulos vrsæ. CAP. XIX.

VRsarum pariendi ratio permira videtur, nam nemo à partu videns tam informem támque rudem fœtum vrsam edidisse, vitalem partum iudicaret, simul enim ac in lucem hæc edidit statim carnem illam nulla vitalis figuræ vestigia, nullámque animalis effigiem retinentem, amore complectitur, catulum agnoscit suum, ac eum in sinu gremióque fouet, & lingua fingit sua, & paulatim in confirmationem quandam sic effingit, vt aspicienti iam catulus vrsæ hic esse videatur.

De bubus Erythreis. CAP. XX.

TAuris omnibus rigida & minime flexibilia existunt cornua, eámque ob rem cornibus perinde armati furibunde appetunt, atque vt homines armis tecti in pugnam descendunt: Erythrei autem boues mobilia similiter cornua vt aures habent.

De Aethiopiæ serpentibus. CAP. XXI.

AEthiopia generat dracones progredientes ad ad longitudinẽ triginta passuum, qui nomen non habent propriũ, sed duntaxat interfectores elephantorũ ipsos appellant, qui ad summã senectutem

perueniunt, verùm huc vsque de sermonibus Æthiopicis. Dicunt Phrygij sermones, in Phrygia dracones procreari longitudine decem passuum, eósque quotidie media æstate hora cum forum hominum conuentu plenum esse solet, & iam prandendum est, ex cauernis procedere, & ad nuncupatum in ponto amnem Rhyndacum cauda ad terram adniti reliquo erecto corpore toto gutture eminente & paulatim laxato ore hiante volucres superuolantes, tametsi sublime & perniciter ferantur, sua aspiratione tanquam amatorio quodam ad se attrahere, ac allicere, eas autem ex horum spiritus ductibus detractas in illorum ventem decidere, atque illabi. & hæc quidem sibi maxime propria ad occidentem solem agere, ac seipsos postea occultantes gregibus ex pastione ad stabula redeuntibus insidiari, multámque perniciem inferre, atque inde prandium sibi abunde comparare.

De procreatione apuarum. CAP. XXII.

Apuæ pisces ex sese nec procreant, nec procreantur, sed è limo enascuntur, cœnum cum in mari concreuerit valde & limosum & atrum efficitur, atque ex sua quadam voluptate mirabili natura & vitali tepescit, atque in permulta animalia nimirum apuas immutatur. eæ autem sic in putrido luto & sordibus tanquam lumbrici generatæ ad natandū maxime valent, tumq;

mirab

mirabili causa quadam ad salutaria impelluntur, eo nimirum vbi ad tegendam vitam perfugia, & ad tuendam propugnacula habeant. hæc autem perfugia sunt scopulosa saxa è terra eminentia, ac in multiplices sinus fremebundorum fluctuum, & saxifragarum vndarum verberatione multo tempore excauata. Hæc ideo abdita eis perfugia natura indicauit, ne salo conuellerentur, ac labefactarentur. debiles enim sunt ad resistendum, & infirmæ contra fluctuum incursiones. nullo cibo ad sese alendas egent, namque ad victum eis satis est mutuo linctu se lambere, retibus subtilibus exiguas maculas habentibus capiuntur.

De lacertorum dissectione. CAP. XXIII.

SI quis seu fortuito lacertum seu consulto in caluaria percutiat, & virga medium discindat, huius partium neutra moritur, sed ab altera seorsum vtraque graditur, & duobus pedibus adrepens viuit, dein si coitio vtriusque cum altera fiat consentione quadam tacita & naturali colligatione velut conseruntur, contexunturque atque ex separatis duabus partibus vnus atque idem rursus efficitur lacertus, & tametsi loci prius affecti vestigium cicatrix indicat, tamen & vitam pristinam retinet, & ei cætera persimilis est, qui talia nunquam perpessus sit.

Quemadmodum viperæ saliua hominis perniciem infert. CAP. XXIIII.

Serpentium venenum cum pestiferum est, tum multo aspidis pestilentius, contra quæ nemo salutaria præsidia facile inueniat, etiam si ad leuationis aliquid afferendum doloribus, atque adeò ad liberandum ab illis ipsis doloribus acerrimis sapientissimus sit venenatis serpentibus incredibiliter pernitiosum venenum in homine: ad hanc rationem deprehenditur. Si viperæ quam ceperis, collum summa cautione contineas, in osque illius diductum expuas sputum in eius ventrem delapsum tanta ei pernicie existit, vt inde ex tabe vipera putrescat, huc accedit hominis morsum vel homini ipsi esse pernitiosum, nullíusque animalis morsui de acerbitate concedere.

De formicis. CAP. XXV.

Actis messibus circum areas versantes formicæ ad trituram conueniunt: singulæ enim aut binæ, aut ternæ domicilia sua relinquentes gradiuntur, triticum legunt, eadem semita iter faciunt, aliæ ad legenda grana eunt, aliæ onus portantes redeunt, ac summo cum honore & modestia aliæ aliis de via decedunt, & multo expeditæ magis onus gerentibus in cauernis granorum aceruos sibi construunt, ac singula semina exterebrant, quod excidit in suum prandium conuertunt, reliquum verò quod deorsum remanet, sterile est, ergo ista generosissimæ œconomiæ, &

custod

custodes formicæ intra cauernam machinantur, ne imbrium fluxionibus integra semina rursus in fruges exeant, & cibi inopiam, & famem inferant, vnde illis labor & sedulitas pereat. hæc igitur sicut alia pleraque natura formicis largita est.

De aquilis. CAP. XXVI.

AQuila nunquam fontium ad potionem eget, nec puluerulentas volutationes quærit, sed & contra sitim superior est, & laboris alleuationem extrinsecus obiectam non expectat, verùm & aquas & requietem præclare contemnens sublime fertur, sursumque in cælestem locum volans ex alto æthere acutißime inferiora videt, cuius alarum crepitum vbi primùm draco auribus perceperit, in latebras statim abditur. Hoc autem indice suorum pullorum ingenuitatem legitimam aquila experitur, eos adhuc implumeis, ac ex ætate infirmos solem intueri aduersum cogit, ac si quis illorum solis radios ægrè intuens nictatione oculos obnubat, eum nido expellit, ac velut adulterinum abdicat, sin autem solem sine nictatione respiciat, extra suspitionem est, atque idcirco inter legitimos adscribitur, quod cælestis ignis est generis incorruptus index.

De magna struthione. CAP. XXVII.

TAmetsi alis penna frequentibus magna struthio prædita est, à terra tamen nec tollitur,

nec in sublime fertur, at celerrime duabus alis explicatis graditur, quas ventus tanquam vela implens propellit, volare autem nescit.

De otide siue tarda. CAP. XXVIII.

OTis ex omnibus animalibus equorum studiosissima censetur, cui rei hoc testimonio est, quod cætera animalia vel in pratis, vel in collibus pascentia aspernatur, equum vero vt aspexerit magno statim cum gaudio ad ipsum aduolans appropinquare pergit, more hominum equini generis amantissimorum.

De musca. CAP. XXIX.

MVsca etsi ad omnia audax existit, si tamen in aquam decidat, nec natare scit, nec ex submersione se seruare quit, si eam humore exanimatam extrahas atque in cinere condas ad pristinam vitam reuiuiscit.

De gallis. CAP. XXX.

SI gallum emptum vel datum velis ponere in cohorte tuarum auium domesticarum non solues temere, aut si feceris fugitiuus statim discedet ad suos domesticos, etiam si longissime exportatus fuerit: oportet igitur ei custodiam apponere, & vincula occultiora quàm Homerica Vulcani, quæ talia esse intelligo, nimirum mensam in qua comedis in medium pones, gallúmque ter circum ipsam mensam ages, deinde ipsum liberũ errare sines cum domesticis auibus, is velut ligatus non discedet.

De sal

De salamandra. CAP. XXXI.

Ex animalibus tametsi salamandra non est quæ igni nascuntur, quales sunt pyrigoni, contra tamen hunc ire audet, contráque illius flammam veniens tanquam aduersus hostem quendam sic eam expugnare aggreditur, cuius rei testimonium fabri, quorum opera atque artificium igne nititur, afferunt: nam quamdiu eis ex flammæ splendore ignis flagrare, eorúmque artem fabrilem adiuuare videtur, huiusmodi animal magna securitate ipsi negligunt, cum autem ignis euanescit, ac restinguitur, frustráque folles flant, hoc sibi tum animal aduersari præclarè intelligunt, quare hoc ipsum vestigant, inuestigatum vlciscuntur, ignis autem postea iterũ succensus fabrile opus modo vt antè erat solitus alatur, iuuare perseuerat.

De cycni cantu. CAP. XXXII.

Cycnus, quem Apollinis famulum scribunt poëtæ, & ij etiam qui oratione soluta vtuntur, alioqui quantum valeat cantu dicere nescio, creditur autẽ ab ijs qui superiori tempore fuerunt, Cycnæum illum ita nuncupatum cantum canere ante mortẽ. Honorauit ipsum natura, magis quàm bonos & probos homines, idque iure, siquidem hos laudant, & lugent alij homines.

De crocodilo. CAP. XXXIII.

Crocodilus qua magnitudine sit, quando est iustæ magnitudinis, & quando est ex ouo

exclusus, item linguam habeat necne, & vt maxillam alteram moueat multi scribūt, alij animaduerterunt hoc animal quot oua pariat, & vt excludat ex illis suos fœtus, ego vero audiui, vt cum moritur crocodilus scorpius ex illo nascitur, cuius cauda aculeum habeat veneno refertum.

De aue Cinamomo. CAP. XXXIIII.

SI certa sunt hæc & minime dubia, Indorum ex sermonibus petendum est quæ nunc dicam fama illinc deportante, hæc sunt eiusdem nominis, qua est planta, auem Cinamomū *audiui, illinc plantam gentilem suam afferre ad Indos, vbi vero & quomodo nascitur hæc planta, homines nihil scire.*

De ibe. CAP. XXXV.

AEgyptij non ex humano inuento clysteres se didicisse, sed ibim horum ad deijciendas aluos vsum sibi & medicinam docuisse prædicant, eam cum luna decrescit atque recrescit, cognoscere audio, ex lunæque accretione viuendi rationem augere, ex decretione diminuere.

De aculeo pastinacæ. CAP. XXXVI.

EX omnibus bestijs infestissimo, ac periculosissimo aculeo pastinaca prædita est, cuius rei testimonio est, si eum in arborem virentem & florentem infixerit, non longo interuallo emarcescere differt, sed potius e vestigio exsiccetur: idipsum facit in animalibus, nam si quod contigerit, necat.

lib. 8. c. 25

De

De mure araneo. CAP. XXXVII.

Mus araneus syluarum alumnus, quantum per loca arboribus consita pergit, viuere potest munere naturæ, sed si alibi forsitan erret, perit. si in orbitam inciderit, tanquam vinculis capitur ac moritur. ei qui ab eo sit morsus remedio est, terra ex orbitarum transitu sumpta, eáque simul vt vulnus aspersum sit, statim sanatur.

De ibibus. CAP. XXXVIII.

Ibis lunæ sacra est, ad lunæ rationem oua fingit tot diebus oua excludit, quot luna crescit, & minuitur, extra Aegyptum nunquam progreditur. Cur ex Aegypto nunquam decedat, causa est cæli status vuidus Aegyptiaci, & luna omnium maxime stellarum inerrantium humida, si quis vi atque impetu eam ab Aegypto exportet, illa quidem ex insidiatoribus vltionem capit, vel cum magna sua pernicie: mortem enim sibi fame cōsciscens, raptoribus studium in se exportanda extra Aegyptum vanum esse ostendit, graditur autem magna tarditate, nec eam ocius quispiam ingredi videat quàm molli gradu, & tardo more lautarum mulierum. Ibes nigræ volucrium anguium cateruas pestilentes intra Aegyptios fines ingredi prohibent, & pro terra sibi amica propugnantes, illud vniuersum agmen interficiunt atque consumunt, aliæ verò ibes ex Aethiopia Nili alluuionibus serpentes Nilum appetentes conficiunt, eorum conati-

bus obuiam euntes, quæ causa prohibet Aegyptios ex accessu serpentium perire.

De aquilis. CAP. XXXIX.

AQuilarum genus quod alij chrysæton, alij stellarem appellant, non sæpe apparet, eius generis aquilam Aristoteles venari ait hinulos, lepores, grues, anseres, ex cohorte aquilarum maxima hæc existimatur. In Creta vi tauros inuadi ab ea solere in hunc modum narrant, interea taurus se cùm abijcit ad pastum ex insidijs aquila in ceruicem inuolans, crebras illi ac acerrimas plagas rostro infligit, ille tanquam asilo excitatus primum incenditur ad cursum, deinde qua potest se in fugam confert. quandiu in plano, & stabili loco fertur, ab aquilæ molestia requiescit, ea nimirum quo ad in planitiem excurrit nihil ei negotij exhibet, at quieta volans illum acerrime obseruat, quacunque ingreditur, cum illum proxime ad præcipitem locum, ac decliuem accessisse videt, explicatis in orbem alis illius oculos quatit, & ea quæ ante pedes sunt nihil illum prouidetem magna vi præcipitem agit, laniatúque ventrem appetens, quantum eius cupiditas fert, nullo deinde negotio præda potitur. Ab aliena præda se continet: nihil enim tale, etsi humi iacet, attingit, sed ex suis laboribus gaudet, atque à communicando cum alijs se sustinet. Posteaquam expleta, atque exsaturata est, sua aspiratione & graui, & tetra reliquias imbutas relinquit, alijs

iam

iam ad vsum ineptas.aliæ ab alijs longißime nidificant, ne mutua ex loci propinquitate de præda contendant,& molestia inter se afficiantur.

De aquilæ amore erga suos nutritios & suos pullos. CAP. XL.

VNum genus aquilarum est,quod in nutritios suos admirabilem charitatem retinet, cuius rei exemplum est aquila Pyrrhi, quam ab omni cibo se prorsus abstinentem mortuo domino suo immortuam fuisse ferunt,quod idem alumna viri priuati fecisse dicitur, sese nimirum in medios rogos cum dominus cremaretur immisit. sunt qui dicant non viri sed mulieris alumnam fuisse.Ex omnibus animalibus maximo studio in fœtus suos existit, quare accerrimo odio eum persequitur,quem in nidum inuasisse conspexerit, non inultum, impunitúmque dimittit, nec ad repetendam pœnarum moderationem quandam rostro vtitur, sed illum alis verberat,& vnguibus lacerat.

De mullo pisce. CAP. XLI.

MArinus mullus piscis est,ac edacißimus,omnia sibi obuia promiscue immodesta quadam intemperantia helluari cupit, horum nonnulli saxatiles appellantur, à locis quæ incolunt nomen trahentes, quæ quidem loca habent minuta saxa, crebrásque algas inter hæc interiectas,ac intermedias vbi subsidet limus vel arena. hominum, & piscium cadaueribus vescitur, & sordidißimis,

maléque

maléque olentibus delectatur.

De accipitribus. CAP. XLII.

Accipitres non minus quàm aquilæ ad aucupandum habiles, neque magnitudine aquilis inferiores. De auibus longe hominum studiosissimi habentur. Eos in Thracia auditione accepi ad hanc rationem cum hominibus per paludes societatem aucupandi coire, homines explicatis retibus quiescere, accipitres autem superuolantes exterrere aueis ac intra retia compellere. Thraces si quas ceperint aues cum accipitribus partiri, eósque tum ad aucupij societatem fidos habere, sin cum his earum partem quas ceperint auium non communicauerint, dissociari, atque distrahi, iustæ magnitudinis accipitres, & integræ ætatis cum vulpibus pugnaciter certare, & sæpenumero contra aquilas, & vultures pugnare, à cordibus tanquam sacro quodã initiatis se sustinere, nunquam enim auium corda tanquam religione quadam constrictos edere. Hominem mortuum si inhumatum prospexerint, iniecta gleba humare dicuntur, etsi illos hoc ipsum Solon sicut Athenienses non facere institue rit, quod si corpus tetigerit ieiunus manet, neque si vnus tantum aquam in sulcum deriuet aquam gustat, quod sane existimet illi vnico homini incommodare, sua nimirum potione aquam ex illius vsu auferens, sin plures homines irrigẽt videns affluentis aquæ copiam, velut ab eis inuitatus libẽter bibit.

De accipitribus tinnunculis. CAP. XLIII.

Accipitrum genus quod nominatur cenchris nulla eget potione, aliud ipsorum genus est quod montanum appellant, vtrunque ardenti in fœminas amore inflammatur, moréque hominum amatoria leuitate flagrantium semper sectando eas in oculis fert, siquo clam fœmina abscesserit, ex eo maximum capit dolorem & clangorem fundens vastum exclamat, vtique homines vehementer amantes ex amore vexantur, perinde amatorijs molestijs affligitur. Cum ex oculis laborat syluaticam lactucam euellit, eiúsque acerrimum succum expressum suis oculis imponens ad sanitatem restituitur: hoc vti medicamento ad sanandos oculorum dolores, medici dicuntur, vnde oculorum medicina hieracia quasi accipitraria appellatur, vnde videre licet homines se auium discipulos profiteri, atque etiam præ se ferre non vereri. sacrilegum medicum Delphis, cum in eum incurrrisset accipiter eius caput conuellens indicauit, itémque nothi accipitres esse creduntur qui censentur in genere aquilarum, ineunte vere delecti ex omnibus duo in Aegyptum allegantur, ad speculandas insulas quasdam desertas quæ Libyæ adiacent, ij autem vbi reuerterint præeuntes eò alios deducunt, quibus duobus cæteri peregre illius profectionis festum agunt, cum ad eas insulas peruenerunt, quas illi duo speculati commodiores sibi iudicarunt, hîc in multa quiete

&

& tranquillitate pariunt & excludunt, passerésque venantur, & columbas pullos in magna redundantia alunt, deindéque firmos ad volandum in Aegyptum abducunt tanquam ad paternas sedes.

De iulidibus piscibus. CAP. XLIIII.

IVlides pisces saxatiles sunt, quibus os veneno refertum est. quemcunque piscem degustarunt inhabilem ad edendum perniciosumq; ei qui postea gustauerit efficiunt, piscatores cum squillam quam media ex parte iulides exedissent, & confecissent sine vllo pretio parabilem offendissent, cúmque inopia pressi gustare ingressi essent illorum aluos vehementes cruciatus exceperunt. in piscatu vrinatores & natatores infestissime persequuntur, ac vt terrenæ muscæ mordicus prement similiter iulides frequentes in eos, quos dixi incurrentes morsu affligunt, quas repellere necesse habent, aut ab his demorsi cruciabuntur, in quibus repulsandis totus vrinandi, & natandi labor perit.

De lepore marino. CAP. XLV.

LEpus marinus mortẽ sæpe infert, aluum acerrimis doloribus torquet, partum abigit, stomachum dissoluit: in cœno gignitur, & sæpe vnà cum apuis capitur, specie cochleæ tegmine nudatæ cernitur.

De vulturibus. CAP. XLVI.

IN hominum cadauera vultures infestissimi feruntur, in quæ incurrentes tanquam hostilia inuadunt

uadunt, ac hominem vicinum ad moriendum quãdo supremum vitæ diem agat diligenter obseruant, expeditos in bellum exercitus præsentione quadam consequuntur, planè scientes, & quòd ad bellum proficiscuntur, & quòd omnis pugna stragem edere solet: vulturem non nasci marem aiunt, sed fœminas omneis generari, quam rem non ignorantes hæ bestiæ, pullorúmque solitudinem, ac inopiam timentes ad gignendos pullos talia machinantur, aduersæ austro volant, vel si auster non spiret ad Eurum ventum oris hiatu se pandunt, spiritus venti influens ipsas implet, dicunt vultures non indificare, vultures vero qui sunt medij inter vulturum genus & aquilarum esse tum mares, tum nigros colore, quorum quidem nidos reperiri audio, attamen oua eos excludere non existimo, sed pullos potius parere, eósque statim à partu volatiles esse intellexi, vulturibus vnguentum perniciem infert.

De miluis. CAP. XLVII.

Miluus in rapinas faciendas eminentissimus si superior extiterit, carnes è macello rapacissime aufert, ex olympiæ tamen aris eas nunquam attingit, harpa auis montana impetens oculos effodit.

De coruis. CAP. XLVIII.

Aegyptij corui Nilum accolentes nauigatibus quasi supplices esse videntur, sibi quippiam

elargiri efflagitantes, quod eis si quid dono detur petere cessantes nihil molesti amplius sunt, sin autem horum quæ postularint nihil impetrauerint in nauis rostro insidentes insequuntur nautas, funes arrodunt, ac vincula conscindunt, corui Libyci sese inclinantes rostrorum aduncitatem quoad possunt in vasa intendunt, atque inferunt, quæ homines sitis metu aquæ compleuerant ac ne corrumperetur supra tecta ad seruandum aeris beneficio aquam posuerant, itaque potione fruuntur, cum aquam deficere vident, calculos ore & vnguibus apportantes, in vasa inferunt, atque calculi quidem in fundum detruduntur, ac desident, aqua vero de vasis fundo ex subsidentium occupatione calculorum alleuata, superiorem vasis vacuitatem replet: qua solerti machinatione corui aquam contingentes, potione referciuntur, non ignorantes, quæ sunt penitus in media philosophia recondita atque abdita vnum & eundem locum duo corpora capere non posse, quantum cum sterili ager ferax differat, plane noscunt: in vberrimo enim gregatim feruntur, per sterilem agrum & infructuosum bini volare assolent, fœtus suos nutritos, & ætate procedente firmos, acriter insectantur nidóque expellunt, quamobrem filij corniculi deinde ea quæ sunt ad viuendũ necessaria inquirũt, genitoresq; suos minime alunt.

De piscibus venenatis & de pastinaca marina. CAP. XLIX.

Gob

Gobio, draco, hirundo pisces marini pungendo venenum emittunt, minime tamen mortiferum, pastinaca sæpe aculeo mortem infert. Leonides Byzantius hominem piscium naturam, & discrimina ignorantem è reti ait pastinacam arripuisse, putabat infelix ille rombum esse, simulque vt illum rapuisset in sinum suum abdidisse, clamque se subduxisse tanquam quiddam lautum, & pretiosum nactus fuisset, vbi pastinaca ex compressione dolere cepisset, aculeo eum qui se diripuisset confixisse, atque infelicis furis viscera perdidisse, furem autem prope pastinacam proiectum iacuisse: quod maximo argumento fuit illum naturæ imprudentem fuisse, piscis quem contigisset. In mari rubro gobij duorum, & sæpe trium cubitorum nascuntur.

De corui audacia. CAP. I.

Coruus aquilæ nihil de animo concedit, quo minus quàm hæc audax sit, non enim solùm contra pusilla animalia aquila venire audet, sed & contra asinos, & boues pugnat, quorum in ceruicibus confidens eos percutit, ac multorum effodit oculos, cum etiam robusto æsalone decertat; si quod animal contra vulpem pugnare animaduerterit subsidio ei venit, amicitia adductus, quæ illi cum vulpe intercedit, atque vlciscitur. Maxime omnium auium multos elan-

gores, & varias voces fundit, nam institutus cum humanam mittit, tum eius locutio alia quædam est ludentis, alia longe serio agentis, si enim quod pertineat ad Deum agit, hic tibi sacrumquippiam & diuinationis plenum loquitur, & quod æstiuo tempore alui relaxatione se laborare plane sciat, idcirco ab humidis cibis se continet.

De animalium partu, & de delphino, & balena. CAP. LI.

ARistoteles animalium dicit alia esse viuipara, alia ouipara, alia vermes parere, animalia autem homines generare, & reliqua quæ pilo teguntur, & cetacea branchias non habere, sed fistulam vt delphinum, & balenam.

De bubus Mysiæ, & Scythiæ. CAP. LII.

APud Mysios boues cornuum expertes sunt, non item in Scythia, vbi minime cornibus boues mutili sunt, nec mihi molestius quippiam esse debebit, quod contrà scribam atq; Herodotus, cum ait, bubulo generi non esse in Scythia cornua.

De scarorum cibo. CAP. LIII.

DE marinis piscibus solum Scarum similiter vt ouillum pecus & bubulum ruminare audio.

De mustello marino. CAP. LIIII.

MVstellus piscis cum timet de suis fœtibus eos ore recipit, & rursus eadẽ via eosdem reuomens iterum viuos, & incolumes parit.

De mur

De murium iecore. CAP. LV.

Coitu recrescente luna muris iecusculum mirabilem in modum sibi fibram quotidie quandam progignit vsque ad plenilunium, deinde luna decrescente fibræ pariter decrescunt, ac in vnum corpus extenuatæ paulatim euanescunt.

De ranis. CAP. LVI.

IN Thebaide cum grandine pluit mures in terra apparere audio, qui partim etiam nunc cœnum limosum, partim iam caro existunt, cum Aelianus ex Italica Neapoli Puteolos iter faceret, ait se ranas perspexisse, quarum pars quæ ad caput pertinet repebat, & duobus pedibus agebatur, altera nondum conformata concretioni limosi humoris similis trahebatur.

Quòd ex bubus apes nascantur. CAP. LVII.

BVbulum genus plurimas commoditates habet, homines enim ex eo infinitis commodis afficiuntur, primum cum hominibus boum societas rei rusticæ, & vectionis variorum onerum communitas intercedit, deinde lactis ex hoc magna vtilitas percipitur, aræ exornantur, ac hominum conuentibus epulum copiosissimum præbetur, bos mortuus generosa quædam res, & dignitatis plena existimanda est, quòd apes ex ipsius reliquijs enascuntur, animalia operosissima, fructumque vtilissimum, & suauissimum homini comparantia.



AELIANI LIBER tertius historiæ animalium.

De Maurorum leonibus. CAP. I.



Cum homine Mauro & aliarum rerum communitatem quandam habet, & aquam de eodem fonte bibit, hunc audio cum venandi ratione falsus fame premitur, Maurorum domos adire, ibi si vir adsit illum ab ingressu prohibere, viq; procul arcere, sin domo is abfuerit, & sola mulier ad domum tuendam relicta fuerit, hanc obiurgatorio sermone illum vt ne vlterius pergat inhibere, illiq; ita moderari vt is contineat sese a progrediēdo & minime famis immanitate efferuescat: intelligit sane leo vocē Maurisiam. verborum quibus mulier leonem increpat, huiusmodi sensus perhibetur, Non te pudet cum sis leo omnium animalium rex, ad meum tuguriolum vti pabulum tibi concilies, mulieri supplicatum venire, vicéque hominis corpore male affecti in muliebres manus respicere, vt muliebri misericor-

dia

dia dignatus,quæ tibi opus sunt assequaris,quem potius in montibus ad captandos ceruos, & bubulos, aliáque animalia quæ ad leonis pastum pertinent exerceri?non autem more caniculi infelicis victum quæritare oporteret. his quasi cantionibus mulieris leo excantatus afflicto animo, & verecundiæ pleno sensim oculos in terram deijciens, iustis rationibus victus discedit, neque vero cum equos & canes ob cõuictus communitatem minaces hominum sermones intelligere, & timere videamus, mirum videri debet si leo Mauros homines intelligat, & vereatur. Cui rei testimonio sunt pueri eorum infantes,quos simili atque catulos leonum, æqualisq; victus ratione vno edémque tecto alunt, quamobrem leones Maurisias voces intelligere posse nec incredibile, nec præter opinionem existimandum est.

De equis Libycis & Medorum.

CAPVT II.

DE Libycis equis hæc ex hominibus eiusdem gentis audiui, equorum velocissimos esse, nullo laboris sensu affici, ex habitus tenuitate, & gracilitate, macillentos totos esse, ex sese aptos existere ad fortissime sustinendum dominorum negligentiam, pabulum enim eis non largiri,nec eos cum laborauerint strigili perfricari nec eis cubilia substernere, nec vngulas expurgare, sed simul atq; iter institutum confecerunt, ex equis desilientes

hos ad pastiones dimittere, atque ita homines Libycos grandi macie confectos, & squalore sordidos, huiuscemodi equis vehi, Medos contrà homines habitu corporis opimo, & luxu similiter atque illorum equos diffluentes adeo nitescere, vt pariter cum dominis equos & magnitudine corporis, & pulchritudine, atque adeo lauto extra corpus cultu videntur delectari, & sentire magnitudinem suam, & pulchritudinem. Hæc mihi de canibus è natura loci dicere nunc venit in mentem. Cretica canis est expeditissima, saltúque maxime valet, vt Cretenses testantur, & fama peruagatur. Ex canibus maximi animi est Molossus, quia acriter animosi sunt Molossi viri. Carmanius vir & canis eiusdem nationis animo agresti, ac adeo duro, inmansueti, ac feri existimantur, vt natura mansuescere non queant.

Quòd sus non nascitur in India. CAP. III.

HOc etiam ad naturam animalium pertinet, quod Ctesias ait, nullum suillum pecus nec agreste, nec domesticum in India nasci, idémque tradit, apud Indos ouillæ caudæ latitudinem cubitalem esse.

De formicis Indicis. CAP. IIII.

FOrmicæ Indicæ aurum custodientes nunquam transeunt nũcupatum Campylimum fluuium, cum his formicis habitantes appellantur & re vera sunt populi Issedones.

De di

De diuersorum animalium natura, testudinis, columbæ, perdicis. CAP. V.

CVm testudini serpentem comesse contigerit cunila adesa, protinus extra periculum veneni est, quod alioqui statim ab esu hanc funditus sublaturum erat. Columbas ex auibus maxima esse pudicitia, ab omníque adulterio castissimas esse percepi. nunquam enim ex societate inter se institutæ neque mas nisi morte ipsa vxoris distrahitur, neque fœmina dissociatur nisi vidua fuerit. Perdices autem ad veneris libidinem intemperantissimæ sunt, ob eámque rem sua oua perdunt, ne fœminæ suæ occupationibus incubandi ac ex ouis pullos excludendi impeditæ operam sibi ad rem veneream dare non possint.

De lupis flumen traiicientibus. CAP. VI.

LVpi fluuios transmittentes, ne vi fluctuum, atque impressione funditus euertantur, stabilitatem ac firmitudinem sibi è natura sua constituentes ex vndarum tempestatibus se seruant, & flumina quæ transiri non possunt ad traiiciendum facilia hac machinatione efficiunt, caudas nimirum inuicem mordicus tenentes resistunt ad perferendos fluctus, nullóq; negotio tutissimè transnant.

De diuersorum animalium repugnantia.
CAPVT VII.

ASinæ nullas tineas alere dicuntur, hyenæ vmbra canes obmutescere facit, odorum, &

vnguentorum suauitas vulturibus mortem affert, olori autem cicuta perniciem infert, quantum vero camelum equus reformidet, Cyrum & Crœsum cognouisse aiunt.

De equa. CAP. VIII.

E*Quæ matres cum pullos suos ante relinquunt quàm perfecte aliti sint, eos tanquam à parentibus orbos aliæ fœtæ, illorum orbitatem miserantes vnà cum pullis suis enutriunt.*

De amore cornicis & eius repugnantia cum noctua. CAP. IX.

A*Manter mutuam inter se fidem seruant cornices, cùm semel societate inter se coierunt, quam non temere nec licenter instituunt. Quod si alterutra moriatur, alteram quæ ei superest vsque ad extremum vitæ diem viduam permanere, harum rerum absolute periti dicunt. In nuptijs olim veteres audio post hymenæum cornicem inuocare solitos fuisse, hocque concordiæ signum dare ijs qui liberorũ quærendorum gratia conuenissent dedisse; qui vero sedes auium & volatus obseruare solent, eas inauspicatas aues captantibus auguria portendere res tristes dicunt; quibus noctuæ infestißimæ noctu illarum ouis insidias moliuntur, cornices contrà interdiu eodem modo noctuarum ouis insidias faciunt, non ignorantes earum oculos ad videndum de die habetes esse.*

De her

De herinaceis. CAP. X.

Tyrrhenus herinaceus eorũ quæ ad vitæ vsum pertinent natura sua nec imprudens creditur, nec imperitus comparandorum, & condendorum in hiemem fructuum. Plane enim nouit non omni tempore percipiendorum tempestiuitatem fructuum datam esse, quare seipsum in locis vbi pomorum aceruí constructi sunt volitans, hirsutus suis spinis aculeatus transfixa portat non pauca in thesaurum cauernarum, in quas condita, atque abdita seruantur, vnde promere queat, cùm nulla ex parte extrinsecus fructus colligi queunt.

De crocodilo & trochilo. CAP. XI.

Cum his qui sibi adiumentũ importare queunt etiam acerrime fera animalia pacem gerunt, & fœdere deuinciuntur, ingenitóque sibi malo se exsoluunt, cuiusmodi crocodilus censendus est, in quem inter natandum hiantem hirudines innatantes illum referciunt, cum ei molestiam exhibent, id ille sentiens trochilo ad medicinam dolori suo faciendam eget. Itaque hirudinibus vbi confertus est, ad littus progressus solis radios intuens aduersos maxime hiat, tumque trochilus in illius fauces rostrum inferens hirudines extrahit, quod facillime patitur crocodilus sentiens auxilium, ita fit vt hirudinibus prandeat, ille adiuuetur, prόque præmio trochilo computat, quòd nihil eum lædat.

De mon

De monedulis. CAP. XII.

MOnedularum se beneficiarios existimant Thessali, Illyrij, Lemnij, ob eámque rem his victum vrbes publice præbēdum esse decretum fecerunt, qui locustarum fruges vastantium oua perderent, earúmque sobolem perimerent, vnde magna ex parte locustarum multitudo veluti in nubem coacta minuebatur, frugésque incolumes ad tempestiuitatem perueniebant.

De gruibus. CAP. XIII.

GRues in Thracia nascuntur vbi hyems solet esse atrox, & tempestas perfrigida, idcircóque eam quòd ibi ortæ sint amore prosequuntur, in qua æstiuo tempore patriæ sedis studio captæ ætatem ducunt, medio autumno salutis ergo frigoris vim non sustinentes tanquam terræ ambitum, cæli mutationem temporúmque varietatem scientia, & cognitione comprehenderint, frequentes in Aegyptum, Libyam, ac Aethiopiam proficiscuntur, cùm illic hibernum tempus traduxerint: lætissimíque dies, ac tranquilli illucescere cœperint, retro ad Thraciam versus gradiuntur, itineris iam experientes duces ad volatum constituunt eas, natu grandiores vero proximæ sunt: eiúsque modi ad regendum extremum agmen deligunt, minores natu mediæ sunt, secundos ventos, & retro flantes obseruare norunt, duce ad iter, & impulsore ad pergendum vtuntur: trianguli figuram efficiunt,

vt

vt hac forma facilius aëra aduersum secent, ex triquetra figura sexangulam aliquando edunt, vt aëra facilius pellentes iter expedire possint, atque more regis Persarum æstiua ac hiberna conficiunt, cuius homines admirabilem sapientiam ad deprehendendam cæli commoditatem existimant, illásque vltro citróque fusas migrationes ad Batana peruagatas prædicant. Cùm sese ab aquila impeti perspiciunt, in orbem consistunt, & contractæ in sinum, falcatæque existunt, atque ordinatim tanquam in aciem structæ speciem pugnæ ostendunt, quare aquila regreditur, eæ autem ad tergum præuolantium collis & capitibus adnitentes nonnullam requietem laboriosi volatus capiunt, itaque laborem facilem efficiunt. In longissimis terræ tractibus noctu reliquæ omnes somnum capiunt, tres aut quatuor ad reliquarum custodiam aduigilant, & nè somno opprimantur cum operoso labore ac molesto stant, nempe lapillum summa cautione sublimi pede còtinent, vt si quando somnus obrepserit, edito strepitu ex lapilli casu expergiscantur. Lapis quem deuorat vt eo tanquam saburra firmentur volantes, auri index est, quem postquam eo vbi habitant se applicauerunt, reuomunt. Eas nauta cum videt gyros agere, subindéque reuolitare in medio maris, intelligit contrarijs ventis impellentibus illas ab itinere instituto absistere, auium discipulus factus ad portum renauigat, & nauem incolumen seruat earum

rum gubernandi rationem hominibus regendi resp. doctrinam dedisse ferunt.

De columbis. CAP. XIIII.

IN *vrbibus columbæ cum hominibus frequentes habitant, seque ad pedis horum huc & illuc magna mansuetudine, & facilitate versant, in locis autem vbi ab hominum frequentia solitudo est, propinquitatem hominum minime expectantes aufugiunt, in multitudine hominum confidentiores sunt, seque nihil ibi graue passuras plane sciunt, vbi aucupes, venatoriaque instrumenta versari vident, non amplius sine summa ibi formidine habitant.*

Quemadmodum suos fœtus tuentur perdices. CAP. XV.

PErdices *cum sunt vicinæ ad pariendū, aream molliter puluere substernunt, atque fruticibus, & surculis circumsepiunt, contextus areæ cauus est, & ad incubandum accommodatus: cum enim puluerem infuderunt, & molle quidam velut cubile effecerunt, idipsum ingrediuntur, post sese desuper fruticum inuolucris occultantes contra auium rapacitatem, hominumque insidias in multa pace incubant, non vni loco oua committunt, sed quasi migrantes ea in alium locum important, in magno enim timore sunt, nequando deprehendantur in eodem loco diu commorantes. Itaque alio loco nidificantes rursus pullos etiam nunc teneros inuehunt, fouentque, & suis alis tepefaciunt, pennisque tan-*

quam

quam fasciolis quibusdam inuoluunt, non eos quidem lauant, sed puluere respergentes nitidos efficiunt. Si quem perdix progredientem, sibique insidias & suis molientem conspexerit, ad illius pedes se prouoluens spem ostendit sic abiectum se capi posse, tum quidem auceps inclinat se, atque in prædam quam se putat habere in manibus incumbit, ille vero sese conuoluens pedetentim elabitur, cúmque illum à nido auertit, ac abduxit, vanúmque ipsius laborem se elusisse sentit, magna iam fiducia venatorem oscitabundum relinquens euolat, atque ab insidijs tuta pullos appellat, hi maternam vocem agnoscentes eo aduolant. Cum ex sese oua paritura est, occultè latens vspiam, maritum fallere conatur, ne eius oua frangat, quoniam eo ille vsque libidinis insania flagrat, vt matrem alendis liberis operam nauare non permittat, adeò perdicum genus libidine furit, vt cum fœminæ incubaturæ ipsos reliquerint, mares animo inflammato concupiscentes res venereas vehementer inter se ira incendantur, mutuáque verberatione acerbissime affligantur, victusque fœminarum vice venerem patiatur, turpíque libidine vsque quasi pædicetur, quo ad ipse quoque victor alterius, eandem flagitiosam libidinem in victum exerceat. perdices auium, & ciconias, & palumbos vulnere accepto origanum imponentes ad sanitatem redire, neque hominum vlla medicina vti habere necesse, septem diebus

nidum

nidum contexunt, septem consumunt in pariendo, septem pullos nutricantur.

De inuidis bestiis. CAP. XVI.

TRiste esse nomen inuidiæ, omnique dedecore infame Euripides inquit, quod etiam in nonnullis animalibus rationis expertibus habitat, penitusque inhæret. Stellio enim, vt Theophrastus ait, simulatque senectutem membranam hybernam exuit, eam vorans consumit, ob inuidiam ex qua laborat aduersus hominem, quod suam tunicam illam plane scit contra comitiales morbos plurimum valere; ceruus item non inscius dextrum suum cornu vsui magno hominibus esse, hoc ipsum inuidia flagrans, ne tanto bono homines fruantur in terram occultat. Equa pariter non ignorat se vna cum pullo amoris veneficia parere, idcirco simul atque editus pullus est id agit, vt carunculam in pulli fronte innatam magnitudine caricæ colore nigro hippomanes appellatam voret: hi autem qui per præstigias, & captiones mulieribus illudere solent, vim aiunt quandã alliciendi ad libidinẽ atq; amatoriam flammã excitandi habere, eamq; ob rẽ equã furens inuidia non homines has præstigias permittit assequi. Vitulus marinus suum coagulum mortalibus inuidens, ne eo comitialis morbi sanari possint deuorat.

De physalo pisce maris rubri. CAP. XVII.

IN mari rubro sinu quidẽ Arabico piscem Leonides Byzãtius gigni dicit cobio ætatis perfectæ

non minorem, habere autem ipsum neque oculos, neque os more piscium, branchias autem sibi agnatas esse, & formam capitis coniectari quidem posse, at expressam non esse, infra nimirum in ventre formam quandam leniter contractam in sinum apparere, quæ smaragdi colorem reddit, hanc ei oculorum loco, & oris esse aiunt. Quisquis hunc gustauerit, sentiet se magno malo suo expiscatum illum fuisse, nam statim ut gustauerit, acerrimis doloribus premitur, deinde illius venter cum extrema illius vitæ pernicie disrumpitur: veruntamen & is tanti mali si semel capiatur pœnas pendit, cum primum est extra aquam inflatur, & si eum tetigeris, magis & magis intumens exardescit, túmq; si quis eum assidue moueat, præ siti totus perlucet, & tanquam morbo inter cutem laborans denique disrumpitur, si quis hunc etiam nunc viuentem in mari velit reijcere is supernatat more inflatæ vento vesicæ, quocirca ex affectu Leonides ait physalum appellatum.

De phocæ inuidia. CAP. XVIII.

Vitulus marinus, ut audio, suum lac exsuggit ne morbo comitiali affectis remedio esse possit, inuidum enim sane animal est vitulus marinus.

De plateis & laris. CAP. XIX.

Pelecanes quæ alio nomine plateæ siue plataleæ appellantur, fluuiatilibus conchis se com-

plent, eásque cùm stomachi calore concoxerint, euomunt, atque ita testis iam alui calore diductis eligunt, ex his quæ sunt esculenta. Lari aues, vt Eudemus scribit sublimeis cochleas surripiunt, ac ex alto præcipitantes magna vi ad saxa allidunt, itaque esculenta testis seiunctis eligunt.

De leone, vrsa, & fabro materiario. CAP. XX.

IN Pangeo Thracio monte Eudemus ait vrsam quæ leonis lustrum non ignorabat vacuum esse ab defensoribus, huius catulos, qui per ætatem se nondum tueri quirent interemisse: mox parentes cum alicunde ex venatu reuertissent, & cũ etiam leunculorum cædem factam vidissent, acerrimo vt par erat dolore pressos vrsam insecutos fuisse: hanc verò summo cum metu quantum potuit itineris contendentem in primam quamque arborem conscendisse, ibíque vt ab illorum insidijs declinaret consedisse, eam autem illi cum se viderent vlcisci nequire, lænam quidem continenter summa diligentia ad arboris truncum insidias molientem excubasse, sursumque versus intentis oculis sanguinariam aspexisse, leonem vero similiter atque hominem ex liberorum morte mœrentem, longe latéque summo cum dolore totis montibus errasse, dum materiarium fabrum offendisset, cuius è manibus magnopere exterriti securim vbi is excidisse perspexisset, sese attollens illum blande, & suauiter amplexabatur, linguáq; illi faciem abstergebat, quam

benig

benignitatem homo sentiens suis rebus fidere cœpit. Leo hunc cauda amplexatus ducebat, neque securim quæ huius è manibus effluxerat, illum relinquere permittebat, sed pede suo securim tollendam esse ostendebat, cum eius significationem homo non intelligeret, securim leo ore accepit, mordicúsque tenens illi porrexit, ac denique eum ad lustrum suum vbi constrati catuli iacebant, perduxit, id quod lena videns ipsa quoque ad eos profecta homini significabat cladem miserabilem respiceret, atque postea sua significatione hunc impellebat suspiceret vrsam, vnde homo coniectura assecutus aliquam hos ex hac grauem iniuriam accepisse, omnes neruos contendit ad excindendam arborem, quam cum euertisset, vrsam præcipitem in terram delapsam feræ distraxerunt: hominem autem illæsum leo reduxit in locum, vbi prius ei occurrisset, atque materiæ quam principio cædebat illum inuiolatum reddidit.

De ichneumone & aspide. CAP. XXI.

AEgyptiarum pugna ferarum eiusmodi est aspidis & ichneumonis, hic non inconsulte nec temere in bellum descendit neque illa trepidantius, timidiúsque certamen init, ille tanquam vir omnibus armis septus in luto volutatur, ac agglutinati luti operimento obducitur, sicque postea iustis armis se tectum arbitratus in certamen

venit, si lutum desit aqua se alluens, seq; in altum madidúmque sabulum abijciens, ex improuisis rebus ac fortuitis arma ad tutionem sui & ingeniose comparat, continuóque cum capitali aduersario depugnat, summas autem nares suas teneras, ac valde ad aspidis morsum faciles suæ caudæ flexu septus tuetur, si eas aspis assequi possit, hostem debellauit, sin minus assecutus fuerit, frustra dentes contra lutum exercet: contrà autem ichneumon illi anteuertens, si ex inopinato fauces comprehenderit illam strangulat, quocirca tota victoria cum sit posita in anticipatione, victor existit, qui morsibus alterum præuerterit.

De ciconiis, & herodiis, & pelicanis.

CAPVT XXII.

MAgna cura ciconiæ exacta ætate parentes alunt, & si humanis hoc facere legibus nullis iubentur, sed sola bonitate naturæ ad id impellantur. Iidem parentes amanter suos fœtus curare dicuntur, cuius rei hoc testimonium est, quòd pullos qui per ætatem è nido nondum euolare queunt, cùm aliunde ad eos alendos cibum comparare nequeunt, esculenta quæ prius ederant euomunt, atq; in educandos fœtus conuertunt, & ad volandum pullis imperitis duces sunt. Herodios & pelicanos similiter facere audio, pariterque ciconias cum gruibus iniurias frigoris fugientes mutatione cœli solum vertere, ac rursus hiberno tempore exacto

ad

d patriam sedem remigrantes, cum illas, tum has cut homines domum probe nidos suos recognosce-e. Alexander Myndius ciconias scribit exacta tate, decursaque circum Oceanitidas insulas vo-ntes hoc præmium pro pietate quam gesserint ad-ersus parentes assequi, vt ex auibus conuertan-tur in homines, quod existimo confictum ob pieta-tem, & sanctitatem hominum illarum insularum.

De hirundinibus. CAP. XXIII.

SI luti facultas sit id hirundo vnguibus fert, ni-dúmque ex eo fingit, sin minus luti facultas ei detur, vt Aristoteles ait, aqua se conspergit, atque in puluerem se abijciens alas luto mergit, idque post alis agglutinatum rostro excutiens nidificat, pul-chre etiam intelligit, quòd si teneros, ex pennisque nudos in duris fruticibus pullos requiescere sineret, non ferendis doloribus premerentur. quamobrem in ouium tergo considens, floccos lanarum euellit, in-déque suis pullis nidum quàm mollissime substernit.

De iustitia hirundinis. CAP. XXIIII.

IVstitiam mater hirundo aduersus filios suos ser uat in distributione cibariorum, suam cuique tri buens dignitatem: non enim vnica tantùm cibi ve-ctione omnes pascit, neque enim posset, cùm ea quæ affert pusilla, & pauxillula sint, primum in lucem editum primo pascit, deinde ab illo secundum, ter-tium tertio loco partum alit, sicque deinceps vsque ad quintum progreditur, neq; vero amplius quinq;

ferri in vtero, atque parere solet, huius pulli similiter atque canum catuli tardum visum accipiunt, veruntamen admota herba quadam visum eis affert, ac adhuc ex ætatis infirmitate alis hæsitātibus tremebundos, parúmque ad volandum habiles è nido ad cibi inquisitionem profert. Huius herbæ homines quamuis compotes fieri summo cupiāt opere, nunquam tamen in hac parte eorum studio satisfactum est.

De vpupa. CAP. XXV.

Vpupæ aues immitißimæ mihi videntur, odio hominum nidos fingere in desertis locis, & luti loco hominis stercore circunlinere nidos, vt tetro odore repellant animal sibi infestum, ne ad pullos suos accedat. Cum autem vpupa in parietis diruti & deserti ruinis peperisset, idipsumq; animaduertisset parietis curator, luto rimam expleuit, & obstruxit, vbi vero vpupa rediens videt recessum & latebram suam clausam, herbam affert qua luto admota dissoluitur lutum illud, & defluit, illa tum intra caueam suam ad pullos suos ingreditur: iam vero si interea dum ad inquirenda cibaria rursus profecta fuerit, homo ille iterum parietis cauernam obliniens obstruxerit, eadem herba rimā aperit, quod idē tertiò ac sæpius facit, cuius factū parietis curator intelligens herbam illā è luto aufert, non quidē ad eos vsus ad quos vpupa vtebatur sed ad resignandos thesauros ad se nihil pertinētes.

Leo

Leo non naſcitur in Peloponneſo. CAP. XXVI.

LEones non gignit Peloponneſus, quod doctiſſimus Homerus nõ ignoraſſe videtur, cùm aiebat, Dianam in Tayeto, & Erymantho Peloponneſi montibus delectatam fuiſſe in venandis apris, & ceruis: leonum autem non meminit, & rectè quidem, quod hi ab ijs vacui eſſent.

De perſeo piſce maris rubri. CAP. XXVII.

IN mari rubro piſcis naſcitur quem Perſeum Arabes nominant, Græci quoque eodem nomine appellant, nam vtrique Iouis filium Perſeum vocant, ex cuius vocabulo nomen traxiſſe piſcem hunc prædicant, is pari magnitudine eſt cum anthia maximo: aſpectus ſimilitudo illi etiã eſt cum lupo, naſo eſt leuiter adunco, cingulis aureis diſtinguitur, quæ à capite exorientia obliquæ feruntur, & ad ventrem vſq; pertinent, frequẽtibus & permagnis dentibus munitus eſt, ex omnibus piſcibus qui in eo mari verſantur robore & audacia maxime excellere dicitur, quo modo autem capiatur alibi dixi.

De pinna. CAP. XXVIII.

PInna belua marina è genere concharum eſt, pandit ſeſe hiatu teſtarum, & carunculam extra conchas eminentem ex ſeſe prætendit, tanquam eſcam circumnatantibus piſcibus, cũ cancro comparandi cibi ſocietatem facit, eámque ob rem cancer cùm piſcem quempiam adnatare videt, illam leuiter morſu admonet, tum pinnam magis

ac magis suas conchas patefacit, ac piscem conchis compreßis edit, partémque socio tribuit.

De cuculo. CAP. XXIX.

Qui ad formandos mores institutus est, non hæc ignorare debet, coccygem sapientißimum esse, nam cum ei pullos excludendi facultas non sit, tamen machinatio quædam ipsi data est, atq; solertia ad hanc rem vtendi aliena opera: etenim cum sibi conscius sit se neque incubare, neque ex ouis pullos excludere posse ob frigidam corporis constitutionem, nec nidum ad pariẽdum construit, nec paruulos fœtus alit, sed vbi animaduerterit quando aues in alieno domicilio ex nido suo absint, eò profectus parit, non tamen in cuiuslibet auis nido, sed alaudæ, & luteolæ, quòd non ignoret ab ijs oua suis persimilia pari solere: si autem illarum nidos ouorum inanes & vacuos repererit, non eò diuertit, sed in eos vbi intus oua sint, atque ad ea ipsa admiscet sua, si autem illarum oua complura offenderit, ex ijs quædam perdit, ac in eorum locum sua supponit, quæ non ab illarum ouis internosci possunt ob similitudinem. Iam vero aues quas dixi aliena oua excludunt, pulli vero cuculi cùm ætate procedente ad volatum firmi paululum existunt, sibi conscij se esse illegitimos fœtus, ad parentem suum euolant, iam succrescentibus pẽnis alieni deprehenduntur, itaq; acerrime verberãtur. Ab ineũte vere ad caniculæ ortum apparent, pòst rarißime cernuntur.

De gall

De gallo, leone, & basilisco. CAP. XXX.

LEo à gallo gallinaceo magno timore afficitur, eodem timore est basiliscus, cum enim eum videt tremit animo, cúmque eundem audit canentem terrore concussus propemodum emoritur. quam rem non ignorantes qui per Africam iter faciunt, gallum itineris comitem sibi adiungunt, qui eos à tam pestilenti malo basilisci prohibeat.

Diuersorum animalium repugnantia.

CAPVT XXXI.

THeophrastum audio dicentem Cretam lupis & serpentibus infestissimam esse, Macedonicum verò Olympum à lupis non adiri solere, capras item Cephalenidas sex mensibus non bibere, Abydenas autem oues nullas videri albas, sed nigras omnes ferunt. Est etiam propria quædam differẽtia animalium talis. Nam alia mordent & venenum ex dentibus emittunt: alia aculeis vulnerant & venenum iaculantur.

De Libyca aspide, & vaccis Epiroticis, & capris Aegyptiis. CAP. XXXII.

ISqui aduersus respicit in aspirationem Libycæ aspidis excæcatur, alia quidem aspis non excæcat, sed tamen celeriter interficit, vaccæ Epiroticæ quantum mulgere possis lactis habere dicuntur. Capræ Syriæ lac copiosissimum & quantum non aliæ præbere feruntur, Aegyptiæ verò singulæ pa-

riunt quinque, & plurimæ geminos, existimatur autor esse Nilus fœcundissimam præbens aquam. Itaque pastores lactis cupidi & quibus cura est de augendo pecore, aquam ex Nilo cum lactis inopibus pecudibus, tum etiã magis infœcundis dare solent.

De cornu bouis Indici. CAP. XXXIII.

PTolomæo secundo ex India cornu allatum ferunt quod tres amphoras caperet, vnde coniÿcere possumus bouem illum à quo eiusmodi tantum cornu extitisset, maximum fuisse.

De perdicum varia voce. CAP. XXXIIII.

PErdicum vocem vnam nunquam audies omnium, nam est varia eorũ locutio, alia Athenis, alia alibi, sed quæ sint earum vocibus nomina Theophrastus explicat, in Boëtia & oppofita Euboëa idem sonant, ac vt sic dicam eiusdem sunt linguæ, in Cyrena mutæ prorsus sunt, ranæ item in Macedonia sues & cicadæ mutæ sunt.

De phalangij genere quod rhaga siue rhoga vocant. CAP. XXXV.

GEnus phalangÿ esse dicunt quod vocant rhaga, quoniam acino nigro simile sit, nascitur in Libya longis pedibus præditum, os habet in medio aluo. celeriter perimere potest.

De ranis Seriphiis. CAP. XXXVI.

IN Seripho ranæ prorsus mutæ sunt, si vero has aliò importes acre quiddam & tragicum sonant. In Pierium lacum qui non perennis est, sed hyeme

hyeme tantùm existit, ex aquis in eum confluentibus: ranas si in eum quis inijciat, silent: alibi tamen sunt vocales. Seriphij de his ranis gloriantur, hoc videlicet fieri munere quodam diuinitus dato Perseo, qui cùm rediret cum capite Medusæ, & terram lustrasset permultam, cúmque, vt par erat, fessus prope lacum illum somnum capere voluisset, ranas strepentes interpellasse, itaque Perseum molestia affectum à patre Ioue deprecatum fuisse, vt ranas clamore prohiberet, patrem vero eius precationem exaudisse, ac ranas illius loci perpetui silentij condemnasse. Theophrastus tamen hanc explodens fabulam, & Seriphiorum vanam gloriationem redarguens, aquæ frigiditatem affert causam esse cur hæ mutæ sint. Locis vbi cæli status valde vuidus sit, gallos non cantare Theophrastus tradit. Lacus in Phenæo est, qui nullos pisces affert. Cicadas propter frigidam corporis constitutionem non canere, idem ait quoad sol iam procedente die incaluerit.

De caprimulgo aue. CAP. XXXVII.

CAprimulgus inter animalia audax est, paruas enim aues aspernatur, fortitérque audet capras impetere, atque eas vberibus aduolans lac suggit, nec pœnas à pastore timet, quinetiam pro saturitate capris scceleratissimum præmium reddit. Nam vberis lacteos fontes funditus exsiccat.

De pul

De pullis lusciniæ. CAP. XXXVIII.

Areten filiam Aristippi docuisse filium suum Aristippum vt inde Metrodidactus appellatus fuerit, canunt multi. Lusciniam Aristoteles tradit visam esse quæ pullos suos cantiunculas doceret, & versiculos quos imitarentur traderet: quòd si capiatur iam confirmata ætate, & inclusa asseruetur in cauea, idcirco se & cantu & cibo abstinet, & pro seruitute venatorem silentio vlciscitur, quia omnium vehementissime auium libertatis retinens est, quarum rerum experientes viri iam ætate grandes natu capere omittunt, & pullos comprehendere student.

De equis vnũ cornu habentibus. CA. XXXIX.

Terram Indiam equos vno cornu præditos procreare ferunt, quorum è cornibus pocula conficiuntur in quæ venenum mortiferum coniectum si quis biberit, nihil graue patietur, quod cornu repellat malum ipsum, neque solum equi cornu sed etiam asini hoc malum propellit.

De porphyrione aue. CAP. XL.

Porphyrio formosissimus est, & simul nomen sibi aptissimum habet, ex puluerulentis volutationibus insatiabili gaudio completur, in locis vbi columborũ lauatio esse solet lauatur, nec prius tamen se vel in puluerem, vel lauationẽ dat, quàm in ambulationem veniens certa spatia confecerit: cùm pascitur, se testes sui prandij habere dolet.

Itaque

Itaque ſecedit & latens in occulto comedit, accerrima riualitate ardet, & mulieres quæ ſunt ſine viro obſeruat, ſi cum matrefamilias ſtuprum fieri cognouerit ſe ſtrangulat, volans non ſublime fertur, quod autem ex eo ipſo homines magnam lætitiam voluptatemque capiant, ideo circa ipſius curam cibariorum perſpiciunt, diligentérque illum alunt. in magnificis ſplendidíſque domibus porphyrio ludicra delectatio eſt, quarum intra clauſtra ſacer & ſolutus errat. Pauonem vt formoſus ſit luxurioſe tamen viuentes homines comedunt, cuius pennæ magnum quidem ornamentum habent, ſed id ſine corpore exiſtit. Porphyrionem cibi gratia in cœnis appoſuiſſe hominem ſcio, neminem nec Calliam, nec Eteſippum viros Athenienſes, nec Hortenſium Romanum quos è multis lurconibus paucos mihi commemoraſſe ſatis fuerit.

De ſene coruo. CAP. XLI.

CORuus iam ætate affecta cum non pullos alere poteſt, ſeipſum eis cibum præſtat, hi autem comedunt patrem, vnde prouerbium eſſe natum ferunt, Mali corui malum ouum.

De caſtitate palumbium. CAP. XLII.

EX auibus caſtiſsimi ab ſtupro palumbes, vt enim mas & fœmina tanquam nuptijs alligati ſunt mutua conſenſione, adeò ad ſtabile & certum connubium per ſummam caſtimoniam adhæreſcunt, vt neuter alienum cubile attingat, ſi autem impud

impudico amore capti ad alienam venerem libidinis oculos adiecerint, eos reliqui circunsedentes marem quidem mares discerpunt, fœminam vero fœminæ disperdut. Huiusce etiam modi lex castitatis ad turtures pertinet, sanctáque & syncera permanet, tum etiam ad columbas albas manat, præterquam quòd non vtranque occidunt, nam marem duntaxat perimunt, fœminam vero illius misericordia permoti impunitam atque inultam ætatem reliquam ducere permittunt in viduitate.

De partu columbarum CAP. XLIII.

ARistoteles inquit fœminæ parturiēti marem adesse, & cultu omníque officio fungi, sæpe etiam fœminam errantem & vagantem extra nidum compellere ad nidum eámq; cogere ouis incubare, marémque pariter cum fœmina pullos fouere, paritérque alere, & primum nutrimentum ne à cibis abhorreāt exclusis iam pullis terram salsuginosam in os indere, quam vt gustauerint deinde facillime reliquis cibis vesci queant: cum rapacibus cæteris auibus fœdere deuinciuntur, pacémq; gerunt, aquilas autem marinas & circos horrent, contra accipitres quo astu vtantur audire conuenit. Cum columbas accipiter sublimus persequitur, eæ deorsum versus elabuntur, at vbi ille in sede aeris inferiore volat, tum columbæ in sublime feruntur, & volant supra accipitrem in sublime impetum facere non valentem,

De al

De albo elephanto Indorum. CAP. XLIIII.

CVm Indus quispiam pullorum domitor elephanti album pullum offendisset, huncque etiam nunc tenerum aluisset, & paulatim mansuefecisset, cúmque eo deinde veheretur, & beluam amaret, & redamaretur, ipse suámque elephantus educationem cum maximis amicitiæ officijs illi Indo compensaret, Indorum rex id intelligens poposcit sibi elephantum munere mitti, is vt amans vehementi riualitate flagrans amatorie dolebat si hunc alius quàm ipse esset habiturus, itaq; negans se daturum vnà cum elephanto perfugit in desertißimam regionem. Rex ferens istud ægre, ad eum insequendum misit, qui bestiam Indo auferrent, simulq; illum comprensum ad pœnam reducerent. cùm eò venissent vbi erant transfugæ, comprehenderéque aggreßi fuissent, è superiore loco eos homo lapidibus appetebat, pariterque elephantus vt iniuria insigni accepta impetum illorum repellebat. vbi vero Indus lapidatione facta percussus de loco vnde se defendebat præceps deiectus fuisset, elephantus more hominum armis se acerrime tuentium pro suo nutritio propugnauit, tum etiam ex inuadentibus partim occidit, partim in fugam dedit, atque nutritium illum promuscide circumplexus ad stabula portauit, ac tanquam amicus permansit fidelis amico, beneuolentiam ostendeus qua singulari educatorem suum prosequebatur. O sceleratos

homines

homines grande illud ſophos inter pocula iactantes, virtutémque crebro ſermone paſsim inculcantes, noménque amicitiæ plenum verborum inane rerum temere anhelantes, in periculis autem amicorum deſertores!

De camelorum pietate aduerſus matrem.

CAPVT XLV.

TRagœdi fabulas erroris plenas animis offundunt de Laij filio & Thelepho, qui ſimul recumbens cum matre tametſi cõplexu venereo non iunctus fuerit, inceſtum tamẽ ſtuprum cum ea con feciſſet, niſi eos ſæpe diuino ductu draco diremiſſet, animalibus enim ratione expertibus eiuſmodi concubitus ex corporis contactu natura cognoſcendos dedit, neque ad eos coitus percipiendos notionibus vllis egent. Etenim camelus nunquam cum matre concumbit, cuius rei exemplo eſt paſtor quiſpiam, is cum fœminam quoad eius fieri poterat exceptis genitalibus obtexiſſet, deindéque filium matri ſic opertæ admiſiſſet, hic ex latebris coitus appetitione falſus matrem imprudens ſuperuenit ſuam, quod vbi intellexiſſet, camelarium ſcelerati coitus admiſſarium & mordicus premens, & ad terram abiectum genibus affligens cum ſummis doloribus interfecit, atq; ſeipſum præcipitem agens voluntariam mortem ſibi conſciuit.

AELIANI LIBER quartus historiæ animalium.

De libidine perdicum. CAP. I.



X auibus perdices quòd ad libidinem Veneris inflammatißimi sunt, iccirco cum fœminis aßidui versantur, homines autem qui perdices ad certamen alunt cum eos ad pugnam inter se incitare volunt, suam cuique vxorem præsentem esse curant. hac enim machinationis commentatione perdicum timiditas repellitur, & mala pugna vitatur. nam male pugnando victus nunquam in conspectum amatæ aut coniugis audet venire, ac potius moritur, quàm commissam pugnam non summa contentione pugnatã amica videat. Quocirca ne quid à se turpe commissum illa videat, atque vt amicæ suæ probetur, omnes neruos contendit. Tale quiddam Cretenses de duobus amantibus prædicant. sic enim audio amatorem Cretensem cùm alijs rebus præstantẽ, tum bellicis strenuum habuisse amatorium hominem peradolescentem summa indole virtutis, liberali forma, virili

animo, & bene nato ad mathemata, quod clarissime eius illud pulcherrimum factum ostendit, eum ipsum aliquando in pugna versantem hostium frequenti cohorte toto impetu in eum incurrente ad humi strati cadaueris offensionem allapsum fuisse, quod illi egregie ad nobilitandam eius virtutem cecidisse Cretenses *aiunt, nam cum hostium proximus quispiam gladio stricto plagam ei auersam illaturus esset retro ad hostem versus intuens, nequaquam inquit turpe & imbelle vulnus posticæ parti imponas, at aduerso potius pectori infligas, cum vt ne timiditatis me meus amator condemnet, tum ne me turpitudinis notis inustum aspiciat, & non audens accedere ad me turpiter agentem fugiat me complecti & tegere mortuum. at vero hominem rationis participem in se turpe facinus admittere vereri non admodum mirabile videri debet. At perdicem rationis expertem turpitudinis verecundiam retinere pergraue donum naturæ videtur. Eudemus cum sese in fugam dedisset, & Cleonymus cum clypeum abiecisset, timoréque lapsus esset Pisander, non veriti sunt neque patrias, nec vxores, nec filios se habere testes timiditatis suæ.*

De Erycinis columbis. CAP. II.

IN Eryce Siciliæ festi dies sunt, quos vocant Anagogia, & colunt Erycini & tota Sicilia, causam cur ita vocentur Venerem esse dicunt, quam in Libyam transire putant per illos dies, illo

argumento ducti quòd columbarum multitudo maxima sit illic, quæ postquam non videntur, Erycini dicunt eas deam comitantes abijsse, etenim Veneris delitias esse columbas decantant illi, & omnes mortales illud credunt, præteritis autem nouem diebus vnam formosam videri volantem ex pelage Libyco in Siciliam non similem reliquis gregalibus columbis, sed esse purpuream, qualem Venerem nobis canit Teius Anacreon, eam dicens purpuream, & auro similem, illam columbam sequuntur reliquarum columbarum greges, & festi dies rursum celebrantur ab Erycinis qui catagogia nuncupantur à reditu columbarum.

Leones non vnà cum leænis eunt.
CAPVT III.

Non ad venationem nec ad pugnam eadem via leo & leæna proficiscuntur, causam vsu periti afferunt eorum robur corporis esse, suis enim eatenus viribus confidunt, vt non alter egeat alterius.

De luparum partu. CAP. IIII.

Lupæ non facile pariunt, sed per duodecim dies, & totidem noctes, parturiendi doloribus vexantur. Tanto temporis interuallo Delij dicunt Latonam in Delum venisse ex Hyperboreis.

De animalibus inter se hostibus & quorundam animalium differentia. CAP. V.

Animalia inter se inimica testudo, & perdix, ciconia & crex auis acuti rostri, ibidique similis, cum mergo dissidet harpa, erodius cum laro, cum alauda acanthis, cum turture pirrhalis. miluus & corui inter se inimici sunt, feira apis nomen & circe dissident, item circe & circus non solùm genere sed etiam natura dissentiunt, chana piscis salacissimus est. albas formicas in Pheneo Laconico audimus esse, equos paludibus, & pratis, & pascuis delectari magis quàm cura domestica, sapientes confitentur & Homerus videtur consentire, cum ait, ter mille equi paludem pascebant, equas vento concipere pastores testantur, quibus assentiunt Homerus, & Aristoteles, qui ipsas dicit venere stimulatas ad boream aut notũ aufugere.

De Scythico equo coacto coire cum matre. CAP. VI.

Scytharum regem cuius nomen quod nihil ad rem pertinet sciens prætereo, equam habuisse audio omni virtute quæ ab equa præstari queat, ornatam, tum huius quoque habuisse pullum cæteris equis virtute præstantem. Cùm igitur equum alium non reperiret dignum qui huic ipsi equæ admitteretur, nisi eiusdem pullum, ambos in eundem locum coegit, verumtamen ij cæteris quidem in rebus inter se amanter gesserunt, & libenter versati

simul

simul sunt, non tamen ad coitum peruenerunt, quo-ad per insidias admissarij vestimentis adumbrati fuissent, tum incestum stuprum admiserunt, quod quidem factum primum vt ambo intellexerūt tam impium flagitiū morte dissoluere conati sunt, sese enim præcipites agentes mortem sibi consciuerunt.

De equa amata ab equisone. CAP. VII.

E*Quam Eudemus ait adolescentem ac armenti præstantissimam tanquam omnium formosissimam puellam ab equisone adamatam fuisse, primúmque sui amoris equisonem flagrantiæ moderatum fuisse, deinde libidine inflammatum vsque eò processisse cum equa vt venereo complexu iungeretur, rémque tandem perficeret turpem, vbi verò equæ pullus incesto stupro matrem contaminari perspexisset, eam sic à domino tyrannicè tractari acerrime tulisse, itaque impetu facto virum interemisse, atque cum obseruasset vbi humaretur eò profectum refodisse, omnibúsque supplicijs cadauer iam nullum sensum ex mœrore percipiens vexantus afflixisse.*

De piscibus & coitu piscium. CAP. VIII.

P*Lurimi pisces verno tēpore in venerem prompti sunt, & magis in pontum secedunt, habet enim pontus thalamos & cubilia dona piscibus attributa, sed & à feris liber est. soli delphini tenues & debiles illic vagantur, est etiam polypi expers & paguri, & astaci, quòd eiusmodi pisces sunt*

pernicies paruorum pisciculorum.

Quid prima luna faciunt elephanti.

CAPVT IX.

AB interlunio recrescente luna elephantos intelligo quadam naturæ recondita notione ex sylua primum vbi pascuntur decerpere ramos, eósque deinde sublimes ferre, atque eosdem ipsos ad lunam suspicientes leniter mouere tanquam supplicationem quandam lunæ prætendentes vt ipsa sibiipsis propitia esse velit.

De equarum libidine. CAP. X.

Solas de bestijs equas etiam si ventrem ferant, fœtúque plenæ sint se miri sustinere audio, incendi enim eas libidine ex fœminis maxime, itaque libidinosas mulieres equas vocari solere ab eis qui grauius ijs conuitium facere student, vnde equire vocabulum ab hoc vno animali trahitur ma leaictum in libidinosas mulieres.

De perdicum partu. CAP. XI.

Perdicum fœtus intra ouium etiam nunc circumplicatione testarum comprehensi à parentibus sui exclusionem ex ouis minime expectant, sed per se ipsi tanquam fores pulsantes oua eludunt, & iam foras eminentes seipsos nisu suo impellunt, ouíque etiam nunc tegumento circumuestiti currunt atque ex dimidia testæ parte si adhuc ad tergum adhærescat semet expellentes velocissime ad cibi inquisitione prosiliunt, ac postquam

pedes

pedes extra oui testam posuerunt, statim cursu maxime valent, vt anaticularum pulli primū vt auem aspiciunt continuò à partu natant.

De astutia perdicum. CAP. XII.

EX perdicibus qui vocis contentione & cantu valent, & ungue facultati confidunt, quique pugnaces & ad certamen habiles sunt, se minimè dignos credunt qui ad extruendas mensas capiantur, vnde fit quia minus contra venatores de sua libertate depugnent vt comprehendantur, sibi præfidentes quod a cæde studiose ad cantus & certamina seruabuntur, reliqui autem perdices & potissime qui vocantur cirrhæi, sibi conscij, quod nec ad certamina valent, neque pulchre cantare sciunt, sed si capiantur erunt ijs prandium qui ceperint, itaque naturali quadam machinationis commentatione semetipsos macie conficiunt, nimirum cum ab omni alia esca quæ ad pinguitudinem eos perducere queat, se sua sponte abstinent, tum vt ne idonei sint ad hominum mensas cupide allijs vescuntur, cuius rei experientes his præteritis alio venationem conuertunt: qui verò hoc ipsum ignorant, eos vel si facultas sit, non capiunt. Quicunque autem ipsos quidem captos decoxerit, eorumque insuaues carnes expertus fuerit, se iam & tempus & operam cognoscit his venandis perdidisse.

De mustella & serpente & earum pugna.
CAPVT XIII.

PErniciosa belua mustella est, perniciosa etiam serpens: nam mustella cum serpente pugnatura, primùm quidem rutam edit, deinde fidenti animo ad pugnam tanquam armis tecta procedit. causa est rutæ odor serpentibus infestus.

De luporum saturitate. CAP. XIIII.

EXsaturatus lupus longum temporis interuallum inediam fert, atque ei quidem venter turgescit & late proijcitur, lingua tumescit, os obstruitur, & simul vt famem multo cibo depulit, similiter occurrentibus mansuetus vt agnus existit. Neque verò insidias vnquam tum nec homini nec bestijs vllis, ne si quidem per medium agmen incedit, molitur, postea verò ei paulatim lingua extenuatur, ac in antiquam figuram redit, iterúmque lupus existit.

De gallo & perdice venatore. CAP. XV.

GAllinacei si fœminarum facultas non sit, omnes subigunt gallum recentem venientem in cohortem suam: eodem modo perdices ineunt recenti aduentu nouum & nondum cicurem perdicem, ijdémque suos altores remunerantur. Nam feros & nondum captos perdices comprehendunt. Producitur perdix venator, qui in capturam ad illiciendos feros ante retia propositus cantum edit, eos lacessentem ad pugnandum, eosdémque vt ex insid

insidijs in laqueos inferat incitantem: contrà cantans sylueſtrium dux ſuum gregem præcurrens obuiam procedit cum hoc luctaturus: cicur autem per malitiam ſemper inſidias inſtruens pedem refert ſe timere ſimulans: alter verò ſpe atq; animo inflatus ſimul & ſibi iam victoriam deſpondens impetum facit, ſed mox captiuus compage tenetur. Quòd ſi venator perdix qui ad illecebras venatorio inſtrumento aſſidet, mas ſit, cæteri gregales ei ipſi captiuo opem ferre conantur: ſin qui poſitus eſt in inſidijs fœmina eſt, captiuum ipſum omnes feriunt, vt qui libidine incenſus in ſeruitutem ceciderit. Nec verò illud prætereundum (quando etiam auditu dignum eſt) ſi pugnans ſit fœmina, ne mas incidat, fœminæ quæ ſunt extra cantiuncula, illum ex caſu in compagem propinquo ſeruant ſuo cantu tanquam amatorio quodam retractum.

De herinaceorum terreſtrium & lyncis inuidia. CAP. XVI.

TErreſtris herinaceus inter animalia inuida cenſetur, ſtatim vt capitur vrina ſua reddita tergus ſuum conſpergit, cuius vi perfuſum corrumpitur, & quod futurum erat ad multa vtile reddit inutile. Et lynx etiam vrinam ſuam in terram occultat, quæ vbi concreuerit, ac congelarit, lapis efficitur ad ſculpendum accommodatus, & ſimul ad muliebrem mundum expetitus.

De leontophono & insectis animalibus & aliis quibusdam. CAP. XVII.

Leo edens leontophonon paruum animal moritur. Insecta si oleo perfundas extinguntur. Vulturibus vnguentum perniciem infert. Scarabeum perdis, si rosas in eum conijcias.

De canibus Indicis. CAP. XVIII.

Canes Indici ferocissimi sunt, & fortissimi, & canum maximi, reliqua animalia contemnunt. Contra leonem pergit canis Indicus, & inuadentem leonem sustinet, & rugienti oblatrat, & mordentem remordet, & multis malis postquam leonem affecit, & læsit non nisi moriens vincitur, ac si leo victus fuerit tamen canis mordens fortissime eum retinet, nec morsum remittit, etiam si ense eius crura abscindas, nec nisi mortuus relaxat morsum, sed quæ de his aliter intellexi alio loco dicam.

De cordis humani situ & de animalibus habentibus vngues curuos. CAP. XIX.

Hominis cor ad papillam sinistram appensum est, reliquorum animalium in medio pectore constitutum est. Nullum animal vngues curuos habens neque bibere, neque meiere solet, neque gregale est.

De Indico manticora. CAP. XX.

Apud Indos nascitur immenso robore præditum animal cui Indorum lingua manticoræ

nomen

nomen est, magnitudine maximi leonis, colore rubrum canis modo villosum, facie eadem prope quæ hominis, dentium triplici vtrinque ordine mucrone acutissimorum caninis maiorum, auribus hominis similibus, nisi quòd hæ & grandiores, & villosiores, oculis cæsijs & his non dissimilibus hominis, pedibus & vnguibus eisdem qui leonis, summa cauda illi scorpionis modo terrent, aculeo plusquam cubitali armata, reliquum caudæ vtrinque aculeis cuspiditatum existit, quos tanquam tela si quis insequatur eminus iaculatur, aculei si quem attigerunt, letales emissiones habent, cum in anteriorem partem versus aculeos iaculatur, caudam intorquet, sin retro versus aculeos emittit, tum extentissime caudam porrigit, aculei quos iaculatur pedali magnitudine & funis crassitudine sunt, Ctesias Indos sibi affirmasse ait locis emissorum aculeorum alios succressere, vt sit huius pestis perpetuæ successio. Humanis vt idem affert carnibus maxime delectatur, quocirca complures homines interficit, nec duntaxat singulos homines inuadit, sed plures collectos vel ipse solus interimit. Reliqua item animalia vincere potest. Quòd autem humanis carnibus sese complere ei suaue sit, eius nomen ostendit. Indicè ideo Manticora appellatur quòd hominum conficientissimus sit, ex rebus quas agit nomen trahens. Eadem est quà pernicissimi cerui corporis velocitate, eius pullos aculeatis nondum

caudis

caudis armatos venantur, caudásque eorum ad saxum elidunt, atque crebris ictibus confringunt, vt ne aculeos postea producere queant, vocem edunt proxime accedentem ad fistulæ sonum, tubæque concentum. Ctesias apud Persas hoc animal se vidisse testatur, ex India regi Persarum munere missum.

De scolopendra. CAP. XXI.

Scolopendram marinam hominis saliua perfusam disrumpi ferunt.

Vt salix nihil bestiis nocet, & de suillo pecore. CAP. XXII.

Si quis tritum salicis semen bestijs dederit bibere, eis non modò quippiam nocet, sed etiam alit: sin homo ipsum biberit, facultatem liberorum gignendi ei adimit, & semen genitale perdit. Quare Homerus abstrusa naturæ perscrutatus cum salices frugiperdas suis versibus dixit, earum vim adumbratè ostendisse mihi videtur. Cùm autem cicutam homo biberit, ei sanguis quasi cõglaciatur, & eatenus concretione spissus fit vt inde moriatur, suillum verò pecus huius saturitate se licet com pleuerit, tantum abest eius veneno tollatur, hac vt maxime pinguescat.

Quales elephantos Indi capiant. CAP. XXIII.

Indi homines licet permulti & magna machinati non elephantos procedente iam ætate confirmatos comprehendere queunt, sed tantum eorum

catul

catulos venatores ad proxima fluminibus loca profecti capiunt. Elephantorũ enim naturæ proprium est roscida, & palustria loca amare, & aquam amplecti, ex quo quanquam non sunt fluuiatiles, riparos tamen dicere possumus. ex ijs autem locis cum eorum catulos etiam nunc ætate infirmos, & teneros ceperunt, ciborum illecebris, ac blandiloquentia mansuefaciunt, nam indigenarum hominum linguam elephanti intelligunt, & vt summatim dicam, perinde eos quasi infantes pueros tum eis cibaria largientes, tum disciplinas tradentes alunt. Quæ res efficit, vt ad obtemperandi facilitatem traducantur, exutáque feritate humanitatem induant.

De abstinentia boum in area. CAP. XXIIII.

NE boues in area ad trituram accommodata spicas interim edant dum proculcant, eorum bubulo fimo nares illinendæ sunt, quæ astuta machinatio perficit ab illarum vt sese esu abstineant, hoc nimirum animal huiusmodi tetri odoris aspersione deterritum nihil, ne si fame quidem acerrima premeretur, vnquam ederet.

Quemadmodum Indi lepores venantur aquilis. CAP. XXV.

LEpores & vulpes ad hunc modum Indi venantur (neque enim ad capturam eorum canibus egent) aquilarum, & coruorum, & miluorum pullos educant, ad venationémque instituunt.

Instituendi ratio hæc est: Primum vt ad leporem & vulpem mansuefactos carnem appenderunt, eos è manibus dimittunt, ad quos ipsos à tergo insequendos auibus emissus fruendæ carnis ad eos ipsos alligatæ potestatem venatores concedunt, aues autem acriter insequuntur, & simul vt vel hanc vel illam ceperint, præmium pro captura carnem consequuntur. Hæc nimirum apud eos persequendi has bestias maxima illecebra est. Postea vero quàm eas exactè ad venandi scientiam erudierunt, in montanos lepores, ac feras vulpes emittunt. Aues consueti prandij spe quæ ex obiecta præda eis ostenditur, & insequuntur & celeriter comprehendunt, atq; vt Ctesias ait, quod ceperunt dominis reportant, non plane inscia, pro carne illa prædæ domesticæ antea appensa, se ex fera præda nunc viscera habituras esse.

De grypibus. CAP. XXVI.

GRypem Indicum animantem audio similiter quadrupedem vt leonem esse, robustissimis item existere vnguibus leonum similibus, tum esse posticis partibus nigrum, anticis vero rubrum, alas autem ipsas nō item eiusmodi, sed albicātes ferunt. Ctesias eos narrat aquilino ore esse & capite, cuiusmodi pictores fingunt, oculis autem igneis, nidósque in montibus facere, vtque ætatus processu grandes non capi, ita eorum pullos comprehendi posse. Bactri autem Indis finitimi eos illic auri cu-

stodes

stodes esse, aurúmque effodere aiunt, & simul eo ipso nidos construere: quod verò auri in terram deciderit, Indos homines auferre: contrà Indi eos auri (quod veri quidem simile videtur) custodes esse negant. Neque enim grypes auri egere: at contrà ipsos cum ad colligendum aurum homines accesserint, hos de pullis suis maiorem in modum timentes pro eis propugnare, atque cum alijs etiam animalibus concertare, eáque funditus vincere: contra autem leones & elephantos non stare. Idcircóque indigenæ quòd ab huiusmodi animalium robore sibi timeant, non interdiu, sed ad collectionem auri noctu proficisci, quod se tum melius latere arbitrentur. Locus vbi grypes versantur, ac vbi aurum effoditur, desertissimus est, quocirca aurum venari studentes mille aut bis mille armati eò perueniunt, simúlque saccos afferunt, silentem lunam obseruantes. Quòd si grypes fallant, duplicem commoditatem assequuntur, quòd & eorum vita ab illorum atrocitate seruatur, & quòd etiam aurum inde domum adferunt, sin in furto deprehendâtur, pereunt. Cùm semel eò profecti sunt, domum non nisi triennij aut quadriennij interuallo reuertuntur.

De gallinaceo. CAP. XXVII.

GAllinaceum exoriente luna quasi diuino quodam spiritu afflatum bacchari, atque exultare ferunt: oriens autem sol ipsum nunquam fallit, tum vehementissime vocem contẽdens semet

magis

magis magisque cantando vincere conatur. Latonæ in amore esse gallum audio: ei enim parturienti duplicem & felicem partum adfuisse gallum aiunt, propterea etiam nunc parientibus gallus adest, & videtur quodammodo faciles partus efficere. Matrice gallina extincta is ipse incubat, & pullos ex ouis excludit, ac tum silentio vtitur, quòd sanè sibi conscius sit, se muliebre munus obire, & parum viriliter facere, ac si cum altero pugnans vincatur idcirco non canit, quòd ex illa mala pugna spiritus fracti illi vocem supprimant, cuius offensionis verecundia confusus in primam quamque latebram sese occultat. Is autem qui ex certamine victoriam reportarit, tum oculorum eminentia, tum ceruice erecta, simul & cantus cõtentione insolenter effertur, & triumphanti similis est. Illud item in eo mirificum cùm limen intrat, tametsi superum altißimum existat, is tamen sese inclinat: quod quidem ipsum superbia inductus facere videtur, ne videlicet crista vspiam offendatur.

De marina testudine. CAP. XXVIII.

Caput marinæ testudini abscissum non continuò moritur, sed & videt, & si ante oculos ei manus obuersetur, eos claudit, & paulò etiam propius si manum admoueas, mordet, & diu habet oculos fulgentes, quorum pupillæ candidißimæ, ac splendidißimæ cum existant eruuntur, vt vel auro includantur, vel monilibus imponãtur, quamobrem

mulierum

mulierum admiratione plurimi æstimantur, eæ autem sicut audio in mari rubro gignuntur.

De amore monedularum in suas gregales & earum captura. CAP. XXIX.

Monedulæ suæ nationis aues vehementer amant, quæ quidem res eas sæpe in perniciem inducit. Quemadmodum id accidat explicandum. Cum enim quis monedulas venaturus est, talia machinatur vt eas vbi nouerit cibaria inquirere, & in quem locum congregentur perspexerit, ibi pelues olei plenas disponat, curiosa bellè auicula eò profecta in vasis labro considet, & simul sese inclinans suam ipsius vmbram despicit, & quòd existimet aliam se monedulam videre ad eam ipsam festinat descendere, eóque vt est delapsa olei crassitudine circunfusa sine laqueis, sine retibus constricta tenetur.

De elephantis. CAP. XXX.

Elephanto duos prominere exertos, quos alij dentes, alij cornua vocant, habet singulis pedibus numero quinque digitos indiuisos, leniterque discretos, ex quo fit vt animal sit minimè ad natandum habile. Crura multo posterioribus longiora habet, huic sub armis papillæ existunt. narem manu omnino commodiorem habet: lingua etiam ei bene exigua est: fel autem non ad iecur, sed ad pectus situm habere dicitur. Biennium gerere vterum audio: alij nõ tandiu, sed sesquiannum tãtùm ventrem

ferre aiunt. Anniculo quidē vitulo æqualem pullum edit. Is statim vt natus est, ore suggit, nō promuscide. Cùm libidinis furore ardet, incursu parietes euertit, & similiter atque aries frontis vi atq; impreßione palmas prosternit. Aquam nitidam non bibit, sed postquam aquam conturbarit, turbida potione delectatur, idcirco somnum erecto corpore capit, quia ei esset operosum decumbere, simul & deinde à cubitu exsurgere graue. Eius ætatis flos est sexagesimus annus. Hyemis ac frigoris impatiens est. Ad ducentesimum vitam producit.

De Indicis ouibus. CAP. XXXI.

OVes Indiæ & capras ad maximorū magnitudinem asinorum audio accedere, quatuor fœtus cum plerunq; pariunt, tres verò cum minimum: nunquam enim ibi neque ouillum pecus neq; caprinum tribus minus edit. Caudæ ouillæ longitudo ad pedes vsque pertinet, caprinæ verò in eam procedit longitudinem vt terram contingat. Idcirco eas pastores ouibus matricibus abscindunt, quòd tum sic facilius ineantur, tum ex earū adipe oleum exprimatur: arietum quoque dissecant caudas atq; adipem extrahunt, eatenúsque deinde sectio coniunctißimè committitur cicatricis vt ne tenue quidem vestigium appareat.

De chameleonte. CAP. XXXII.

ALexander Myndius dolore & molestia cibi inopia à chameleonte ad hunc modum ser-

pentem affici ait, mordicus scilicet illum bene latam festucam & validam tenentem, sub eáque perinde se vt sub clypeo versantem, contra hostem serpentem venire, serpentem verò quia festucæ latitudinem circumplecti non possit chameleontem dentibus configere non posse: itaq; hunc ab ipsa confici exedíq; nequire, membra enim vt illius reliqua serpens mordeat, non tamen ea in ipsius carnē penetrare potest, tanta nimirum pellis firmitate & robore existit, nihil vt prorsus serpētis morsum sentiat.

De leonum natura. CAP. XXXIII.

Leonis ceruix non multis vertebris, sed ex ossibus constat. si quis leonis ossa concutiat ignis veluti silicum attritu ex his elicitur. Ossa medullis carent: neque enim fistularum modo caua sunt, neque vllo anni tempore à coitu abstinet. Quinquies parit, primo catulos quinq; edit, secundo partu quatuor, deinde tres, sicq; deinceps vnū numerū decoquit, vnoq; minus parit, postremo vnū omniū præstantißimū leonē regem edit. Catuli à partu recētes exigui sunt, duobus post partū mensibus ingredi incipiunt. Iam quod in sermonem hominum venit fabula est, eos vuluam dilacerare. Cùm fame tenetur, summo cum periculo ei occurritur: postea verò quàm cibo completus est mansuescit, & simul lusionibus delectari fertur nunquàm terga vertit in fugiendo, sed sensim pedetentímque se recipit cum fremitu contrà intuens, vt ætate processit,

ad stabula & pastorum subterraneas casas, quòd iam ad montanas prædas persequendas infirmus sit. Ignem exhorrescit. Ex his quicunque affectus est vel ætate vel statuta breuior est & crispior iuba, ignauior est & imbecillior, qui vero pilo recto & simplici generosior habetur & præstantiori animi robore præditus, & adeo auidè cibos helluatur vt solida membra rugiens exsorbere feratur: expletus vel triduo nihil sæpe edit: vbi concoxit, modica potione vtitur.

Bos iniuriæ non immemor. CAP. XXXIIII.

Bouem licet mansuetum, non facile tamen illius qui sibi stimulos admouet obliuio capit, at iniuriam animo ac memoria vel longissimo interuallo continens pœnas pro maleficio sibi illato sumit. Nam cùm est sub iugum missus, lorísque constrictus, quodammodo similis est homini in vincula coniecto, & se quidem trahi quò impellitur quiescit: vt verò solutus est, aliàs ad bubulcum versus pedem suum laxans aliquod illius membrum contriuit, aliàs sæpe in cornua incitatus incursu illum interfecit: cùm tamen in cæteros subitò mansuetus existat, ac quietus in stabulum ingrediatur, neque enim ferus in eos existit qui iram sibi non mouent.

De porphyro serpente Indico. CAP. XXXV.

Terram Indiam historici permulta ferre venena & plantas dicunt, è quibus partim salutari a

lutaria ſunt contra morſus ſerpentum, partim mortifera: cuiuſmodi vi eſt porphyrus ſerpens palmi magnitudine, colore accedente ad purpuræ ſimilitudinem, capite pluſquam niueo, & lacte multo candidiore. Locis Indiæ calidiſsimis reperitur, & mordendi icciroo poteſtas eſt nulla, quòd dentium expers ſit. Ergo hac ex parte eum quaſi manſuetum dicere poſſumus, non item ex omnibus partibus, nam eius vomitio ſi quod vel hominis, vel alterius animalis attigerit membrum, totum tabeſcat neceſſe eſt. Icciroo eum captum ab cauda ex arbore ſuſpendunt, ex quo fit illi vt caput ad terram verſus propēdeat, tum ſub eius os vas ſubijciunt æneū, in quod ex eius ore guttæ redduntur, quæ primum vt deciderunt, continuò concreſcunt, aſpicienti vt amigdalinæ lachrymæ ſpeciem præbeant. Ab eo extincto vas remouetur, in cuius locum alterum etiam vas æneum ſupponitur, in quod ſanioſus liquor aquæ ſimilitudinem ſpeciémque gerens ex mortui ore ſerpentis defluit, ſimilitérque hic concreſcit, atque condenſatur, horum tamen vterque colore differt ab altero, hic niger eſt, illæ primæ guttæ electri ſimiles ſunt, è quibus ſi cui magnitudine ſiſami in cibo potionéue dederit acerrima primum conuulſione percellitur, & affligitur, deinde ei oculi inuertuntur, cerebrum per nares expreſſum delabitur, ſicq; ille miſerabiliter quidem moritur, ſed tamen celeriter, ſin quis ſiſamo minus ex

illis sumpserit non continuo is quidem moritur, sed certe ex hoc malo non euadit, sed denique cum mora extinguitur. Quòd si ex eo ipso nigro qui ex mortuo iam serpente defluit, si sami quoque magnitudine quispiam comederit extabescit, anníque interuallo consumitur, plerique eorum in biennium processerunt, paulatim morientes.

De magna struthione. CAP. XXXVI.

ETsi permulta oua parit, non tamen omnia ad frugem perducit: at fœcunda ab infœcundis secernit, tantúmque frugiferis incubat, simul & ex ijs pullos excludit, & oua sterilia edĕda editis pullis præbet, quòd si quis eam insectetur propter corporis grauitatem volando effugere nequit, sed duntaxat explicatis alis gressu ipso effugere aggreditur, sin propior facta est vt capiatur, obuios lapides sic pedibus retro ad hostes versus tanquam funda iaculatur.

De passeribus. CAP. XXXVII.

COnscientia vel suæ infirmitatis, vel sui corpusculi exiguitatis passeres in ramorum cacuminibus, modo ab ijs sustineri queant, nidos contexunt, sæpéque numero ea machinatione sibi factas à venatoribus insidias declinãt, eò sanè venatores propter rami tenuitatem ascendere non queunt.

De vulpe, & vespa. CAP. XXXVIII.

VVlpes in exuperantiam infinitæ tum malitiæ, tum fraudis progreditur, nihil vt non

& malitiose & dolose agat. Cùm enim vesparium refertum esse animaduerterit, retrorsum eò accedit, atque tota à vespeto auersa ab aculeorum sane vulneribus declinans in cellas vesparias immissa hirsuta cauda eadémque bene prolixa vespas concutit, cum autem vesparum circunuestitam spissis pilis caudam impetentium referta est, tum eam ipsam vel ad arborem, vel ad parietem, ad maceriémue allidit, itaque multa caudæ attritione his extinctis in reliquas inuadit, perindéque eas vt primas interimit: iámque reliquas cæteras ab aculeis intelligens inopes esse, os in vesparium abijciens idipsum vorat.

De canibus. CAP. XXXIX.

Calua canis nulla ossea commissura constat, sed perpetuitate ossis continetur: cùm se in plurimo cursu exercuit, multo eum effusiorem & potentiorem ad res venereas existere ferunt. Cùm multum ætate processit, ei dentes hebescunt, simul & nigri efficiuntur. Tanta narium existit sagacitate, vt nunquam caninam carnem, nedum etiam fallacissima condimentorũ varietate temperatã gustet: neq; verò plus tribus morbis laborat angina, rabie, podagra, cu interea homo sexcẽtis morbis sit opportunus: quodcunq; autẽ à cane rabioso fuerit morsum perimitur. Podagra posteaquã tenetur perrarò ex ea cõualescit, ad decimũ quartũ ei annũ vita producitur. nã canis Vlyxis videtur ludus esse Homeri.

De Indicis auibus sandaracæ colori similibus. CAP. XL.

GEnus Indicarum auium minimũ in rupibus altißimis, & asperis nidificat. Est ea magnitudine, qua ouum perdicis. sandarcæ colorem refert. Indi lingua sua dicæron appellant, Græci, vt audio, dicæon: huius stercus si quis tantũ sumat quãta est milij magnitudo solutum in poculo, moritur ad vesperam, & mors est similis somno suauißimo molestiæ vacuo, & curas mollienti, qualem somnum poëtæ nominare solent. Huius enim auis esus liberator est doloris. Itaque indigentibus iucundissimus est: quæ causa est cur Indi maximo studio eam auem adipisci conantur: ipsam enim malorum obliuionem afferre putant, & inter pretiosissima dona muneri mittunt regi Indorum, quod rex sibi donatum omnibus donis antefert, & in thesauro suo reconditum seruat, malorum insanabilium medicinam, neque alius quisquam apud Persas id habet nisi rex & regina, quamobrem conferentes examinemus vtrum pharmacum sit pretiosius, Indicúmne, an Aegyptium: hoc enim in diem inhibet & reprimit lachrymas, illud in sempiternum obliuionem malorum affert. Aegyptium quidem mulieris donum fuit, Indicum verò auis, aut potius naturæ dissoluentis grauißimum vinculum ministra prædicta auicula.

De att

De attagene & meleagridibus. CAP. XLI.

ATtagenis meminit etiam Aristophanes in auibus, hæc suum nomen proprium loquitur & cantat: dicunt etiam meleagridas idipsum facere & quòd ex Meleagri sint genere testari confidentissimè. fabula ita habet: Quæ erant domesticæ iuuenes Meleagro, omnes lachrymas quæ inhiberi non poterant & dolorem misisse, nullámque doloris medicinam admittentes, sed diuina misericordia illas mutatas fuisse in hæc animalia, simulacrumq; & semen huius affectus his auibus inditum fuisse, easdémque in hunc diem meleagron canere, testantes se esse ex genere Meleagri: sed qui diuinum numen adorat, & maximè Dianam, nunquam has aues comederet.

De formicis. CAP. XLII.

FOrmicæ imprimis sedula atq; operosa animalia tanto laborandi studio tenentur, vt ne noctes quidem in suo opere cessent, modò sit plena luna: nec verò quemadmodum homines inertiæ fugæque laborandi excusationes prætendunt. Quid enim inertium dierum multitudinem cōmemorem necesse est? Indicta sunt Dionysia, lenæa, item festi dies Athenis, quòd ijsdem diebus omnis generis semina in olla elixa Baccho & Mercurio offerebant: alia Spartam sunt translata, alia Thebis recepta; quin singulis etiam vrbibus nullæ dierum inertissimæ segnitiæ sunt indictæ, nec hoc quidem

ipsum apud barbaros solùm, sed etiã apud Græcos.

Vt meminerunt beneficij accepti etiam feræ bestiæ & de accipitre. CAP. XLIII.

Non tam immanes beluæ existunt, quin liberaliter beneficiorum acceptorũ memoriam studiose diligentérque seruent. nam eas in eos ipsos à quibus beneficium acceperint vehementer gratas esse testimonio sunt vel Aegypti admodum fera animalia, feles, ichneumones, crocodili & accipitrum genus est, quod escæ illecebris capitur, iisdémque mansuefactum postea nunquam abscedit ab eo quem experitur in se benignum, homo autem & rationis particeps, & munere prudentiæ ornatus, tum etiam quod vel rubor ipse facillime indicat verecundia præditus, qui modo amicus erat, nunc repentè hostis vel leuissimis de causis grauissimus fit, & quæ illi credita sunt vel tenuissima suspitione iniecta euomit.

De leone vlciscente canem contubernalem suum. CAP. XLIIII.

Qvod de leone Eudemus dicit, non paruam admirationẽ habet, hoc ipsum eiusmodi est, Iuueni ferarum cicuratori canem nimirum, vrsam & leonem fuisse, eósque primum & pacem inter se seruasse, & amicitiam rectè coluisse: deinde cùm canis aliquando & vrsa inter se colluderent, & ludicris morsiunculis conflictarêtur, vrsam repentè ad feros mores reuertisse, & canem simul inuasis

inuasisse, & ventrem miseri vnguibus indignissimè distraxisse, cuius atrocitatem facti leonem indignatum perfidiæ vrsinæ odio, quòd & fœdus fregisset, & amicitiam institutam violasset, inflammatum iusta & merita iracundia contra vrsam & exarsisse, & ab ea pares pœnas quibus illa prius canem affecisset, repetijsse.

De lutea & vireone. CAP. XLV.

LVtea nulla alia re quàm herba symphito nuncupata, quæ magna difficultate & reperitur & effoditur, nidos construit, eósque villo & lana substernit: vireo autem in luteæ genere mas vitæ munerum sciens est, simul & aptus ad quiduis discendum, idémque laboris in discendo patiens: hyeme nisi est captiuus, non apparet, æstiuo autem solstitio in lucem nostram prodit, exoriente arcturo sydere eò vnde huc venerat, reuertitur.

De ruffis animalibus Indicis quæ similia sunt scarabeis, & de Cynocephalo. CA. XLVI.

APud Indos nascuntur animalia scarabei magnitudine, adeò rubra, vt cinnabari similia dicere possis, primo aspectu pedes habent longissimos, & tactu molles, nascuntur in arboribus ferentibus electrum, & harum arborum fructu vescuntur, Indi venantur hæc ipsa, eadémque exprimunt, & ex ipsis tingunt vestes phœniceas, & quemuis alium pannum huiusmodi colore tinctum. Vestem ferunt reges Persarum, cuius pulchritudo Persis videtur

videtur mirabilis, & comparata cum vestibus Persarum indigenis longe præstat, &, vt Ctesias inquit, in stuporem præ admiratione redigit spectatores: quoniam celebratis Sardianicis acriori & fulgentiori est colore. Nascuntur etiam in ea parte Indiæ, vbi producuntur huiusmodi scarabei cynocephali, qui ex eo nomen trahunt quòd canino præditi sint capite, cætera membra humana habent, ferarum pellibus induuntur, & iustitiæ retinentes lædunt neminem: cúmque Indici sermonis indigentes sint, tamen nihil loquuntur sed vlulant, ferina vescuntur, quam quidem quia velocißimi sint, ideo facile comprehendunt, & captas bestias interficiunt, non tamen eas igne sed ad solem membratim concisas coquunt, alunt etiam ouillum & caprinum pecus atque lac bibunt. eorum feci mentionem inter bestias iusta de causa, quoniam vocem articulatam expreßam humanam non habent.

Quemadmodum taurus animo incitatus placatur. CAP. XLVII.

TAurus animo incitatus eo impetu cornibus appetit, ea impotentis animi effrenatione fertur, nihil vt eum neq; bubulcus, nec metus vllus reprimere queat, atqui eum quidem ipsum homo sistit, atque ab impetu continet, si dextrum ipsius genu fascia quadam deligauerit.

De pardali. CAP. XLVIII.

PArdalis anterioribus pedibus quinque digitos

tos habet, posterioribus quatuor, eius generis fœmina maiore quàm mas robore prædita est, ea si venenatam herbam à Gentili Angore suo appellatam imprudens comederit, confestim exquirit hominis stercus, eóque inuento ex veneno seruatur.

De equis. CAP. XLIX.

QVia palpebris equi in gena inferiore carent, propterea Apelli Ephesio qui equum quempiam pinxisset reprehensionem attulisse ferunt, alij non Apelli istud accidisse, sed Niconi aiunt, cum tamen scientissime reliquas cæteras equi partes pinxisset, hanc partem illi vitio versam fuisse.

De asilo & tabano. CAP. L.

ASilum maximè similem muscæ esse ferunt, robustum, & bene compactum, habere quoque aculeum durum & validum ex ore appensum, sonúmque tumultuosum edere, tabanum autem similem videri muscæ caninæ, sonum vt asilo maiorem edere, sic aculeum minorem possidere.

De Indicis asinis. CAP. LI.

SYluestres asinos equis magnitudine non inferiores apud Indos nasci audio, eósque reliquo corpore albos, capite verò purpureo, oculísque nigris esse, cornúque in fronte gerere, cuius superius puniceum, inferius autem album, medium verò nigrum sit: atque hac varietate distinctis cornibus non omnes quidem Indos, sed potentiores tanquam armillis quibusdam brachia ornantes, sic ea ipsa

auro

auro certis spatiis distinguentes bibere, ex hoc cornu bibentem ab insanabilibus morbis tutum fieri, neque eum ipsum conuulsionibus corripi, neque sacro morbo tentari, neque venenis vllis ferit. Quinetiam si quid prius pestilens biberit, tum id euomere, túmque ad sanitatem redire. Cùm autem cæteri asini quibuscunque in terris sint tam domestici, quàm syluestres, tum solipeda animalia, nec talos, nec fel in iecore habeant, asinos Indicos cornigeros Ctesias inquit, talis primum, iisque nigris præditos esse, deinde si quis eos cõfregerit, interiora quoque nigra deprehensurum esse, neque modò corporis velocitate longe multúmque cæteros asinos superare, sed & velocitate eadem multo equis, & elephantis præstare. Cùm autem in viam se dederunt, tardius primò ingrediuntur, deinde paulatim tantum confirmantur, ad contendendum iter, eos quidem vt sequi operosum sit, eorum verò cursum transcurrere nulli concedatur: postea autem quàm fœminæ pepererunt, patres circum pullos à partu recentes summa custodia versantur, eorúmque commorationes locis Indiæ desertissimis sunt, cùm à venatoribus Indis inuaduntur, pullos suos adhuc ætate infirmos à tergo suo pascentes habent, atque pro eis propugnant. Contra equites audent venire, eósque ferire, tanto sane hi robore existunt, nihil eis vt obsistere queat: quin statim & concedat, & perdatur, equorúmque incursu latera discerpunt, &

lacerant

lacerant, & viscera disrumpunt. Ex quo fit vt ad eos equi appropinquare valde metuant: appropinquatio enim capitalem vtrisque mulctam miserabilem infert. Ex eo namque conflictu non equi modò, sed & asini pereunt. Pergrauiter calcibus pugnāt. Eorum morsus eatenus acerbiores existunt, vt quicquid comprehenderint funditus diripiant. Ex his verò qui sunt confirmata ætate, incomprehensibiles sunt: carnes eorū quòd amarißimæ sint, haudquaquam esculentæ.

De Libycis bestiis scientibus numerare.

CAPVT LII.

R*Ationis expertia animalia numerorum rationem tenere Eudemus affirmat, quod quidem ipsum Libycorum animalium testimonio, quorum nomen non explicauit comprobat. Quæ autem dicit hæc sunt, Hæc animalia huiusmodi quodcunque venata fuerint, in vndecim partes diuidūt, & decem quidem comedunt, vndecimam relinquunt. Cur eam tanquam decumam relinquant, consideratione dignum est, suo ingenio vnum, & duo, & deinceps reliquos numeros sciunt: mirum igitur videri debet bruta animalia sua sponte nullo docente numerandi scientiam percipere, hominem autem rationis participem nisi vehementi cura, aßiduo studio, ac nonnunquam ne multa quidem verberatione numeorum vim cognitionémque comprehendere posse.*

De œn

De œnadē, quam Theodorus vertit vinaginem. CAP. LIII.

OEnada autem esse, non vt quidam arbitrantur vitem, scire oportet, eam paulo maiorem columbo. Aristoteles tradit, palumbo minorem, vnde quosdam in Sparta œnadotheres quasi vinaginis venatores appellari audio.

De aspidis amore. CAP. LIIII.

QVod Aegyptij de aspide dicunt, id libenter sapientiæ studiosi audiunt, in quadam Aegyptiorum præfectura nomen ab Hercule trahente formosum puerum anserum custodem ab aspide serpente tam mirificè adamatum fuisse, vt is cùm obdormisset, è somno ad declinandas insidias quas aspidis coniux rivalitate commotus ei moliretur, ab ea excitatus fuerit, & sibi cauerit. Homerus equo dedit vocem, aspidi natura, quæ leges negligit, vt dicit Euripides.

De camelis. CAP. LV.

CVm camelos quinquaginta annos viuere percepi, tum Bactrianos ad centesimum annum, tum mares vt pugnaciores sint à Bactris populis castrari: ita & petulantia excisa, maiori robore esse: camelis etiam fœminis vuluas ferro exulcerari, vt partibus illis quæ ad furorem libidinis incitant adustis, ad bellum aptiores existant.

De vituli marini amore. CAP. LVI.

VItulum marinum Eudemus ait in hominem spongias

ſpongias piſcari ſolitum amore flagraſſe, eóque vbi ſubterranea petra eſſet extra mare progreſſum cum ſpongiatore verſatum fuiſſe: quòd autem cùm is deformiſſimus eſſet, vitulo formoſiſſimus videretur, nihil forſan mirum videri debet, cum ſæpenumero homines in mulieres turpiſſimas amore inflammentur: cõtrà ab elegãtibus valde abhorreant.

De hydro. CAP. LVII.

HYdro percuſſum Ariſtoteles ait ſtatim odorem teterrimũ reddere, ex eóque quòd tam malè oleat, ei neminem appropinquare poſſe, idem quoque ait percuſſum cum obliuione circunfundi, eiúſque oculis multam caliginem offundi, tum rabiem, & ſummum tremorem eidem exoriri, tertióque die perire.

De aue cyano. CAP. LVIII.

AVis cui cyanus nomen eſt, natura ſua ab hominum conſuetudine abhorret. Vrbanas commorationes odio perſequitur, locorum agreſtium, vbi homines verſari ſoleant inſolens eſt, eis locis in quibus eſt ab hominibus ſolitudo, & montium iugis, & præcipitijs delectatur. Epirum, & inſulas hominum frequentia habitabiles haud ſanè in amore habet: Scyro & ſi qua eſt eiuſmodi alia ſterilis, & ab hominibus inops delectatur.

De ſpino aue. CAP. LIX.

SPini aues in poſterum longiſſimè prouidentes hominibus ad rerum futurarum coniecturam

ſapientiores ſunt. Etenim hyemem futuram præſentiunt, & niuem prænoſcunt, & multa cautione obſeruant ne ijs opprimantur, itaque earum acerbitatis metuentes tanquam ad perfugia, ſic ad loca nemoribus frequentia confugiunt.



AELIANI LIBER quintus hiſtoriæ animalium.

De auibus Mennoniis. CAP. I.



Arianam terram Cyzico vicinam aues aſpectu nigras incolere ferunt, quæ figura corporis, & forma accipitribus ſimiles eſſe videntur, ex vſu carniu cùm ſe abſtinent, tum in omni victus ratione ſe cōtinent. Eis enim ad prandendum ſemina ſatis ſunt. Cùm autumnus eſſe cœpit, Ilium gregatim aduolant. Eas autem iccirco Mennonias vocant, quòd recta ad Mennonis ſepulchrum proficiſcantur. Id enim vel etiam nunc à Troadis incolis ad ornamētum Mennonis conditum ibi fuiſſe dicitur, atque Mennonis cadauer ex cæde à matre in Suſa tantopere decantata

tata exportatum fuisse, vt humatione afficeretur, eque dignitate illius exequiarum iusta ei persoluerentur. Aues igitur Mennonis gentiles quotannis eò proficisci, ibique primum in contrarias partes distrahi, deinde pugnam committere, eámque summa contentione tandiu pugnare, dum ex his media pars pereat, altera victrix discedat. Iam de causis cur hæc accidant philosophari nec mihi libet, neque etiam vacuus sum ad scrutanda naturæ abstrusa atque abdita: illud tamen epitaphium dicetur filio Auroræ & Tithoni. Hoc certamen concertant tot annos prædictæ aues, Peliam semel Græci decorarunt certamine & Amarycea & Patroclum & Achillem oppugnatorem Mennonis.

De noctua, & de Creta, in qua non est animal maleficum. CAP. II.

IN Creta non nasci noctuas & importatas mori aliunde aiunt. Videtur Euripides imperitè fecisse Polyidum videntem noctuam & ex hac augurantem, quoniam inueniret Glaucum mortuum Minoi filium: audio etiam Cretenses illa canere præter iam dicta, Cretam donum accepisse à Ioue, nimirum Iouis nutricem & occultatricem liberam esse omni malefico animali, ita vt neque ipsa vllum pariat neq; aliunde exportatum alat. Cuius rei argumentũ demonstratur, si quis vel tentandi vel reprehendendi Iouis doni causa aliquod externũ huiusmodi animal importauerit in Cretam, vt terram

Cretensem attigerit, id perit. Itaque qui venantur serpentes in vicina Libya tale quiddam machinari præstigiatores, qui permultos feros serpentes mansuefacere solent in admirationem hominum, cùm in Cretam portant serpentes, simul cum ipsis etiam portant tantum terræ Libycæ, quantum satis sit ad vsum serpentum, ne pereant. Quare cum in Cretam insulam accedunt, non prius serpentes deponunt, quàm terram externam à se ipsis apportatam substrauerint, ad hæc spectanda congregant multitudinem & indoctum vulgus adducunt in admirationem. Quandiu verò serpentes in terra externa collocati manserint, etiam si assurgant, & non excedant puluerem domesticum, tandiu quidem viuere possunt. At si egrediantur in externam & sibi inimicam terram, moriuntur: & iure quidem. nam si numen Iouis Theti & alijs permultis vtile fuit, quanto magis terræ nutrici suæ videri debet?

De verme amnis Indi. CAP. III.

INdus fluuius bestiarum ferarum expers est, solum in eo nasci vermen aiunt, speciémque eorum qui ex ligno gignuntur, & aluntur, gerere, ad septem cubitorum longitudinem & eò amplius procedere, eius craßitudinem decem annos natus puer, manibus vix complecti queat, ijs in superioris oris sede vnus dens inest, in inferiori alter, ambo quadranguli cubitalem longitudinem habent: quod enim cunque siue animal, siue lapidem comprehen-

derit

derit, facilimè conterit. Interdiu ima in sede fluminis versatur, cœno gaudens: noctu ad terram procedit, & in quodcunque inciderit, vel equum, vel bouem, vel asinum, conficit, atque in suas sedes trahit, & in flumen abstrusus, membra omnia excepto ventre exedit. Ac si de die fame premitur, & siue camelus siue bos in ripa bibit, violentißimo impetu summa labra mordicus comprehendit, & robusto tractu in aquam abreptum edit. Eius pellis duorum digitorum craßitudine est, eiusmodi autem machinatione capitur: hamum robustum ad ferream cathenam alligatum deiiciunt, & ne ferrum deuoret, agnum aut hœdum ad illecebram in hamum implicant, deinde in fluuium demittunt. Triginta viri hasta & ense accincti, & corneis sudibus bene robustis, si percutere sit necesse, adsunt: deinde hamo captum trahunt, & abstractum interficiunt. Triginta dies appensum tenent, atque ex eo in fictilia vasa crassum oleum stillat: singuli vermes quinque olei sextarios reddunt, quod quidem ipsum regi Indorum apportant. Huius ea est vis olei, vt sine vllo igne eius infusa hemina quencunque lignorum aceruum comburat: ac si vel hominem velis vel aliud animal exurere, primùm vt hoc infuderis, funditus statim deflagrauerit. Eodem ipso Persarum regem aiunt capere hostium vrbes, neque arietes, testudines, aliáque bellica tormenta ad eas capiendas opus esse: nam cum fictilia

vaſa vnius heminæ capacia eo impleta & obſtructa in portas iaculatur, vaſa quidem ad portas alliſa rumpuntur, at oleum delapſum ignem circunfundit, vt reſtingui non poſſit, & flamma inſaturabilis comburit homines pugnantes. **Hæc Cteſias Cnidius.**

De balena. CAP. IIII.

B*Alena quemadmodum delphinus lac habet, colore quanquam nigro, nō eſt maxime tamen cyaneo, qui medium inter nigrum & viridem locum tenet, conſpicitur non branchijs ſed fiſtula, ſic enim huius reſpirandi viam appellant ſpiritum ducit, ſedes & commoratio huic eſt Pontus, extra ſedes illas minimè vagatur.*

De auium pugna. CAP. V.

S*I eius belli quod cum aue mare committit fœmina victoriam reportet, eius collum voluptate effertur: non tantum tamen quantum galli qui inflantur, tum maximis ſpiritibus implentur, & longo tibiarum tractu gradiuntur.*

De amore delphinorum in ſuum genus.

CAPVT VI.

V*Rbs Thraciæ cui nomen eſt Aenos, præclarum dat teſtimoniū delphini amoris, quem erga ſuam nationem habet. cùm forte euenisſet, delphinus vt vulnere accepto non mortifero quidem, ſed ſanguinem mittente, caperetur, reliqui non capti idipſum vt ſenſerunt maximis ſaltibus*

ad

ad portum gregatim profecti probe studium suum captiuo nauarūt. Paruuli delphini cum ijs qui sunt confirmata ætate ideo natare solent, quia nondum ex ætatis infirmitate soli audent. Hi igitur adolescentes de suis periculis pertimescentes captiuum deseruerunt, natu maiores tanquam socium quendam homines genere se contingentem, sic ij tristes pergebant illum comitari & magno studio subleuare, cùm vel homines ipsi cum intimis & necessarijs infelicibus suis studium & curam perrarò communicare soliti sint.

De simia & fele. CAP. VII.

CUm feles simiam in Aegypto insequerentur, hæc autem omni neruulorum contentione in fugam se impellens rectà conscendisset in arborem, atque illi ad eandem arborem ascendissent, ad corticem enim inhærentes sursum correpere sciunt, hæc sane vt sola à pluribus circumuenta ex arboris trunco ad ramorum cacumina se vertens, diu multúmque ex his extremis pependit: illi tum quòd eò accedere non quirent, ad aliam se conuerterunt venationem, hæc autem ipsa studiose, & diligenter se ex periculo seruauit, nec cuipiam alij, quàm sibimetipsi salutis præmium debuit.

Animalium naturales antipathiæ. CA. VIII.

ARistoteles serpentibus inimicam esse Astipaleorum terrā tradit, sicut Rhenæā terram mustellis, cornix Athenensium arcem non adit.

De cicadis Rheginensibus & Locrensibus. CAPVT IX.

Rhegini, & locri pacem inter se habent, atq; vtrisque ad alterorum agros accedere, & agricultionem exercere liberum est, cicadæ tamen cum ijs non sentiunt, nam Locrenses in Rhegino agro silent, Rheginæ vicissim Locris mutæ sunt, huiusce silentij nec ipse causam, neque quisquam alius nisi ad disserendum sit temere audax intelligit. Sola igitur natura nouit. Fluuij igitur inter Rheginos & Locros medij ripæ etsi non iugeris spatio distant, tamen neutræ transuolant. In Cephalenia fluuius est qui inter cicadarum sterilitatem & copiam medius interfluit, in Macedonia etiam cicadarum genus mutum habetur.

De studio apum erga regem suum. CAP. X.

Regem suum apes lenitudine imperij dulcem & mansuetudine morum suauem, nulloque spiculo armatum, cum is defugiens ipsas reliquit, accersunt, & fugitiuum à regno insequuntur. Ipsum autem sagacissimè odorantur, ac nimirum ex eius odore deprehensum sua sponte moderationis amantes de fuga in regnum reducunt. Athenienses de ciuitate Pisistratum expulerunt, atque principatu exuerunt, Dionysium Syracusani regno eiecerunt, alij alios tyrannos iniquos, & regnandi artem quæ humanitas & subditorum moderatio est factitare nescientes ex tyrannide deiecerunt,

&

& omnibus fortunis funditus euerterunt.

De earum rege. CAP. XI.

Apum regi curæ est, modum alijs statuere, & ordinem afferre, alias enim aquari iubet, alias intus mella fingere, extruere, expolire, suggerere: alias verò ad pastiones proficisci, mutationem operarum, & vicißitudinem munerum faciunt. Prouecta ætate ad id delectæ sunt, vt domo se teneant. Rex ipse satis habet illa curare quæ ante dixi, leges nimirum perinde vt summi principes, dicere: quos philosophi vel politicos, vel ad moderanda regna aptos esse scribunt, cæterum munerum operosorum immunitatem habens, at laborando quiescit. Quòd si migratio potior ad vsum sit, quàm mansio, tum rex pergit emigrare, acsi ab ætate firmus sit, antecedit examen, dux ad proficiscendum: reliquæ eius ductum sequuntur. Sin ætate affectus sit, cæteris apibus vehitur. Signo dato somnum capiunt. cùm tempus est ad quietem proficisci, vna quæpiam à rege iubetur somni significationem dare, quæ simul vt ad dormiendum signum sustulit, statim eæ somnum accipere pergunt. Quoad rex viuit, tandiu examen pace fruitur, omniq; ordinum perturbatione caret, fuci suis cellis libenter se continent, seniores suum locum habent, natu minores item suum, & rex separatim à reliquis habitat, soboles apum post manet. Excrementa in locũ separatum congeruntur. Rege extincto omnia

perturbantur, & funditus peruertuntur. Fuci in apum cellis pariunt, atque miscent, omnia denique regis defectione ac inopia pereunt, tum etiam pure & munde viuunt: nullius animalis carnes edunt: neque tamen ad hanc cautionem Pythagoræ symbolum ijs opus est, satis habent floribus vesci, quòd maxima temperantia sint. Libidinem & delitias odio persequuntur. Cuius rei testimonio est, quòd vnguento delibutum insectantur, & tanquam hostem qui nefarium quippiam admiserit, exagitant: à complexu venereo recentem cognoscunt, atque illum sicut hostem insequuntur, fortibus nihil concedunt, neque ab animalium vllo refugiunt cum ijs qui sibi molesti non interueniunt, quique nec malitiose, nec dolose alueos adeunt, pacem seruant, fœderéque deuinciuntur: contrà inexpiabile bellum cum interpellantibus & vexantibus gerunt: mellis populator in hostium numero locóque ducitur. Vespas acerrimè verberant, eas aliquando equum Aristoteles affirmat, non modo fortissimè inuasisse, sed etiam interemisse: atque inter se contendunt, & potentiores vincunt debiliores. Bis nocent rubetæ, & ranæ lutariæ, meropes, hirundines, & vespæ, quas quicunque vicerit, Cadmeam reportat victoriam: nam valde afflictus, aculeis discedit victor: non enim animi robore minus quàm aculeis armatæ sunt. Apes non esse expertes sapientiæ & prouidentiæ Aristoteles colligit vel ex eo, quòd

profect

profectæ apes ad alueum non domesticum sed alienum, etsi mel nihil ad se pertinens populentur, tamen apes quæ sunt domesticæ illius aluei suum laborem diripi quietè & patienter tolerant futuram vltionem fortiter expectantes. Nam vt curator apum permultas apes inimicas interfecit, illæ domesticæ cognoscentes se esse, iam pares ad pugnandum vlciscuntur, & pœnas iustas sumunt de externis populatricibus suis.

Quemadmodum apes ex alueis non se mouent. CAP. XII.

H*Oc quidē ipsum apum sedulitati & operoso labori testimonio est, ab occasu vergiliarum ad vernum æquinoctium in locis hiberno frigore infestißimis non se ab alueis commouent, sed temporis desiderio & frigoris fuga, intus manent, reliquo anni tempore segnitiem & otium odio habentes, diligentißimè & laboriosißimè operantur, nec quisquam extra hyemale tempus ac morbum videat apem otiari.*

De geometria earundem. CAP. XIII.

G*Eometriam, figurarum pulchritudinem, fingendi elegantiam sine arte, sine regulis, sine circino simul & figuras sexangulas, & sex laterum, & æqualium apes conficiunt, cùm autem ex sobole alueus apibus redundat tanquam maximæ vrbes hominum multitudine redundantes, sic illæ colonias deducunt: ingruentis pluuiæ aduentum*

præs

præsentiunt, & ventum acerbum futurum præno-scunt. Verùm si ventus præter opinionem apibus acciderit, videbis singulas apes ferentes lapillum summis pedibus ad firmamentum ne euertantur. Iam verò quod diuinus Plato de cicadarum musica & cantu, hoc & de apum choro dicere posset quispiam, cùm in fugam se erumpunt, & ab alueo aberrare cœperunt, tum apiarij crepitaculis sonoris crepant, eæ verò tanquam sirenibus retrahuntur, atque adeò in consueta domicilia rouolant.

Diuersi mores murium & scorpiorum.

CAPVT XIIII.

IN *Paro insula Aristoteles dicit mures esse, & terram vnde foditur ferrum comedere, idipsum facere in Teredone terra Babyloniæ scribit Amyntas. In Latino Cariæ audio scorpios esse qui domesticos homines mortali vulnere percutiunt, at externos leni, & sine vllo damno, quod Iupiter hospitalis dedit hospitibus.*

De musca. CAP. XV.

NOs *etiam muscam honoris expertem ne relinquamus & merito. naturæ enim illa etiã creatura est. Muscæ Pisatides per festum Olympiorum pacem habent cum externis & indigenis. Tot igitur sacrificijs factis, & tanto sanguine effuso & carnibus suspensis, muscæ vltro discedunt, & Alpheum fluuium transuolant, & videntur non longe differre à mulieribus illius loci incolis:*

eas

eas enim certaminis casti lex expellit, at muscæ volentes sua sponte à sacrificijs discedunt tempore sacrificiorum & certaminum; vt vero peracta sunt tanquam decreto reuocatæ ab exilio redeunt in Elin rursus vt mulieres.

Vespæ regno non tyrannide reguntur.

CAPVT XVI.

Sub regnum, & potestatem vespæ etiam subijciuntur, non tamen sicut homines tyrannide tenentur, cuius rei testimonio est, & quòd sine spiculo sunt, & quòd earum principes quanquam duplo maiore corpore sunt, & mansueti tamen sunt, & qui neque volentes neque inuiti molestiam exhibere possint. Quis igitur non oderit in Sicilia Dionysios, in Heraclia Clearchum, Apollodorum Cassandrinorum prædonẽ, & Lacedæmoniorum perniciosum Abim? Siquidẽ hi gladiorum confidentia regnarunt: reges verò vesparum sine aculeo mansuetudine nituntur.

De aculeatarum vesparum malitia. CA. XVII.

Aculeatæ vespæ illud facere dicuntur in viperam, quam mortuam perspexerint inuolantes veneno aculeum imbuunt, vnde mihi homines disciplinam non eam quidem bonam veneno inficiendi sagittas hausisse videntur. Quod quidem ipsum Homerus in Odyssæa testatur, cùm ait venenum quærens vt iacula ærea obtineret, ac sane Hercules hydræ veneno iacula tinxit, sic vespæ viperina

perina acerbitate aculeos afficiunt.

De orpho. CAP. XVIII.

ORphus piscis marinus est, quem si postquam ceperis disseces, statim non moritur, sed motum non parum diu retinet, hyberno tempore cum in speluncis se tenet, tum vero ad continentem libenter commoratur, quòd magis littoralis sit quàm pelagius.

De lupis. CAP. XIX.

COntra taurum lupus ire, & simul eũ à fronte ideo adoriri nõ audet, quòd & cornua extimescat, & eorum robur mucronatum declinare studeat, quamobrem primum velut recta via contra eum pugnaturus esset præ se gerit minas, & ob illius oculos sese crebrò versat, deinde se retorquens in dorsum insilit, & acerrime ad eius perniciem incumbit, atque cum naturæ astutia suam infirmitatem compensans ipsum expugnat.

De asello marino. CAP. XX.

COr in ventre marinum asellum habere harum rerum periti asseueranter nos docent, atque in sermonem hominum venit, huius partum nunquam deprehensum fuisse.

De pauone. CAP. XXI.

NOn modò pauo se non ignorat ex auibus formosissimum esse, verum etiam vbi formæ sita sit pulchritudo præclare tenet, atque ea elatus & ceruiculam iactat, & ex pennis quæ ei nõ me-

diocre ornamentum afferunt, maximos spiritus sumit: his enim spectatoribus metum inijcit, & aestiuo tempore natiuum & non accersitum habet tegmentum. Quòd si quē velit exterrere, pennas primum explicat, deinde ad inijciendum terrorem hic concrepat, capitisque elatione, ac superbo supercilio velut triplicem cristam iactat. Cùm refrigeratio ei necessaria est, tum passis pennis & in anteriorem partem reflexis ex sese corpus suum opacans caloris vim frangit, & propulsat, si retro, atque à tergo ventus flat, alas paulatim pandit, atq; ventus interspirans auras, & molles, & suaues ei afflat, vnde is refrigeratur. Quòd si laudatur tanquam formosus puer, aut mulier pulchra, corporis praestantiam belle ostentat. Sic is ipse pennas ornate, & ordine erigit, vt vel florido prato, vel variae picturae similis esse videatur. Ac verò ante pictorum oculos se ad imitandum exponens abunde sui pingendi potestatem facit, & spectatorem conspectu suo expleri facile patitur, & quaquauersus conchatam caudam intorquens gemmatiorem, & variam magis, quàm sint Medorum Persarúmue vestes suam stolam ambitiose admodum, & elate ostentat. Ex Barbaris ad Graecos exportatus esse dicitur; primùm autem longo temporis interuallo rarus, deinde studiosis elegantiae, & pulchritudinis pretio spectatus fuit. Athenis & viros & mulieres admittentes ad huiusmodi spectaculum ex eo

quæstum fecerunt, atque vt in oratione contra Era sistratum Antiphon inquit, marem & fœminam mille drachmis æstimarunt. Hortensius homo Romanus cœnam primus Romæ sacerdotij adijcialem cum pauone dedit. Alexander Macedo eiusmodi aues apud Indos videns, earum admiratione commotus in eos qui has occiderent grauem pœnam constituit.

De muribus. CAP. XXII.

CVm mures in aquatile vas delapsi ascendere non queunt, mutuas inter se caudas mordicus tenentes sese subtrahunt, secundum quidem primus, tertium secundus. sic enim eos mutuas inter se operas sapientissima natura ponere docuit.

De crocodilis. CAP. XXIII.

AD hanc rationem de Nilo aquam haurientibus crocodili abstrusas insidias instruunt: nam per virgulta quibus sunt tecti, & intuentur, & subter ea ipsa natant, ac sic operti se ad littus magis saltibus incitant, confestimq́; ex virgultorum latebris erumpentes aquatores dum aquam hauriunt violento raptu interceptos deuorant, quod quidem ipsum crocodilorum malitiam & fraudem facile ostendit.

De canibus & otide. CAP. XXIIII.

LEpus & vulpes canum metu exhorrescunt, atque interdum sola canis latrantis denuntiatione ex loco vndique septo vepribus, & dumetis

vestito excitantur. Canes leonem in fugam compellunt, ceruos insequuntur: sed & auis nulla non canem paruifacit. Vnam autem otidem excipio, quæ propter corporis sui grauitatem, & tarditatem canem perhorrescit: eam enim ponderosa corporis molle constrictam alæ non facile alleuant, idcircóque demisso atque humili volatu vtitur, quia pondere deprimitur. Ex eo fit vt nonnunquam à canibus capiatur, itaque conscientia suæ humilitatis perculsa simul ac canes latrantes audiuerit, in dumeta aut paludes excurrit quibus & protegatur, & ab instanti periculo seruetur.

De agnis. CAP. XXV.

SErò admodum suos parentes homo cognoscere incipit, cum tamen intueri in patrem complecti matrem, versari cum domesticis doceatur, atq; eius etiam oculis ac animo nomen paternum crebrò inculcetur, & decantatum habeat: agni verò simul vt sunt in lucem suscepti, circum matres statim erratico saltu concursare, & domesticum incipiunt ab alieno internoscere: neque tamen ad huius rei notionem præcipientium opera vti necesse habent.

De simia. CAP. XXVI.

SImia actuosum animal & ad omnia imitanda habile, omne quod corpore agitur si doceatur præclare discit, & idipsum actione repræsentat, ac si saltare doceatur saltationẽ assequitur, si ad tibiã

canere, canit, ego aurigæ munus obire vidi, habenas nimirum vel adducendi vel remittendi & flagello simul vtendi: breui, si quis ad alia quæpiam instituat non fallet docentem. adeò varium natura animal est, & multiplex, vt ad omnem actionem sese verset.

Diuersæ naturæ leporum & meleagridum, boum & suilli pecoris. CA. XXVII.

AB alijs diuersæ sunt naturæ, lepores apud Bizaltas bina habere iecinora Theopompus inquit. Iam in Olero Hister ait meleagridas à nullis auibus vngues vncinatas habentibus violari. Aristoteles quoq; dicit in Neuris populis boues cornua in humeris gerere. Agatharchides tradit in Aethiopia sues habere cornua. Sostratus merulas dicit omnes esse albas Cyllenæ. Alexander Myndius in Ponto scribit oues pingues fieri amarißimo absinthio, capras natas in Minante sex menses non bibere, sed duntaxat in mare intueri hiantes auráq; illinc excipere idem tradit: capras Illyricas audio vngues pedum indiuisos habere. Theophrastus dicit in Babylone pisces ex flumine egredi, & in sicco cibum sæpe capere.

De amore porphyrionis erga suos contubernales. CAP. XXVIII.

POrphyrio præterquam quòd & riualis est, & obtrectator, ea sane etiam naturæ indole

præd

præditus est, vt eorum quibuscum vsu coniunctus est, amantissimus esse dicatur, eum ipsum & gallum in eodem versari domicilio percepi easdemq; ambulationes, & æqualia spatia conficere solere, eisdem vesci cibis: communiter puluerulentis vti volutationibus, mirificúmque ex his rebus amorem inter se mutuum contraxisse. Etenim cùm vtriusque dominus festo quodam die cum sodalibus vt epulari sacrificium faceret, gallum occidisset, porphyrio conuictore priuatus tantum doloris accepit, sibi vt inedia mortem conscisceret.

De ansere. CAP. XXIX.

IN Ægio Achaiæ vrbe præstantem forma puerum Olenium nomine Amphilocum, sicut Theophrastus refert, anser amauit: nam cùm in Ægiensi custodia is puer Olenius cum perfugis ab Olenio teneretur, ei anser dona afferebat. Nihil igitur mirum, in Chio Glaucam citharœdam homines, cùm ea esset pulchritudine eximia, adamasse, si quidem ab ariete, & ansere etiam eandem audio amatam fuisse. Anseres Taurum montem transmittentes aquilarum metu singuli mordicus lapidem tenent, vt ne clangorem fundant: tanquam enim silentij fræna sibi inijcientes transuolant, atque sic suppressa omnis clangoris significatione persæpe aquilas fallunt. Quòd autem natura calidissimi sunt, idcirco lauationum cupidissimi existunt. Etenim natare gaudent,

& quemadmodum cibariȷs summè humidis quibus interius refrigerentur, delectantur, sic nec lauri folia ne siquidem fame opprimantur attingunt, nec rododẽdrum sua sponte nec adhibita vi edunt: præclarè enim intelligunt si quid tale comederint, se vita priuatum iri. Contrà *homines non modò in cibo & potione, sed per somnum insidiȷs attentantur, infinitáque hominum milia partim venenata potione perierunt, vt Alexander, partim cibo vt Claudius & Britannicus eius filius, ac veneni vi sopiti de lecto non surrexerunt.*

De vulpansere. CAP. XXX.

R*Ecte vulpanseri nomen inductum est, quod ex ingenitis naturæ suæ rebus trahit. Cùm enim anseris speciem habeat, tum probe cum vulpe callida improbitate comparari potest. Atque etiam si corpore anser inferior sit, animi tamen robore superior, & ad inuadendum præstantior habetur, ab aquilæ & felis & cæterorum hostium suorum iniuriȷs se defendit, & propulsat.*

De serpente. CAP. XXXI.

H*Aec etiam vis & natura ad serpentium nationem pertinet, cor quidem vt in gutture habeant, fel autem ad intestina, testiculos ad caudam possideant, longula sanè oua & mollia pariant, in dentibus venenum gerant.*

De pauone. CAP. XXXII.

I*D pauonis proprium etiam notione dignum est, quòd*

quòd tres annos natus incipit ex ſeſe parere, & varios colores fundere, non continenter quidem ſed duorum dierum interuallo ouis incubat, & ſimul ſic irrita & vana quemadmodum cæteræ aues oua parit.

De anate. CAP. XXXIII.

PRimum vt anas peperit (parit enim in terra extra aquam, aut prope ſtagnum, aut paludem, aliúmue aquoſum locum) ſtatim eius fœtus recondita quadam natura, & propria aquam perſequitur. Præclare enim intelligunt ſe cum naturæ non ſint ad volandum aptæ participes, cœli incolas non eſſe poſſe, neque terrenæ, cum non ſint beſtiæ, in terra verſari oportere: quocirca à partu ſtatim natatiles ad aquam aſſiliunt, neque tamen natare diſcere neceſſe habent, at tanquam temporis longinquitate eruditæ & ſapienter emergunt & merguntur. Nam cùm aquila anataria in eos ipſos rapiendos inuolat, ſe intra aquam ſubmerſione abdunt, atque infra aquam natando ex alio loco eminent extra aquam. Quòd ſi aquila illic quoque incumbat, & inſtet, hæc iterum & ſæpius demergitur, & tandiu id facit quoad vel ipſa demerſa ſuffocatur, vel aquila diſcedit ad aliam venationem, & ipſa adepta impunitatem rurſus emergit.

De cycno. CAP. XXXIIII.

MAxima re hominibus cycnus præſtat. non modo enim nouit quando ipſe appropinquat

vt moriatur, sed vt placatissimè, & lenissimè mortem ferat à natura est præclarissimum donum consecutus. In morte enim nullum acerbi doloris sensum inesse se in optimam spem induxit: homines autem quod nesciunt, id & exhorrent, & summum malum existimant: olori verò tanta animi est tranquillitas in extremo vitæ spiritu vt sibi tanquam Næuiam canat, qualem Bellerophontem heroico & magno animo ad mortem paratum canit Euripides. Illum enim inducit loquentem cum anima sua his verbis, Eus in deos pia, externis auxiliabare, non irascebare amicis. Profectò & cycnus tale funebre carmen viaticum dans peregrinationis, aut deorum hymnos, aut laudem peculiarem. Quòd autem non angore atque molestia implicatus eum extremum cantum edat, Socrates testatur, sed potius alacri animo affectus: neque enim qui animo dolorem capit, bilem ducit cantu. Neque modò ad mortem, verùm etiam ad pugnam fortis est, & vt non lacessit tanquam sanè moderatus vir & prudens, sic lacessenti & insidianti de animi robore nihil concedit. Cæteræ quidem aues cum eo pacem habent, & quasi fœdere deuinciuntur: ab aquila vero sicut Aristoteles ait, sæpe hostiliter appetitur, nunquam tamen vincitur, sed eam prouocantem animi, non solùm robore, se iure etiam optimo vincit.

De her

De herodio. CAP. XXXV.

Herodius ostreorum voracissimus est, & quemadmodum conchas pelecanes exsorbent, sic is ostrea testis obducta vorat, & in ea sede quæ ingluuies appellatur, concalefaciens tandiu custodit quoad calore stomachi discluduntur, post vbi is ipse diductas senserit testas, eas euomit & carnem ad sustentandum se retinet.

De asteria aue. CAP. XXXVI.

Avis nomine asteria mansuescit in Aegypto, atque adeò præclarè humanam vocem intelligit, vt si quis huic conuitium faciens vel appellauerit seruam, ex ea contumelia irascatur, vel eandem ipsam vocauerit pigram ea sic dolenter tanquam ignobilitatis, & segnitiæ arguta indignetur.

De torpedine & succo cyrenæo. CA. XXXVII.

SI quis tenet succum cyrenæum & torpedine capiatur, hac statim liberatur. Draconem marinum si dextera manu subtrahere velis, non sequetur, sed fortiter reluctabitur, at si sinistra duxeris, parebit & capietur.

Quanta gloriæ cupiditate luscinia laborat. CAPVT XXXVIII.

CHarmidem Massiliensem audio dicentē non modo musicæ perstudiosam esse lusciniam, verùm gloriæ etiam cupidam: cùm enim in deserta solitudine sibi tantum canit, tum simplicem

cantum, & illaboratum edit, cum autem captiua tenetur, & non caret auditoribus, cantum variat, contendit, remittit, exprimit, obscurat, quod Homerus designare videtur, cùm ait, quando Pandarei puella luscinia pulchritudine veris instantis sedens in ramis densis arborum multisonam & sæpe versam fundit vocem.

Quemadmodum leo nascitur. CAP. XXXIX.

DE animalibus oculis apertis solum leonem nasci Democritus ait: statim à partu strenuum quiddam edentem alij obseruarunt, eum cum dormit caudam mouere, vt ostendat se non omnino dormire, vt cætera animalia, quod ipsum Aegyptij se obseruasse gloriantur, leonem videlicet à somno inuictum esse, nempe qui semper vigilet: idcirco hunc soli eos comparare existimo, quòd sol laboriosissimus ad nullum temporis punctum versari intermittens circum orbem terræ, ab instituto cursu nunquam conquiescit. Cui rei Homerum testem afferunt, cum solem, inquit, operum & laborum requietem nullam habere. Cùm autem insidias bubus leo molitur, suo robore prudenter vtitur: nam noctu proficiscens ad stabula, fortitudine sua omnes quidem exterret, vnum vt arripiat, vt verò exsaturatus est, in posterum quidem reliquias seruare cupit, sed pudor certe eum prohibet in custodiā reliquiarum permanere, tanquam ab inopia cibi famem metuentem. Itaque maxime hians, graui spiritu

ritu suo afflat, teterrimam aspirationem exhalans: Sicque eiusmodi aspirationi tetræ custodia permissa discedit. Cætera autẽ animalia quamuis eò accedant & sentiant vbi illius reliquiæ iacent, non attingere audent, metuentia videri prædari, & diripere aliquid de rege suo voluisse. Quòd si ei feliciter ceciderit venatus, illum relicti primi cibi capit obliuio, húncque vt euanescentem & exoletum aspernatus, relinquit. Ac si ex venatu nihil acciderit prædæ, ad primum tanquam penariam cellam regreditur. Cùm supra quàm ferre queat, cibo se compleuit, aut quiete & inedia se exhaurit, aut simiam nactus vorat, illiusque adesis carnibus ventrem mollitum extenuat. Iam porrò iustus est leo, & virum qui se lacessiuerit, vlciscendi modum tenet. Nam primùm caudam vibrans, & per latera contorquens, se ipsum incitat, & tanquam stimulis admotis exacuit, deinde inuadenti resistit, & eum qui se appetiuerit, sed ab ictu aberrauerit, vt pariter vlciscatur, exterret quidem, at non lædit. A prima ætate cicur factus, cùm mansuetissimus est, tum verò eius occursatio facilima & iucunda: lusionibus delectatur: quiduis (modo id suo altori gratum esse sentiat) libenter sustinet. Hanno Carthaginensis leonem, quo ad vectiones sarcinarum vtebatur, habuit, vnáque cum Berenice mansuefactus leo viuebat, linguáque eius faciei blandiebatur, leniter abstergens, ac complanans rugas, demulcebat,

cum eaque in mensa conuiuebat, humaniter & apte comedens. Onomarchus Catanæ tyrãnus etiam leones habuit conuictores.

De pardalis suaueolentia. CAP. XL.

ADmirabilem quandam suauitatem olet pardalis, quam bene olendi præstantiam diuino munere donatam, cum sibi propriam plane tenet, tum vero cætera animalia hanc eius vim præclare sentiunt: hæc autem hoc modo venationem capit, Cùm horum quæ ad victus opus sunt, eget, sese vel in loca arboribus consita, vel folijs vestita ita occultat, vt inuentu difficilis tantum respiret, hinuli, dorcades, capræ syluestres, atque alia eiusmodi animalia suauis odoris illecebra attrahuntur, & proximè accedunt, illa tum, quàm mox de latebra exsiliens ad prædam se rumpit atq; eam cõprehendit.

De lolliginibus & sepiis. CAP. XLI.

AVdio animalia ruminantia treis habere ventres tribus nominibus distinctos κεκρύφαλους ἐχῖνον ἤνυστρον, *reticulum, omasum abomasum, & sepiæ duobus sunt promuscidibus præditæ, quibus ad saxa cum est in mari tempestas adhærescunt, & tanquam anchoris iactis firmatæ fluctuum incursionibus resistunt, post cum est tranquillitas solutis promuscidibus rursus natant, non contemnendam scientiã tenentes vitandi sane tempestates, atque ex periculis salutem consequendi.*

De

De apibus. CA. XLII.

SI tibi libet addiſcere apum nomina, ſine inuidia tibi dicam quæ audiui: quædam ex apibus duces appellantur, quædam ſirenes, aliæ operariæ, aliæ figulæ. Nicander ait cephenas fructum afferre, atq; in Cappadocia mel ſine fauis apes conficere ferunt, idque vt oleum perinde pingue eſſe. In Trapezunte Pontica ex buxo mel naſci accepi, hócque cum eſſe odoratu graue, tum eos qui deducti ſint de mente ad ſanitatem reſtituere, atque comitiali morbo laborantes ſanare: itémque in Media mel ex arboribus ſtillare, vt ait Euripides in Bacchis. In Cithærone dulceis ex ramis guttas manare, in Thracia ex plantis mel naſci dicitur. In Mycono non gignitur apis, quinetiam importata moritur.

De ephemero animali apud Hipamin.
CAPVT XLIII.

ARiſtoteles ait beſtiolam apud Hipamin fluuium vnum diem viuentem ſub lucem matutinam naſci, poſt autē ad ſolis occaſum extingui.

De ſepiæ & polyporum morſu. CAP. XLIIII.

VEnenatus ſepiæ morſus, tum eius dētes validi, & abditi, oſmylus & polypus habēt & iam acerrbitatē mordendi, atq; polypus acerbius mordet quā ſepia, & tamē minus veneni effundit.

De apro. CAP. XLV.

APrum priuſquàm in aliquem inuadit, dentes exacuere ferunt, cui rei teſtimonio eſt

Homerus cum ait album acuens dẽtem: atq; etiam intelligo suillum pecus sese in luto volutans ac turbidam aquam bibens, cùm pingue euadere, tum cibis qui vehementer inflent, & expleant delectari, tum etiam quietem & suile tenebris oppletum appetere, & Homerus videtur significare hæc. Nam quòd volutabris gaudeat & delectetur sordidis lacubus, Homerus designat cum sues vocat χαμευνάδας, id est, humi cubantes. Quòd autem aquam turbidam bibant & pinguescant, cùm dicit, bibentes aquam nigram pingues fieri: quòd autem gaudeant tenebris, cùm hæc scribit, sub saxo cauo dormiebant tegenti à borea: quòd autem cibis inflantibus delectetur, significat, cùm dicit suem glandibus suauiter vesci. Nõ ignorans præterea Homerus vt sus videns fœminam sese extenuet, & carnes atterat, facit mares separatim à fœminis cubare. In Salamine si sus segetem herbescentem fuerit depastus, eius dentes lege Salaminensium exteruntur. alij aliter intelligunt & dicunt viridem segetem sues depascentes debiliores habere dentes.

De canibus & perdicibus & pelargis.
CAPVT XLVI.

Canibus contra morbos quibus tentãtur herbam natura præstantem dedit, nam segetem herbescentẽ si lumbricis vexantur depasti eosdem expellunt. Cùm autem vtrunque ventrem exhaurire habent necesse, herbam dicuntur quandam comesse

messe, cuius vi partim euomendo, partim deijcienda aluo superfluentes cibos eijciunt, vnde Aegyptios aluos purgare didicisse ferunt. Item in sermonem hominum venit, perdices, ciconias & palumbos vulnere accepto origanum imponentes ad sanitatem redire, neque hominum vlla medicina vti necesse habere.

De lacerto. CAP. XLVII.

NOn hîc antiquorum testimonio mihi erit opus, quæ ipse vidi explicabo. Cum vir quispiam, lacertum magnum & opimum comprehendisset, atque æreo stilo excæcauisset, eundémque in fictilem ollam recentem vtrinque eatenus exiguis foraminibus pertusam, vt neque spirare fera prohiberetur, neque tamen exitum haberet, conclusisset, & simul terram roscidam, & herbam cuius nomen non explicauit, imposuisset, ac deinde ferreo anulo cui inesset gagates lapis, in quo lacertus incisus erat, nouem signa impressisset, quorum quotidie vnum deleret, pòst vbi nouo signo sublato ollam reclusisset, lacertum vidi oculorum vsu recuperato clarius quàm antè excæcationem aspicere. vir qui hæc fecit anulum illum dicebat oculis bonũ esse.

De amicitia & inimicitia diuersorum animalium. CAP. XLVIII.

ID summam mihi turpitudinem habere videtur, quòd non inter se homines amant, cùm expertia rationis animalia amicitiam inter se faciant, & retin

retineant: neque modò ea quæ sunt eiusdem speciei, verumetiam inter se nihil genere attingentia. cum capris enim oues amicitia coniunctæ sunt, cum turture amicitia columbæ intercedit, palumbes item & perdices bene inter se sentiunt, halcedo & carulus mutuo inter se amore tenentur, cornix & ardeola mutuam inter se amicitiam colunt, gauia cum monedula amoris coniunctionem habet, cum harpa miluus amicitiam seruat. Contrà cornices & noctuæ inexpiabili bello dissident, hostes sunt inter se miluus & coruus, itémque turtur & pyralis, ac etiam chlorio cum turture, vultures & aquilæ, & draco hostes inter se sunt. Bubalis & tauris teterrimi hostes leones existunt, elephanto infestissimus est draco, aspis & ichneumo acerrimum inter se odium exercent, ægipthus asino inimicissimus est, quem vt rudentem exaudierit, eius oua dirumpuntur, & pulli inchoati excidunt, is autem vt suos pullos vlciscatur in asini vlcera inuolans ea lacerat, circum etiam vulpes odio persequitur, coruum taurus, floro odium est cum equo, delphinus & balena dissentiunt, lupi cum mugilibus discordant, conger cum murena, aliáque item cum alijs odium habent.

De vrsis & elephantis. CAP. XLIX.

VRsæ posteaquam venatores (qui non humi modò se sternunt, sed & os ad terram abijciunt, & spiritum continent) odorati fuerint, tanquam

quam mortuos relinquunt: eiusmodi enim animalium genus existimatur mortuos odisse. Mures etiam oderunt eos qui in suis sedibus & cauernis moriuntur, itémque hirundines & apes suas gregales extinctas eijciunt. Formicis etiam natura tributum est, vt sui generis defunctas ex cauernis efferant, vt mundius habitent, & quia hoc etiam peculiare brutis est sui generis mortuos ex oculis cito auferre, sermonibus græcanico fastu carentibus peruagatum est. Elephantus cum alterum perspexerit mortuum, non præterit quin humum promuscide haustam velut sanctam & mysticam inijciat, communem naturam miseratus mortuo parentans, vt ne aliquid impiè committat. Nam hoc quidem ipsum non agere execrabile ducit: quare ad hoc nefarium scelus vitandum satis est ei vel ramum inijcere, quo facto abit, communem omnium finem non aspernatus. Tum etiam ad nos is sermo permanauit, elephantos cùm ex vulnere siue id in bello siue in venatione acceperint, aut obuiam herbam aut fortuito obiectum puluerem alleuantes in cœlum suspicere, eúmque puluerem herbámue iacere & simul voce sua propria lamentari, & miserabiliter supplicare tanquam Deum ob ea quæ iniustè & indignè sustinent obtestantes.

Mansueta animalia quibus animalibus non confidunt. CAP. L.

H*Anc etiam vim naturámq; animalium non ignorare*

ignorare oportet, aues cicures & domesticas audacter contemnere equos, asinos, boues: ac si cum mansuefactis elephantis aluntur, non modò eos non timere, verùm per eos etiam ipsos gradi. Iam enim gallinacei vt in eorum dorsis consiidere audent, sic magnum eis metum mustella vel præteriens inijcit, & qui vocem vel mugientium vel rudentium præclare contemnunt, eius illius clamorem vehementer horrent. Anseres item & canes & magnas struthiones nihili faciunt, contra accipitrem vel multo minimum formidant: gallorum cantus leones exterret, metu basiliscos exanimat, feles & miluos extimescit: clangorem quidem aut aquilarum aut vulturum facile columbæ spernunt, non item circi & marinæ aquilæ. Agni & hœdi pulli omnes statim vt nati sunt ad mammas maternas accurrunt, & lac suggentes implentur. Fidipeda omnia lupi & canes & leænæ & pardales supina stant cum præbent mammas suis gnatis.

Animalium diuersi soni. CAP. LI.

Quemadmodum homines varijs linguis loquuntur, sic animalibus rationis expertibus natura comparauit vt diuersum quiddam & varium sonent. Ex hominibus aliter Scytha, aliter Indus loquitur, aliter Græcus. Animalium alia fremunt, alia mugiunt, alia hinniunt, quædam rudunt, quædam latrant, alia rugiunt, nonnulla clangunt aut strident, alia suauiter cantant: sunt etiam quæ

balbut

balbutiant. Sexcenta naturæ dona alia alijs animantibus propria existunt.

De aspidibus prope Nilum habitantibus.

CAPVT LII.

IN vtraque Nili ripa aspides latibulis se tegunt, & tanquam ædes suas homines, sic hoc flumen omni alio tempore iucundè, & suauiter accolunt. Cùm autem in agros Nilus redundat, tum triginta circiter antè diebus longius ab eo fluuio in loca eminentiora vnà cum fœtibus suis demigrant: quod quidem munus à natura acceperunt, tanti vt fluminis tanquam operosi quotannis accessionem & decessionem non modò non ignorent, sed ab eius etiam damno cauere sciant, atque etiam testudines, & cancri, & crocodili in ea loca, Nilo inaccessa id temporis oua transferunt, vnde ij qui oua eorum offendunt, quando Nilus sit agros irrigaturus facile colligunt.

De fluuiatilibus equis. CAP. LIII.

FLuuiatiles equi Nili alumni, segetum vt maturitas venit, & flauent spicæ non eas continuò depasci ingrediuntur, sed extrinsecus coniecturis assequuntur, quantum ad se explendos satis sit, post considerationem pascere aggrediuntur, ac postquam sunt pabulo conferti auersis vestigijs retroq; versus ad Nilum cedere properãt. Hoc enim ipsum eo pacto machinantur, vt si qui agricolæ sese inuaserint hostes aduerso corpore nõ à tergo excipiant,

ſummè impius eſt, parentem enim ſuum exeſt & conficit.

Quemadmodum pardales capiunt ſimias.

CAPVT LIIII.

QVamobrem in Mauritania pardales cùm robore ſint & viribus præſtantes, non curſu quo maximè valent, ſimias perſequi aggrediuntur. Cauſa eſt, quoniam non longè ante hanc excurrentes ſeſe tradunt, ſed & vt mox eam viderunt, in fugam ſe conferentes, in arbores altas aſcendunt, & illius impetum declinantes illic conſident, veruntamen pardalis ad hanc rationem ſimia doloſior, inſidias molitur, & dolos nectit. Vbi enim ſimiarum multitudo manet, eò profecta, ad terram ſe ſub arbore abijcit, & ventre proiecto humi, ſic iacet, tibias vt admodum remiſſe porrigat, oculos claudat, ſpiritu compreſſo ſeſe anhelando cõtineat, & verè mortua videatur. Illæ verò hoſtem ex alto deſpicientes, mortuum ſuſpicantur, & facilime credunt id quod vehementer optant, nondum tamen deſcendere audent, at experimẽti cauſa vnam ex ipſis quàm audaciorem putant, ad examinandum pardalis affectum præmittunt: hæc quidem non omnino ſibi præfidens deſcendit, ſed timide & pedetentim primò decurrit, pòſt metu repreſſo reuertitur: tum verò iterum deſcendit, & cum proxime ad pardalim acceſſit, regreditur rurſus: tum tertiò deſcendit, & illius oculos ſpeculatur, ſpiritum

tum

tum ducat necne tentat, illa autem immotam se fortissime præstans, paulatim huic animos addit, & iam cum hanc permanere constanter sine damno circum illam sublimiores ex superiori loco simiæ speculantur, fiduciam, & spiritum colligentes, ex arboribus frequentissimæ decurrunt, & circum eam cõcursantes saltant, simul & supra ipsam gradientes insultant, & in illius contumeliam saltationem simicam saltantes, multifariam ei illudunt, & gaudium quod de hac ipsa tanquam mortua immortaliter pergaudent, testantur. Illa autem omnia sustinens, simul ac illas ipsas insultando, & illudendo defatigatas esse intelligit, ex inopinato exsiliens, earum partim vnguibus lacerat, partim dentibus distrahit, atque opimum, & adipale ex hostibus prandium sibi abunde comparat, & tanquam Vlysses ancillarum contumelias & procorum, sic diu multúmque harum insultationes perpetitur, vt hostes vlcisci queat.

Quemadmodum arbores euertunt elephanti. CAPVT LV.

CVm ab Indis hominibus arborem elephanti radicitus extrahere coguntur, non prius ad eam extirpandam aggrediuntur, quàm quatefecerint, ac tremefecerint arborem: sic periculum facientes, euertíne possit, an omnino inuictam ab impetu sit se præstatura.


De Syrorum ceruis. CAP. LVI.

IN Amano, Libano, & Carmelo Syriæ montibus, cerui nascuntur, qui cum in Cypriũ se transmittere volunt, gregatim ad littora perueniunt, ibique tandiu secundos ventos præstolantur, dum per pacatissimam quietem belle sibi flare senserint, tum fidenti animo sese traijcere mare ingressi, & ordine natant, & verè in antecedentium tergo subsequentes, capita reponunt: ac nimirum dux idcirco retrocedit, quia non habet vbi nitatur, & post omnes clunibus proximi antegredientis, nitens ex labore quieti sese dat, simul & extremum agmen ducit. In Cyprum ideo transnant, quod pastionum, quæ illic amplissimæ esse dicuntur, desiderio tenentur: & profecto adeo feracem Cypri se incolere regionem testantur, de agrorum vt bonitate Aegyptijs non concedant. Eodem modo Epirotici cerui in Corcyram quæ contra Epirum est, mare transeunt.

ÆL

AELIANI LIBER *sextus historiæ animalium.*

Quemadmodum aliena hortatione non egent bestiæ ad fortitudinem ficut homines, vt liquet ex apro, leone, elephanto, tauro. CAPVT I.



OMINES vt boni viri sint hortatione egent, & suasionis oratione plena, quæ & metum tollat, & addat animos. Athletæ quidem ad stadia hortãdi sunt, milites ad arma. Robore nõ item extrinsecus assumpto bestiæ egent, ac ex sese potius vires incitant, & semet confirmant. Aper quidem pugnaturus, lapidibus, Homero teste, dentes exacuit: leo ne quid ignaue faciat flagellans semetipsum cauda excitat, elephanti autem ad certamen vt incendantur promuscide sese verberant: neque tamen ad hoc ipsum cuiusquam egent præceptis. Taurus gregis dux cùm ab altero fuerit duce superatus, se in quendam locum ab alijs segregat, & semetipsum non alieno impulsu, sed sua sponte exercet, atq; omni conten-

tione cornibus, calcibus, vnguibus certat, cornua quidem in arbores infligit, pedibus puluerem spargit, cæterisq; exercitationibus se accommodat, à vaccis se continet, sicq; à Venere abstinet, & libidini suæ moderatur, quemadmodum Iccus palæstrita Tarentinus, quem Plato toto certaminum tempore omnis coitus expertem permansisse affirmat, at enim Iccum ratione præditum, atque Olympiorum cupidum; simul & gloriæ sensu affectum nihil admodum mirum videri debet emendate, & summa corporis castimonia vixisse, nam ei præmia proposita videbantur illustria, pinus Isthmica, laurus Pythica, oleaster olympicus, tum verò sperabat se, quoad viueret circunspiciendum esse, & cùm è vita excessisset magnam laudem ex ea re adepturum. Et verè Amoæum citharœdum accepi vxorem duxisse, omni tamen tempore cum in certaminibus versaretur, ab ea se abstinuisse. Diogenes tragœdiarum actor vniuersum omnino Veneris vsum abiecit. Clitomachus pancratiastes canes si quando complexu venereo iunctos perspiceret oculos ab eorum conspectu remouens, & totum se auertebat, etsi quod in conuiuio verbum lasciuum audisset, à concessu exurgens discedebat, atqui homines ratione valentes, hæc vel ad quæstum, vel ad gloriã fecisse, non magnam admirationem habet, at tauro suũ aduersariũ vincenti quæ præconia, ô Plato, laborũ deferuntur, aut quæ decernutur præmia?

Quemadmodum ratione carentia suis familiaribus parcunt, in quo tractat de pardali. CAP. II.

RAtione carentia ab his quibuscum consuetudo sibi quotidiana intercedit, magna amicitiæ religione adducta abstinere, & parcere sæpe solent. Pardalim enim audio, cum eam à paruula cum hominibus venator versari adsueuisset, atq; adeò mansuefecisset, eámque sane tanquam amasiam adamaret, & magna cura aleret, ob eámque rem hædum huic quem simul cum ipsa aluisset pardalim hœdi esu oblectare cupiens, comedendum dedisset, edere hœdum etsi occisus esset recusasse: cùm enim primo die is ad pastum obiectus semel fuisset, ab eo ipso edendo se abstinuisse: quia propter cibi expletionem inedia vti necesse haberet, secundo die hœdus iterū huic allatus est ab eo similiter, quoniam adhuc fame non premeretur se cōtinuisse: tertio die quamuis esuriret quidem & solito signo cibum requireret, non hœdum tamen contubernalem suū attingere voluisse, sed illo relicto alterum sumpsisse. Homines autem suos intimos & pernecessarios non modò produnt, sed sæpe etiam in fratres & parentes multa perfidiose faciunt, & improbe, & malitiose.

Quando vrsa parit. CAP. III.

QVemadmodum vrsa primò carnem informem pariat deinde lingua conformet, antè

dixi: iam quod nondum narraui dicam. Hyberno tempore parit, cum peperit latibulis se tegit, nam frigoris vim reformidat & veris aduentum manet, nec ante tres menses catulos in lucem profert, cum autē se habitu corporis opimo sentit (hoc enim ipsum morbi loco ducit) latibulum quod Græci φωλεὸν *appellant expetit, vnde affectus quo latendi tenetur* φωλία *Græcè nominatur. In antrum non recto motu sui corporis sed supino ingreditur, & dorsi sui tractu repit, venatoribus vt vestigia obliteret: quò postquam est ingressa, se quieti dans habitum corporis extenuat per quadraginta dies, è quibus quidem quatuordecim immobilis manet, teste Aristotele, reliquis alijs duntaxat versat se, quadraginta igitur dies manet sine cibo, ipsique satis est dextrum pedem lingere, eique intestinum eatenus obducitur, vt propemodū cohæreat, quod quidem ipsum ea sentiens aron herbam agrestem edit, cuius natura ventosa intestinum diducit & dilatat eidémque facultatem receptandi cibi affert. Cùm autem cibis sese rursus refercerit formicas exedens facile exinanitur: neque quemadmodum homines ad deiectiones alui illi vel medici vel librī opus sunt.*

De draconibus. CAP. IIII.

CVm poma dracones comesuri sunt, *syluestris lactucæ succum idcirco exsorbent, quòd hæc illis ne inflatione impleant magnum adiument*

iumentum affert. Cùm homini aut feræ cuipiam insidias facturi sunt, mortiferas radices edunt, cuius rei non imperitus Homerus dicit vt draco manet circum cauernam circumplicatus, prius refertus permultis cibis venenatis & perniciosis.

Quid agant cerui amissis cornibus. CAP. V.

IN latebras amissis cornibus sese cerui abdunt, hòc diligentiùs ab hostibus sibi cauentes, quòd à cornibus iam inopes cùm à pristino robore, tùm ab armis se nudos existimant: cauere etiam dicuntur, ne quando vulnera quæ acceperint recentia solis radiis incumbens priusquam obducantur carnem putrefaciat.

Quo modo affecti sunt equi ad saltum fossarum. CAP. VI.

EQui ad bellum euntes suspectos habent fossarum & fouearum saltus, & maceriarũ & vallorum transitus, & eiusmodi: quod Homerus designare videtur cum ait, Hector per turmas proficiscens socios adhortabatur vt transirent fossam, equi verò celeres non audebant, sed valde hinniebant in summo labro fossæ consistentes, nam timebant fossam latam transitu difficilem.

De sepulchro cornicis apud Aegyptios.
CAPVT VII.

AD nuncupatum lacum Myrida in Aegypto vbi Crocodillon oppidum est, cornicis sepulchrum ostenditur, cuius causam Aegyptij afferũt,

quòd cum eorum rex cui Marres nomen esset, cornicem valde cicurem haberet, quæ postquam audisset quò volatus dirigendus, & quænam regio transeunda, & vbi terrarum requiescendum esset, eò regis literas ocyus quàm quiuis nuntius perferret, eam mortuam & sepulchri honore affecit, & cippo ornauit.

De nominibus alendi animalia. CAP. VIII.

NOmen proprium vnumquodque animal habet suæ educationis, polodamnica à domādis pullis vocari posset, scyllacotrophica ab alendis canibus, elephantoscomia ab elephantis, leontotrophia à leonibus alendis, & ornithosophia ab auibus sapienter tractandis, & alia eiusmodi.

De vrsis. CAP. IX.

VRsa si insequentibus vrgetur, eatenus suos quoad potest catulos propellit: cùm autem se iam intelligit lassitudine deficere, & vt comprehendatur vicinam esse, tum alterum dorso, alterum ore gestans in arborem ascendit, eorum alter vnguibus ad dorsum vrsæ adhærescit, alter dentibus eiusdem retinetur. Vbi vero ex fame laborans taurum inuadit, non aperto marte pugnam committit, sed obliquo impetu palearia appetens prosternit, hic quidem oppressus mugit, & denique succumbit, illa autem deuorando expletur.

De cynocephalorum docilitate & canum, & de animalium bonitate memoriæ. CAP. X.

Animal

Animalia esse docilia sic cognouimus tempore quo Ptolomæi reges regnarūt, Ægyptij cynocephalos docebant literas, & saltationem, & tibiarum cantum, & mercedem cynocephali pro his colligebant, & datam in marsupium conijcientes ferebant. iam Sybaritas ad saltationem equos docuisse antiquum est. Elephantorum docilitatem & facilitatem ad disciplinas suprà scripsi. Dominorū sui canes seruire, & res domesticas dominis administrare sciunt: & pauperi satis ad famulatum est vnum possidere canem. Probè autem animalia, eorum quæ agunt memoriam tenent, nec ad memoriam Simonidis arte, nec Hippiæ, nec Theodecti, nec alterius cuiuspiam de memoria præceptionibus egēt. Nam vacca eò nouit proficisci, vbi ab eius vberibus ad macellum vitulus abstractus fuerit, Boum sub iugum mittendorum natio libenter paret. Equus cum freni crepitum, & strata, & cætera ornamenta videt, tum fremit, & exultans vngularum supplosione obstrepit, & ex eorum conspectu quasi furoris afflatu ad iter incenditur, voce equisonis excitatur, & aures erigit, & naribus inflatis celerem festinationem anhelat, quodam incredibili cursus studio ad currēdi memoriā rediens.

De testudine & vipera. CAP. XI.

Terrena testudo cum origanum comederit, viperam præclarè contemnit, quod si eius facultatem non assequatur, comesa ruta contra hostem

stem armatur, aut si vtriusque facultate caruerit, à serpente exeditur, planéque conficitur, cùm testudini serpentem comesse contigerit cunila adesa statim extra periculum veneni est, quod aliter confestim ab vsu hanc funditus sublaturum fuerat.

De ceruorum moderatione. CAP. XII.

CEruus ad viuendum præsentibus contentus est, nec plura desiderat, imò verò hominibus temperantius multo & ventri moderatur, & cupiditates continet. nam in Hellesponto collis est, vbi cerui, quorum altera diffisa est auris sic pascuntur, illius extra fines, vt nunquam progrediantur: nec enim alias pastiones desiderant, nec prata alia bonitate præstantiora concupiscunt, & verò satis habent omni anni tempore præsentibus vesci. Quid ad hæc homines? quos sanè nunquam ne orbis quidem terræ explere queat?

De hyena. CAP. XIII.

HYena sicut Aristoteles tradit, dextera in manu vim sopiendi habet, & suo tactu solo somnum conciliandi, sæpequenumero in stabula ingressa cum dormiẽtem aliquem deprehenderit, & pedetentim ad illum progressa fuerit, soporiferam vt ita dicam manum eius naribus admouet, sicque eas opprimit, vt hic sine sensu esse videatur, ac tantum terræ suffodit, quantum sit ad eum ipsum obruendum satis: guttur vero supinũ & nudum relinquit, in quod incumbens somno oppressum suffocat,

posteá

posteáque in latibulum abstrahit: iam cum lunæ orbis plenus est, retro posito lunæ fulgore suam canibus vmbram inijcit, quos statim mutos reddit, & tanquam veneficio quodam eorum sensus perstringit, deinde & elingues abducit, & optatis fruitur.

De delphino oppidi Iasi. CAP. XIIII.

AD Iassum vrbem delphini amores iandudum decantati erga formosum puerum, non sine mea commemoratione, & literarum memoria mihi relinquendi videntur. Itaque cum Iaßium gymnasium, vbi pubes Iaßia exerceri solita esset, mari adiaceret, vnde pueri, qui nondum ex ephebis excesßissent, post exercitationes in curriculo ad mare peruenientes, antiquo more lauarentur, ex ijs natantibus ad vnum aliquem formæ pulchritudine præstantem delphinus, quem ardentißimè amaret, proximè profectus, primò exterruit puerum: pòst verò consuetudine vterque in alterius amorem se insinuans, beneuolentia coniuncti fuerunt, atque inter se firmam amicitiam fecerunt, ac iam inuicem ludere cœperunt, modò adnantes inter se certabant, modò puer tanquã pullum equiso, sic in delphinum subnatantem ascendens & audacius exultans, in amasio sedebat: quod quidem facinus summam Iassentium & hospitum admiratione͂ habebat. Enimuero dephinus puerum amores & delitias suas vehens longißime in mari procedebat, atque adeò tam longè, quàm puero insedenti placeret, progrediebatur

tur. Deinde ex alto reuertens, eundem illum littori reddebat, atque mutua dimißione vterque ab altero, hic quidem in maris altitudinem, ille verò domum suam discedebat. Iam porrò ad tempus cum gymnasia dimittebantur, ad excipiendum puerum delphinus *præsto erat: puer autem cùm ex amasij expectatione, & eius collusione voluptate afficiebatur, tum supra humanam conditionem formosus circunspiciebatur, qui sanè nō modò hominibus, sed beluis quoque ratione carentibus formosißimus, & si non certe diu, videretur: siquidem fato quodam succubuit. Cùm enim permultum se exercuisset, & currendo defatigatus esset, supra dorsum* delphini *se ipsum temere iniecit, non animaduertens aculeatam spinam dorsi erectam esse, atque horrentem, cuius acuminibus eius vmbilicus quia exulceratus esset, ex eo factum est, vt & venæ quædam abrumperentur, & permultus sanguis efflueret, ibíque puer extremum spiritum effunderet.* Id delphinus *partim ex pondere sentiens, non enim iam vt consueuerat tam leuis & expeditus insidebat, nempe qui spiritibus sese non subleuaret, partim sanguine imbutum mare cernens, id quod res erat vt intellexit, amasio suo superstes viuere noluit. Quamobrē multo robore quemadmodū nauis remigatione, & plenis velis propulsa, sic simul cum defuncto in littus se expulit, atq; eicit, ambóque hic iam quidem mortuus, ille verò animi defe-*

ctione

ctione exspirans, humi strati iacuerunt. Laius, ô bone Euripides, non tale facinus propter Chrysippum consciuit, quamuis, sicut tu ipse ais, & fama docet Græcorū, primus pueros amare cœperit. Iassenses ciues, vt illorum vehementem amorem cum honoris gloria compensarent, sepulchri monumentum commune vtriusque & formosi pueri & delphini amatoris constituerunt, & statuam quæ forma eximia puerum in delphini dorso sedentem haberet, excitarunt, atque etiam numismata ex argento atque ære fecerunt, & eorum imaginibus signauerunt, ad demonstrandum vtriusque miserabilem casum, ac nimirum tantum facinus memoriæ tradiderunt, vt Dei amicum honorarent. In vrbe Alexandria Ptolomæo secundo regnante, simili amore delphinum flagrasse audio, quæ si Herodotus nouisset, minus sicut mihi videtur, ea quæ de Arione Methymneo dicuntur, miratus fuisset.

De acuto sensu animalium canum, & boum, & aliorum. CAP. XV.

CAnes, boues, sues, capræ, serpentes, & bestiæ aliæ cum impendentem pestem, tum vero terræ motum, & cœli salubritatem, & frugum fertilitatem præsentiunt, neque tametsi ratione carent, ab eorum quæ sibi aut salutem aut perniciem afferre queunt, intelligentia aberrant.

De dracone puellæ amatore apud Idumæos. CAPVT XVI.

Apud

Apud Idumæos, seu Iudæos, cùm Herodes rerum potiretur, eximia magnitudine draconi perpulchram admodum adolescentem fœminam in amore fuisse indigenæ prædicant, ad quam ille quidem ventitaret, & simul cum ea amanter dormiret. Hæc verò etiamsi amator quoad poterat leniter & mansuetè ad ipsam adreperet, eius tamen metu perterrita sese subduxit, & menstruum spatium abfuit, vt ex amicæ absentia amatorem oblivio amoris caperet: at amatori desiderium amicæ augebatur, in diésque amatorius affectus eatenus ingrauescebat, vt noctes & dies ad eum locum vbi cum adolescentula versari solitus erat, frequens accederet. Cùm verò eam quam amabat non inueniret, tanquam amator cui amor optatus non respondet, acerrimo dolore afflictabatur, postea autem quàm puella reuertisset, ab eo confestim est adita atque is valde amatoriè plenus suspitionū tanquam spretus, ob eámque rem amantissima ira incitatus reliquum peradolescētis corpus circumplicans, eius crura parcè & molliter verberabat. Non ergo expertia rationis animalia optimus ac maximus negligit, sed ex ijs, & alijs quemadmodum & erga ea affectus sit, & singula curet, ostenditur.

De gula serpentum & de iaculo. CAP. XVII.

Cum voracissimæ serpentes sint, & longam, & tenuem habeant gulam, sese humo excitant, séque eo celsas & erectas constituunt, extrema caud

ma cauda nitentes, vt in aluum procliuior delabaturcibus, pedibus carent, serpunt velocißime, earum quædam similiter atque iacula semetipsas iaculantur, ex eóque quod agunt nomen trahunt: nam iaculi nominantur.

De musicis auibus. CAP. XVIII.

NEminem latet cantum esse in auibus. Scimus enim cantu valere hirundines, merulas, & cicadarum genus: scimus etiã piccas loquaces esse, & bombis strepere cicadarum nationem, & locustas inciso cantu nos oblectare, & scimus non silentem troxalidem, & musicas esse halcedines, psittacos, item alias flebili & muliebri, alias acri & contenta vocalitate vti, alias de ramo in ramum tanquam in alteram domum ex priore domo migrantes occinere, alias in pratis cantantes tanquam festos dies agere, & (vitam vt ita dicã) floridam, & mollem degentes veris aduentum canoris omnibus & lætis acclamationibus excipere. Picca cũ alias voces, tum maximè humanam imitatur, florus equi hinnitum, salpinx tubæ sonitum, & torquillæ obliquam tibiam imitatur, imbrium guttas coruus effingere conatur.

De scorpiis. CAP. XIX.

MAres scorpij infestißimi habentur, fœminæ multo remißiores, non enim tantum virus acerbitatis habent. Eorum nouem esse genera accepi, album, fuluum, fumosum, nigrum, viride,

ventricosum, aliud cancri simile infestißimum, hoc flammeum appellant, aliud etiam ferunt alatum esse & duplici, aliud aculeo armatum, aliud quod septem haberet internodia. Non oua scorpij, sed fœtus animantes pariunt. Iam quod à quibusdam dicitur, minimè ignorandum est, huiuscemodi animalia caloris æstu non ex coitu procreari, qualiā vero agant, & quemadmodum interimant suis oculis oblitis, aliunde intelligetur.

De inimicitiis elephantorum cum draconibus. CAPVT XX.

APud Indos, sicut audio, graues inter se gerunt inimicitias draco & elephantus, quare dracones haud inscij imperitiq́ue ex arboribus elephantos ramos decerpere in pastus suos solere, in has ipsas arbores primò serpunt, postea eam sui corporis partem dimidiam quæ ad caudam pertinet arborum folijs circuntegunt, alteram partem anteriorem funiculi instar appensam demittit: eò cùm accesßit elephantus ad arboris cacumina colligenda, draco in huius ipsius oculos insiliens effodit, & constrictum tenens, inusitato & nouo quodam laqueo strangulat.

De animalibus mutuo inter se odio flagrantibus. CAP. XXI.

GAllum gallinaceum, ac ignem leo, pardalim hyæna, stellionem scorpius hostiliter odit, scorpioni torpedo admota eum comprimit, draco-

nem

nem elephantus perhorrescit, omne iumentum mustellam reformidat, astacus polypum extimescit, & quamuis impulsi ex tectis non proijci se sustinent, periculi magnitudinem timent.

Quemadmodum Libyci scorpij dormientibus insidiantur. CAP. XXII.

F*Raudulenti etiam natura scorpij, & dolosi existunt, etenim Libyci ab eorum multitudine metuentes, ad vitandos ipsos omnia machinamenta moliuntur, soccos ferunt in lectis cum longè à pariete remotis, tum in excelsum collocatis, tum fulcrorum pedibus in hydrias aquæ plenas impositis sublimes somnum capiunt, qua machinationis molitione facta, sese quieto & tuto somno vsuros arbitrantur. Atqui scorpius si quid vnde semetipsum in tecto suspendat nanciscatur, ibi fortißimè brachijs inhærescit, simul & exerit aculeum & deijcit: secundus igitur ex tecto descendens per primum serpit, atque suis flagellis ad illius aculeum adhærescit, & sublimem sinit suum aculeum, item à secundo tenetur tertius, à tertio quartus, quintus similem ordinem conseruat, itémque cæteri omnes deinceps per primos decurrunt, postremus dormientem ferit, & per superiores recurrit, similiter ab illo secundus, tum verò ab vltimo tertius, reliquíque sese subducunt, quoad velut sane catenam soluentes inter se omnes subtraxerunt.*

Quēadmodū vulpes insidias parat herinaceis, otidibus & piscibus. CAP. XXIII.

Vulpes fraudulentum animal insidias hoc pacto in herinaceos terrenos molitur, vt cum eos rectos quodam morsu vulpinum impetum spinæ prohibent. expugnare non queat, ipsos summa cautione oris leniter primum euertens supinos constituat, deinde & laceret, & qui antea essent formidabiles exedat, conficiátque. In Ponto sic otidas venatur, vt & sese auertens, & in terram abijciens tanquam auis collum, sic caudam extendat: eæ autem hac insidiarū instructione seductæ ad illam tanquam ad suas gregales accedant: illa verò eas se vertens nullo negotio capiat. Quandoq; verò secundùm fluuiorum ripas gradiens paruulos pisciculos callidè exceptat: nam caudam in aquam deijcit in quam pisces innantes densis pilis comprehenduntur, quod quidem ipsum vulpes sentiens, caudam ex aqua remouet, & repentè se in aridam subducens, caudam excutit, pisciculi excidunt, atque ab ea deuorantur. Thraces quando conglaciantes fluuij periculose transeuntur, vulpis indicio, & periclitatione percipiunt. Nam si glaciem resistentem, & nihil cedentem transmiserit, eius vestigia fidenter persequuntur, ad hunc modum transmißionem non esse periculosam hæc experitur, Vt ad glaciē aurē admoucat, ac si intra non subsonare, atque subterlabi fluctus sentit, libenter se consistenti glaciei credens

credens prima transmittit, sin aliter, nequaquam transit.

De canum beneuolentia erga nutritios suos.

CAPVT XXIIII.

Iphidis filiam poëtæ ita decantant, vt eorum vocibus theatra personent, heroinam illam laudantium, siue quòd longè multúmque alias mulieres corporis castimonia superasset, siue etiam quia propriæ vitæ coniugem suum antetulisset. Verùm bestiæ quoque exuperantia amoris flagrant, cuius rei testimonio sunt huiuscemodi quæ sequuntur, Herigonæ canis suæ dominæ sepultura affectæ immortuus est: ille vero Gelonis non à sepulchro domini sui nec vi, nec blanditijs abscessit. Dario (qui extremus regnauit apud Persas, in ea pugna quam contra Alexandrum suscepit, & commmisit) cùm à Besso multis vulneribus confossus esset, & iaceret stratus, omnibus mortuum relinquentibus canis ab eo educatus solus permansit fidelis; eúmque tametsi non amplius suum altorem sicut tamen adhuc viuentem seruauit. Tale quid Xenophon dicit de amicis Cyri iunioris, simul permansisse, & vnà cum ipso perisse, & Eunuchum nominè Artapaten sceptrum gerentem se interfecisse: Cyro mortuo, vitam sine Cyro spernentem, Lysimachi regis canis cum se seruare quiret, non inuitus eadem qua suus morte dominus defungi voluit.

De simia appellata oribate. CAP. XXV.

Simia à quibusdã oribates appellata est, ab alijs hypodromus, in arboribus nascitur, & pilos habet, appellata est etiam à quibusdam psilla. Eius morsus periculosus est. Eum qui morsus sit sequitur tremor, & cordis dolor vehemens, & locus demorsus obturatur, & alter meatus ingeneratur, existimatur his malis remedio esse cancer fluuiatilis.

De fele. CAP. XXVI.

Quemadmodum felium mas est libidinosissimus, sic amantissima catulorum fœmina, quæ veneream idcirco maris consuetudinem refugit, quòd is calidissimum, ignísq; simile semen emittat, genitale vt fœminæ comburat: eiusce quidem rei mas non ignarus communes catulos suos interimit: hæc autem nouorum catulorum desiderio permota eius libidini morem gerit. Quòd autem ab omni tetro odore feles abhorrere dicantur, eò excrementa sua prius fossa facta in terram occultant.

De polypi libidine. CAP. XXVII.

Ex piscibus libidinosissimum polypum eatenus flagranti Veneris cupiditate incendi ferunt, dum & omnibus corporis viribus exhaustis debilitatus, & ad natandum, & cibaria inquirenda tantopere infirmus factus fuerit, vt postea alijs præda efficiatur. Cùm enim paruuli pisciculi, tum cancelli, & cancri ipsum exedunt, & conficiunt: quamob

quamobrem cum non amplius anno viuere dicunt, fœminaque propter crebros partus ocius consumi.

De aquila redamante puerũ. CAP. XXVIII.

PVerum auium studiosissimũ Philarchus memoriæ prodidit, aquilæ pullum quem dono accepisset, vario & multiplici cibo aluisse, & studiose diligentérque curasse. Nam eum ipsum non tanquam rem ludicram alebat, sed quemadmodum vel amores suos, & delitias, vel natu minorem germanum fratrem, sic sanè is aquilam magna cum cura, & diligentia tuebatur. Cùm autem progressu ætatis in mutuam inter se amicitiam vehementer exarsissent, atque accidisset ex morbo vt puer laboraret, tum ei aquila assiduitate officij assidebat. cum enim is quietem caperet, ipsa quoque quieti se dabat, cum vigilaret, eadem assistebat, cum non ederet ipsa pariter cibum non admittebat. Postea verò quàm è vita excessisset, atq; efferretur ad monumentum sepulchri, eum prosecuta est, pó stq; vbi cremaretur, in medios rogos se immisit.

De asello. CAP. XXIX.

VT cæteris quidẽ partibus interioribus asellus piscis nõ cũ alijs differt, sic certe suo proprio quodam more nihil non solitariũ amat, neq; se cũ alijs sociari gaudet: de piscibus solus cor in vẽtre habet, & in cerebro lapillos molari figura possidet. Alij quidẽ pisces tempestatibus perfrigidis occultantur, hic autem exortu caniculæ latet.

Quemadmodum musica paguri capiuntur.

CAPVT XXX.

Paguros musicæ illecebræ machinatione piscatores capiunt. Ij enim in latibula abditi, primùm vt ad instrumentum quoddam musicum piscatores suauiter canere ingressos audiuerint, statim tanquam amatorio quodam ad exeundum non modò inducuntur è latebra, verùm etiam voluptate allecti extra mare egrediuntur: hi quidem retro ad tibiam canentes cedunt, illi autem sequentes in arido comprehenduntur.

De thrissis Aegyptiis. CAP. XXXI.

Qui Mareotim lacum accolunt thrissas illinc flebili cantu & pulsibus testarum con crepantium consonantibus piscantur, etenim eæ tan quam saltatrices saltantes in piscatoria ad se comprehendendas explicata instrumenta incidunt, atq; cum saltatione & lusione Aegyptij splendidam prædam consequuntur.

Aegyptij aues & serpentes incantant.

CAPVT XXXII.

Aegyptios sua propria quadam magica ratione accepi, cum de cœlo aues deducere, tum serpentes primùm perstringere, deinde ex latibulis facillime easdem extrahere.

De castore. CAP. XXXIII.

Fiber in vtraque sede viuit, nam die quidem in fluuios abditus ætatem agit, nocte in terra vag

vagatur: casu & fortuitò obiectis vescitur. Quòd autem causam ab insequentibus venatoribus cur tam cupide petatur non ignorat, idcirco mordicus premens vsque incumbit ad elidendos testes quoad ab sese abscidcrit, & sic eos abiecerit tanquam homo summa prudentia in latrones incurrens, quæcunque portat, ad se redimendum exponit. Quod si posteaquam exectus, & ex periculo seruatus fuerit ab insectantibus iterum vrgeatur, hic sese alleuans, atque quamobrem insequi vlterius pergere non debeant causam ostendens ad reuertẽdum, quod iam ea parte, quam expetunt, careat, venatores inducit. Sæpe etiam nunc testiculis præditus, cùm à venatorum conspectu se longissimo cursu remouerit, eam partem desideratam ita astute comprimit, & occultat vt nõ habere visus insectatores fallat.

De bupreſtide. CAP. XXXIIII.

SI buprestidem bestiam bubulcum pecus deuorauerit, tantopere inflammationibus torquetur, vt & rumpatur, & non ita multo pòst efflet halitum extremum.

De campe vermiculo. CAP. XXXV.

CAmpæ & olera exedunt, & celeriter conficiunt. Oleribus mulier si per media olera peruaserit ex mensibus laborans, perniciem affert.

De oeſtro & myope. CAP. XXXVI.

BObus inimicissimi oestrus & myops. Maximæ muscæ similitudinem gerit oestrus: ma-

gnum & firmum habet aculeum: sonitum asperi bombi plenum edit. Myops similis videtur caninæ muscæ, sonum vt œstro maiorem emittit, ita minorem possidet aculeum.

De aspidis morsu. CAP. XXXVII.

Aspidis morsu nemo memoratur liberatus fuisse, vnde aspides in diadematibus pictas Aegyptiorum reges gerunt, ex eius bestiæ forma regni firmitatem adumbratæ significantes, earum quædam ad longitudinem quinque cubitorum accedunt, nonnullæ rutilo, plurimæ nigro, cinereóue colore perspiciuntur. Amplius quatuor horas quos momorderint viuere non queunt, eos conuulsio, & visus obscuratio consequitur. Ichneumo autem aspidis oua disperdit, & tanquam catulis suis futuram hostilem perniciem summouet. Libycam aspidem sua aspiratione oculorum vsum aduersus se respicientis eripere in sermonem hominum venit.

Vt liberos patres tollant minus naturam sequentes quàm bestiæ. CAP. XXXVIII.

Homines cum plurimos liberos susceperunt, vt ne multiplicentur eos de medio tollunt, ac nimirum cum matribus etiam venereo complexu iunguntur: quod sane vt vel ipsis beluis scelestum ac nefarium facinus putatur, ita Cyro & Parysatidi Persæ pulchrum & legitimum videbatur. Nam Cyrus matrem nefarie & turpiter amauit, & vicissim ab ea impie redamabatur. & hæc

scien

ſcientes homines faciunt, omnia cupientes, nulli parcentes.

De muribus inſulæ Heracleæ. CAP. XXXIX.

QVantum eſt cunque murium in Heraclea, quæ in Ponto inſula eſt, Deum & religioſe colit, & quod Deo cunque dedicatum eſt non attingit, itaque cum vitis, quæ ibi Deo frondeſcit, & ſoli eidem ad religionem conſecrata eſt, cuiusq; racemos Dei miniſtri ad ſacra ſeruant, vuæ aſſecutæ fuerint maturitatem, tum de inſula mures decedunt, vt ne ſi remanerēt per imprudentiam eas contingant, quas tangi fas non ſit. Poſt verò vbi id anni tempus præterierit, ad domeſticam ſedem reuertuntur, atque hæc quidem Ponticorum murium eſt probitas. Contrà Hippon Diagoras Heroſtratus, reliquique Dei hoſtes, quo modo vel à racemis, vel ab alijs rebus conſecratis cupiditatem, manúsque abſtinuiſſent, qui ne ab ea quidem inſania ſuam aſſenſionem ſuſtinuerint, quominus & nomina deorum, & opera quomodocunque tollere conati fuerint.

De Aegyptiis muribus ex pluuia naſcentibus. CAPVT XL.

PRimùm vt in Aegypto pluit, perparuulis guttis mures naſci ſolent, qui longè latéque totis aruis vagantes maxima calamitate ex ſpicarum circunroſione, & ſucciſione ſegetes afficiunt, & manipulorum aceruos vaſtātes magnum Aegypt

gyptÿs negotium exhibent: eo fit vt ÿ insidias eis conentur muscipulis tendere, & sepimentis repellere, & fossis, & incensionibus arcere, sed mures vt minimè ad muscipulas accedunt, sic cum sint ad saliendum apti, & sepes transcendunt & fossas transiliunt, Aegyptÿ verò de spe & conatu depulsi omni machinatione insidiarum tanquam parum efficaci relicta, se ad suppliciter deprecandam à Deo calamitatem vertunt, mures diuinæ iræ metu in montem quendam aciei instructione ordinem quadrangulum conseruantes discedunt. Horum omnium natu minimi primò in ordine consistunt: maximi verò extremum agmen ducunt, eos qui laßitudine deficiunt vrgent, ac seipsos sequi cogunt, quòd si ex itinere maximi natu laborantes subsistant, omnes quoque consequentes vt est in more belli, institutóque positum, insistunt & interquiescunt, simúlque se vt primi mouere cœperunt, cæteri continuo omnes subsequuntur, hoc idem qui Pontum incolunt, mures illic agere dicunt: ex omni autem domo cuius ruinæ impendeant, qua primum datur celeriter demigrare creduntur. Cùm autem vocem felis, aut viperæ sibilum exaudierunt, è nido musculos in locum alium transferunt.

De capra adamata à caprario. CAP. XLI.

IN vrbe Sybari homo peradolescens nomine Crathis, cuius opera in tuendi caprini pecoris munere versabatur, cùm cupiditate libidinis flagraret,

in

in eam amoris caprini consuetudinem cecidit, vt si quando venereis rebus vti haberet necesse, cum omnium caprarum formosissima venereo complexu iungeretur, eámque ipsam in amasiæ numero, locóque duceret, donáque non à capræ desiderio abhorrentia daret, hederam nimirū & iuncum edendum eidem obijceret, os illi reddens ad osculationem suaueolentius, sed & molles, & teneras vt nympha mollius dormiret herbas substerneret. Quod quidem ipsum vt hircus gregis dux perspexit, riualitate laborare, atque interea suum occultare animum cœpit, quoad aliquando tandem cum somnum capere deprehendisset, tum enim omnibus reuocatis viribus facto in eum impetu cerebrum diminuit. Cùm eiusmodi factum ad indigenas permanasset, non modò ei tumulum magnificum excitarunt, sed ex eo etiam fluuium Crathin nominarunt: infantem autem puerum ex eius cum capra consuetudine susceptum caprina habentem crura, & faciem humanam in deos repositum, deorúmq; honore affectum fuisse, & syluanum deum esse in sermonem hominum venit. in beluis igitur obtrectationem, & riualitatem inesse hircus docet.

De terræ fosionibus quas faciunt formicæ.

CAPVT. XLII.

Aegyptias fossas, & creticos labyrinthos historici literarum memoria celebrant, & poëtarum natio versibus decantat, verùm fossio-

num, quas formicæ efficiunt, varia diuerticula, flexiones, anfractus nondum sciunt, enimuero eæ mirabili sapientia subterraneas ædificatiunculas tortuosissime construunt, vt vel difficilem inuentu aditum, vel omnino inuium insidias sibi molientibus efficiant, terram enim quam effodiunt pro foraminibus aggerant, & tanquam muros quosdam, & propugnacula circũijciunt, vt ne ex cœlo aqua pluuia defluenti funditus aut maxima ex parte alluuione perdantur. Inter media item sepimenta cauernas alias ab alijs secernentia solertissimè machinantur, atque vt de splendidis hominum ædibus fieri solet, domum suam triplici regione, formáque circunscribunt: alterum enim in ea locum andronem in quo mares habitent ædificant, alterũ gynæcium nuncupatum, vbi fœminæ pariant, moliuntur: tertium granorum aceruis destinant, cum tamen ab Ischomacho & Socrate rei œconomicæ peritis nihil tale didicerint, cum autem tanquam ad pabulandum proficiscuntur natu grandiores similiter eas atque exercitus duces ducunt, vt ad segetes peruenerunt adolescentiores sub stipula stant: duces verò ascendunt & spicas abscissas inferioribus deijciunt: hæ autem circunstantes aristas distrahunt, simul & ex earum vallo & vaginis grana inclusa explicant, neque ad excutiendum vllo instrumento egent, neque ad ventilandum viris, neq; ventis ad purganda à sordibus grana ex frumentis quæ

homines

homines exarant, cibos sibi conficientes, humanis laboribus fruuntur. Illud etiam auditum habeo prudenter factum, humatione mortuas affici à propinquis formicis, & condi in folliculis frumentorum, vt patres in vrnis sepeliri solent à filijs suis & amicis.

De beneuolentia equorum erga nutritios suos. CAPVT XLIII.

SI accurate & liberaliter tractetur equus, cum beneuolentia erga eum qui sibi benefecit, cunq; amicitia acceptum beneficium compēsat, iam quod longè latéque peruagatum est, qualis in Alexandrum bucephalus fuerit, propterea nihil mihi iucunditatis ad narrandum habere videtur. Antiochi item equum prætereo, qui vt dominum suum vlcisceretur Gallo nomine Cētoarati qui Antiochum in pugna interfecerat, necem intulit. Socles formæ pulchritudine egregius Atheniensis, quem mihi permulti ignorare videntur, equum emit pulchrum & tam vehementi in se amore incensum, vt cum adesse sentiret dominum, exultaret & gestiret, cum ascendere pararet, se ad conscensum præstaret obedientem, cum ante oculos consisteret ille, suauiter, & amatorie in eum intueretur: quæ omnia eatenus amatoria, & iucunda visa sunt, quoad petulantiam in adolescentem attentare conatus est, simul & fama turpitudinis de ambobus dissipata extitit, tum eam infamiam Socles sibi conflare non

passus

passus vt in amatorem flagitiosum, & petulantem odio incensus est, & equum vendidit, is vero non ferens ab adamato suo se distractum abesse, acerrima media voluntariam sibi consciuit mortem.

De inimicitiis animalium. CAP. XLIIII.

Attagenes & gallinacei inter se inimici grauiter sunt, inimicitiæ intercedunt cornici cum circo, mutuo vterque in alterum odio pelagius accipiter & coruus flagrant, cum turture coruus & circus insitas inimicitias gerunt, & turtur vicissim hostili odio ab vtroque dissidet, ciconia non modo magno vespertilionis odio tenetur, sed hæc etiam illius, pelecanes de coturnicis exitio acerbe, & crudeliter cogitat, rursus coturnix ab ea vehementer dissentit.

Quænam sunt nonnullis animalibus mortifera. CAP. XLV.

Interficit aquilam symphytum, ibim hyenæ fel, allij semē passerem, bitumē occidit charadrion, herinaceum, potamogeton, echinus mergi non sustinet fel, circus, larus, turtur, merula, vultur, & scops si comedant mali punici grana, pereunt, flos agni casti atricapillam, erucæ coruum, vnguentum scarabeum perdit, adipe dorcadis vpupa, cornix incidens in reliquias carnis semesæ à lupo moritur, galerita synapis grano, grus vitis lachryma perditur.

De lepore. CAP. XLVI.

De lepore mihi hæc in mentē hoc loco veniunt explic

explicare, non eum sane prius sub solitum cubile subire, & succedere, quàm modò ingrediens modo egrediens sua conturbarit vestigia, vt ne ea sibi struentibus insidias appareant naturali quadam sagacitate homines astute decipiens.

De amore equæ in suos pullos. CA. XLVII.

E*Qua mater optima, summa charitate & fide pullum suum amat, cuius sane modi amoris Darius ætate inferior non imperitus equas à partu recentes relictis domi pullis ad pugnas ducebat, pulli sic alieno lacte à matribus orbi quemadmodum homines parentibus amissis aluntur, Darius cùm inclinata iam acie in eo prælio quod ad Issum cõmiserat Persarum res premi cœpissent, cúmque victus fuga salutem adipisci necesse haberet, in equam ascendit, quæ quod relicti memoriam pulli recordaretur quando maximo potuit studio & celeritet eũ ipsum prædicatur ex periculis eripuisse.*

De mulo Atheniensi. CAP. XLVIII.

A*Theniensis mulus iam vetulus quamuis immunitate sicut Aristoteles scribit vecturarum donatus esset, non laborum tamen qui per affectam ætatem obiri queunt studio exsolutus esse voluit, nam cùm vestalium templum Athenienses ædificarent, is nulla re onustus, nullius imperio, sed suâ sponte adolescentibus mulis tanquam ad iter faciendum dux anteibat, & quemadmodũ quispiam senex artifex per exactã ætatem quidẽ iam pene*

dimissus, veruntamen experientia & senili doctrina iuuenes ad laborem exacuens, sic is vltro citróq; commeans ad opus iumenta incitabat, quod quidem ipsum vt Atheniensis populus intellexit, per præconem declarari iussit, vt ne à frumentis prohiberetur, sed & expleri, & satiari permitteretur, & in Prytaneo victum huic sicut athletæ iam ætate confecto præberetur à populo.

De ingenio formicæ. CAP. XLIX.

Cleantem hæc de formica historia coegit & inuitum, & fortissimè contradicentem bestias concedere rationis non expertes esse: nam cùm aliquando otiosa cessione fruetem ferunt formicas, quæ complures ad eius pedes tunc essent, animo cœpisse vacuo & soluto contemplari alteras alicunde mortuam in alienarum domicilium, & suarum minimè contubernalium portantes in formicario cauernæ faucibus constitisse; atque inde prodire, continuò, alteras perspexisse cum externis velut quiddam contrahentes, iterum & sæpius vltro citróque commeasse, denique lumbricum tanquam redemptionis pretium attulisse, eúmque alteras accepisse, & simul quam ferrent mortuam diuisisse, alteras cum gaudio & libenter similiter atque vel fratrem vel filium recepisse. Quid ad hæc dicit Hesiodus qui scripsit, Iouem naturas distinxisse, bestijsque terrenis, aquatilibus, volucribus dedisse, vt & inter se conficerent & minime quidem mutua

tua

tua inter se iustitia vterentur : hominibus autem iustitiæ munus largitum fuisse. Atqui non hæc dicet Priamus, siquidem is ipse homo ab homine et heroe & ex Iouis stirpe oriundo ipse quoque Iouis progenies multa Hectorem pecunia redemit.

De dipsade. CAP. L.

Dipsas cuius vim & naturam eius nomen nobis declarat, inferior quidem est magnitudine quàm vipera, sed tamen in occidendo quàm celerrimè superior. Eius morsu confixi & si assiduam potionem hauriunt, ad sitim tamen exardescunt, & ad bibendum eatenus inflammantur quoad celerrimè rumpuntur. Eam Sostratus cum albam esse ait, tum duas in cauda lineas nigras habere, & sicut audio, vario & multiplici nomine nuncupatur. Quidam præsterem vocant, alij causonem, nonnulli centrida, alij annobatem, à quibusdam melanurus appellari fertur. Cùm in Africa, tum magis in Arabia nascitur. Narranda est mihi fabula quam audiui, ne videar eius imperitus esse, Prometheum ignem furatum fuisse, peruulgatum est, Iouemque indignatum esse etiam fabula dicit, & reuelantibus furtum Iouem daturum pharmacum, quòd à senectute vindicaret, hoc pharmacum asino superimposuisse, eos qui acceperant

audiuit, at asinum pondus ferentē prodidisset. Nam cum esset æstas, asinúsq. sitiret accessit ad fontem, vt bibendi necessitati satisfaceret, sed serpens qui fontem illum custodiebat asinum repressit, & repulit, asinus siti confectus mercedem potionis dedit pharmacum, quod ferebat, itaque retributione data asinus bibit, serpens senectutem exuit, & præterea asini sitim vt fama est adipiscitur. Quid? ego huius fabulæ fictor? non profecto, sed ante me Sophocles tragicus poëta, & Dinoluchus Antagonistes Epicharmi, & Ibycus Rhegirius, & Aristias, & Apollonophanes poëtæ comici decantant hanc fabulam.

De elephantorum sapientia. CAP. LI.

SI elephanti sapienter factum præterirem, me quis cum sit auditu dignum, inscitiæ condemnare meritò possit, cùm is qui huic hordeum admetiendi procurationem habebat, hordei partem subtraxisset, illiúsque in locum lapidibus suppositis ipsi debitam tamen mensuram cumulatè seruasset, vt dominum vtriusque si quando vidisset falleret, elephantus videns eum qui sibi debitum fraudabat, polenta coquere, primò promuscide sabulum collegit, deinde in ollam infudit, sicque solerter iniurijs iniurias sibi illatas vltus est.

De canibus Aegyptiis. CAP. LII.

ALij quidem canes feras, tum inuestigare, tum etiam capere probe norunt: at verò

Aegyptij fugacissimi sunt: nam cùm ea quæ in Nilo degunt timeant, ab his admodum fugitiui sunt, neque quamuis illuc sitis ad bibendum eos attrahat, ferarum Nilicarum metus quiete illos potione se complere permittit. Ideo ne quid eorum, quæ infra aquam degunt emineat foras, ipsosque obtorta gula de ripa in altitudinem abripiat, non inclinatione corporis abiecta incumbunt ad bibendum, sed vt primum ad ripam accesserunt, festinanter, & in transcursu lingua lambentes, rapiunt, ac certe, vt ita dicam, potionem furantur.

De terrestri herinaceo. CAP. LIII.

TErreni herinacei iam antè permultas versutias dixi, eius nunc aliam veteratoriam explicabo. cùm enim is vicinus est ad capiendum, contortissime seipsum concludit. & tantopere contrahit, vt comprehendi non queat, simul & animam continet, & spiritum comprimit, & ab omni motu conquiescens mortui speciem præ se fert.

De patellis. CAP. LIIII.

PAtellas non sane à saxis auellas ne Milonis quidem digitis, qui punicum malum cum apprehendisset, arctè adeò comprimebat, vt non aduersariorum quisquam posset extorquere è manu, eas autem quicunque de saxo ad quod adhærescunt abstrahere aggreditur, magna quidem voluptate ex earum comprehensione afficitur, quod eas versans sperat se præda potiturum esse, veruntamen

illarum compos quarum fieri ſtudet, nequit: tandem aliquando ferro abraſæ abſcinduntur à ſaxo.

De Libycorum expeditione contra elephantos. CAP. LV.

Libyci homines bellū finitimis de finibus propagandis, non modò inferunt, ſed cum elephantis etiam de horum dentibus aſſequendis ſuſcipiunt. Hanc enim cauſam cur petantur elephanti prænoſcentes, ex ſeſe qui dente inutili ſunt, ante cæteros reliquos, in prima acie conſtituunt, ad primum hoſtium impetum ſine magna iactura excipiendum: reliqui qui in ſubſidijs manent, dentium robore integri, auxilium feſsis ferunt: cum dentium altero, quem acutum ad propulſandas iniurias ſeruant, tanquam armis vtuntur, tum verò altero radices effodiunt, tum arbores extirpant.

De geometria araneorum. CAP. LVI.

Non modò texendi ſolertiam aranei præclarè tenent, ac ſimiliter vt Minerua, Erganæ Pinytæ deæ tereti manuum miniſterio & tenui valent, ſed natura etiam ſunt ad geometriam eruditi, nā & centrum ſeruāt, & quaſi circino circunducunt, & circunſcriptionē exactè ſciunt: neq; tamen Euclide egent geometricis rationibus erudito, ad medium centri ſedentes inſidias predæ ſuæ tendunt. Neque modò texendi rationem norunt, verumetiam ſarciendi artificio excellunt: nam ſi

ex

ex eorum quippiam ſolerti opere ruperis, ſtatim à ruptura tanquam ſartum tectum integrúmque præſtant.

De arithmetica phœnicum. CAP. LVII.

Sine ratiocinatione phœnices aues numerum quingentorum annorum computare ſciunt, edoctæ a natura ſapientiſſima propterea non egent neque digitis, neque arithmetica ſcie̅tia, horum quingentorum annorum tempus impletum ſciunt Aegyptiorum valde pauci, & hi ſacerdotes & quidem de his inter ſe non conuenire poſſunt, & contendunt, vel quod nõ nunc, ſed in poſterum hæc diuina auis veniet, vel quòd iam oportebat eam veniſſe: at hæc illis aliter contendentibus adnotat tempus, & adeſt, & cogit illos ſacrificia facere, & fateri ſe neſcire, quæ ſciunt aues. nonne ſapientia eſt phœnicem autem ſcire vbi Aegyptus eſt? vbi Heliopolis? quò ipſi definitum eſt venire, & vbi aliquando pater conditus ſit, & in quibus loculis, hæc niſi videantur mirabilia, an ſane forenſia, & bellica, & alias hominum inter ſe, & contra ſe inſidias dicemus ſapientia (ô Siſyphorum, & Cecropum æmulatores homines) alloquor ſanè homines qui hæc exactè ſciunt.

De canum ſapientia. CAP. LVIII.

Ratiocinationem, & dialecticam, ac ſane partitionem canem intelligere vero proximũ eſt, cùm naturam omnium rerum habeat matrem

inuictam. Mihi verò quispiam cùm dialecticis imbutus, tum venandi studio deditus, huiuscemodi dicebat, venatica quæ aderat canicula (aiebat ille) cùm leporis, qui nusquam videbatur, vestigijs insisteret, cunque ea perscrutãs peruenisset aa fossam, dubitabat vtrùm hoc dextrum an læuum iter ad insequendum leporem susciperet. Vt verò primum sibi visa est, tanquam disserendi perita, satis rem perpendisse, è uestigio fossam rectà iter faciens transiliuit: is autem qui eam ipsam rationem disserendi tenere mihi dicebat, sic colligens supradicta demonstrare conabatur. Arguta canis, inquiebat ille, primùm secũ cõsiderate reputabat, vel hac, vel istac vel illac, lepus in fugam se cõiecit. Deinde ratiocinabatur. Non profectò hac, nec istac: ergo illac fugit. neque fallacibus cõclusiunculis mihi errare videbatur, nam non perceptis in ipsa fossa vestigijs relinquebatur leporem fossam transiliuisse: rectè igitur canis fossam transiuit: ea enim inuestigatrix diligens erat, & sagacissimè odorabatur.

De verecundo coitu camelorum. CAP. LIX.

Massagetæ, vt Herodotus inquit, suspensa ad plaustrum pharetra cum vxoribus in aperto, ac propatulo loco concumbunt, & concubitum licet omnes aspiciant præclarè contemnunt: at contrà nunquam cameli coeundam Veneris societatem palàm inter se ducunt: quod quidem ipsum factíne verecundia, an admirabili naturæ munere

faciant

faciant Democrito aliisque disputãdum relinquo. Cùm autem inter eos coniunctionis appetitum pastor exoriri sentit, aliquò concedit, & tanquam sponso decedit ingredienti thalamum cum sponsa.

De reuerentia elephantorum aduersus senes elephantos. CAP. LX.

EX omnibus humanissimam legem iudico, qua Lycurgus præcepit natu grandioribus minores cùm vel de sedibus, vel de via decedere debere, tum verò eisdem reuerentia aduersus ætatẽ, quam vt assequantur omnes expetunt assurgere oportere. Elephantorum genus à principio hoc idem solo naturæ ductu sine Lycurgi, aut Solonis, aut Zaleuci, Charondæue præceptione sanctissimè obseruant. Aetate affectis nimirum maiores de legitimo cibo cedunt, eosdémque summa & obseruantia colunt, & à periculis seruant, in fossam delapsos iniectis fruticum facibus subtrahunt, quibus tanquam scalis senectute graues ascendentes liberantur. Quando plagis affecit patrem elephantus? quando filium abdicauit elephantus pater ob plagas illatas? Vobis fortasse, homines, videor dicere fabulas arte elaboratas. At verum dicere velim, & poëtis fabulosis, & his qui fabulis non credunt.

De amore canum erga dominos. CAP. LXI.

AMantes dominorũ esse canes, cùm illa, quæ antè dixi argumenta sunt, tum sane illud ipsum quod modò dicam. Gelon Syracusanus cùm

arctißime dormiret, se ictum è cœlo cogitabat. Hoc quod ei videbatur insomnium erat. Is etsi dormiebat inter somnum tamen contentißima voce clamabat. Canis igitur quem ipse alebat, simulatque altoris amici sui vocem audisset, tanquam quoppiam Geloni periculum crearetur, insidiæq; compararentur, in lectum maximo impetu prosiluit, & circum dominum conuersans, vehementißimè latrabat, velut insidiatorem vlcisci cupiens, Gelon cùm rei funestæ metu, tum canis clamore solutus est somno, quamuis arctißimo teneretur.

De dracone & eius adamato puero. CA. LXII.

CVm paruulus draco Arcadiæ indigena simul cum puero infante natione etiam Arcade educaretur, & puer ætatis progressu iam admodum adolescens esset, & draco etiam permagnus euasisset, & mutuo inter se amore flagrarent, proximi adolescentulo cognatione illius magnitudinem perhorrentes (nam is aspectu horribilis perpaucu lis diebus ad corporis magnitudinem insitatas progreßiones effecerat) illum vnà cum puero in eodem lecto dormientem quàm longißimè gentium exportant, puer autem reuertitur, ille syluam ibi natus desertum locum vrbanis commorationibus anteferens remansit. Temporis interuallo hic ad integram ætatem, & perfectam processit, ille draconis amans & amatus etiam ad confirmatam progressus, cum per desertam sui amantis regionem aliquando

quando iter faceret, in latrones incurrens strictis gladijs appetitus fuit, & percussus quidem, siue quòd doleret, siue quia opem imploraret, auxilium vt par erat exclamauit: draco autem bestia & ad audiendum acerrima, & ad videndum acutissima postquam pueri quo cum amoris consuetudinē habuerat exaudiuit, edito sibilo tanquam iræ suæ denuntiatione formidinum terrorem illis iniecit, cuius metu trepidantes scelerati, alij aliò disperguntur, quósdam deprehensos acerbissima morte affecit, atque vt veteris amici vulnera quæ omnia sanabilia erant purgasset, & eum comitatus fuisset, ad eum locum reuertitur, quò expositus fuerat, neque tamen ei ex eo iratior factus est, quòd in solitudines abiectus fuisset, neque vt peruersi homines antiquum amicum in periculo deseruit.

De vulpe. CAP. LXIII.

VVlpem bestiam improbam poëtæ, & fraudulentam appellare solent, sed & improbus herinaceus terrestris, & insidiosus: nam vt vulpem is vel audiuerit, vel viderit os contrahit, pedésque comprimit, & se totum in globosam formam concludit: illa autem cum hunc sic in arctum constrictum comprehendere non quit, in eius os vrinam reddit, hic vel ex contractione, vel ex vulpis fraude spiritu intercluso suffocatur.

De lupis Mæotidis. CAP. LXIIII.

APud Mæotidem paludem lupi quos non à canibus

nibus domesticis differre dicas, cum piscatoribus studiose versantur: quòd si maritimæ prædæ partem fuerint assecuti, cum his viris rem maritimam tractantibus & pacem habent, & tanquam fœdere deuinciuntur, sin nihil consequuntur, eorum retia lacerant, & distrahunt, & pro eo quòd nihil dederunt, damnum retribuunt.



ÆLIANI LIBER septimus historiæ animalium.

De vaccis Susorum. CAP. I.



VDIVI arithmeticæ nõ expertes esse Susidas vaccas, & sermone hominum peruagatum est, Susis regi singulas quotidie centũ cados ad irrigandos hortos haurire, quem quidem laborem, siue quod eis sit certus & fato iniunctus, siue etiam quia diu multúmque in eo se exercuerint promptissimè obeunt, & vt earum nullas laboris inertia ad hoc pensum constitutum remollescere videas, ita ad alterum supra quàm diximus cadum haurienaum nec verberibus,

nec

nec blanditijs inducere poßis, vt inquit Cteſias.

De libera & ſacra manſione elephantorum ſeneſcentium. CAP. II.

Sub radicibus Atlantis montis celebris apud historicos & poëtas mirabiles paſtiones ſunt, & profundißimæ ſylue vmbroſißimæ, & denſißimæ, ad has aiunt elephantos iam ſenectute graues accedere, natura ductos tanquam in coloniam, & portum quietis, vbi reliquum vitæ ſuæ agant, ipſiſq; fons aquæ potabilis, & liquidißimæ liber conceſſus eſt. Exiſtimantur ſacri, & dimittuntur vt ſacroſancti etiam à Barbaris, qui inducias cum ipſis habent, ita vt ne eos quidem capiant, & celebrantur curæ eſſe ſyluanis quibuſdam dei illius regionis dominis. Emanauit etiam ſermo ille de elephantis, vt rex quidam illorum locorum deſiderauit propter pulchritudinem dentium ſiue cornuum interficere quoſdam ex his elephantis, vt aſſequeretur dentes egregios propter multitudinem annorum maximos, qui illorum animalium maxima ſunt arma, hac igitur cupiditate iam imbutus miſit ad hunc ſacrum gregem vulnerandum trecentum delectos iuuenes, qui celeriter iter conficientes cum prope ad locum acceßiſſent, peſtis repentina eos corripiens vulnerauit, & omnes perdidit, præter vnum, qui regreſſus caſum mirabilem narrauit ei qui miſerat, atque in hunc modum deo amici eſſe elephanti deprehenſi ſunt.

De monope Pæonico. CAP. III.

P*Aeonicum animal quod monopem Pæones nominant, piloso tauro magnitudine simile, cum ab insequentibus vrgetur præ vexatione acre & igneum reddit stercus, quod quidem ipsum si in venatorum quempiam inciderit mortem affert.*

De obedientia domiti bouis. CAP. IIII.

E*Natura etiã bouis est cũ ex feritate ad mansuetudinem traductus est, vt ad parendum facilis sit: enimuero ad feretrum portandum sub iugum missus quietus manet, siue velis eum erecto capite quiescere, siue ad terrã inclinato abijci, tum in ceruice & dorso puerum, puellámue gestari patitur: equidem ipse vidi qui supra nihil se commouentes tauros saltarent, item boues instituti sese in theatris inclinant, & erigunt, & saltant, & motus vel homini ipsi difficiles saltant.*

De catobleponte apud Libycos. CAP. V.

C*Vm multiplices, & varias Africa procreat bestias, tum catoblepontem sic nuncupatum parere existimatur, tauro similis spectatur: truculentus, terribilísque aspectu: alta ei & densa sunt supercilia, oculi non perinde quidem magni vt bubuli subijciuntur sanguine suffusi, non directe sed ad terram versus intuetur, à vertice incipiens iuba equinæ similis per eius frontem promittitur, quæ si vsque ad faciem pertinet, formidabiliorem eũ reddit, mortiferas depascitur herbas, ac simul vt taurino*

rino aspectu conspexit, statim horret, & iubam erigit in excelsum, ac apertis labris per guttur quiddam vehementer acutum, & horrendũ emittit, vt aer supra caput obducatur, & inficiatur. Animalia autem appropinquantia quæ hoc cœlum hauriant grauiter affligũtur, & vocis vsum amittant, in letalésque conuulsiones incidant, tum etiam homo si inciderit, hæc mala subit. Nouit suam vim hæc fera, sed nouerunt etiam animalia, itaq; quàm longißime possunt aufugiunt.

De venatione elephantorum. CAP. VI.

QVi venandi elephantos scientiam tenent, nobis testãtur, hos insectatione venatorum pressos, cum robore immenso, tum impetu effrenato atque præcipiti, & quem sustinere poßit nemo, sic quidem per maximas arbores, tanquam per segetes excurrere, eásque tanquam spicarum calamos, vbi cursum ramorũ proceritate retardari vident, perfringere: vbi verò ipsi ex arboribus eminent, & prociriores existunt, tum omni neruorum contentione currere, tum viam insequentibus præcidere. Nec mirum: locorum enim consuetudinem tenent. Cùm autem se ex insectatorum suorum conspectu eripuerint, eósque maximis proceßibus itineris longe & retro positos senserint, tum ex fuga recipiunt animum simul, & tanquam periculo liberati, insistunt: ibique, dum metus solicitudine expulsa, ex immenso labore requiescunt. His interea ad cibi

cogita

cogitationem memoria excitatur, iuncos & hederas per arbores erraticis implicationibus serpentes depascuntur, atque palmarum tenera cacumina, & aliarum plantarum adolescentiores truncos. Quod si rursus insectatores ad eos propius adsint, hi etiam iterum sese in fugam impellunt: cùmque ab his multam viam absunt, sese ex fuga colligentes, requietem curarum ex itineris labore habent, insequentes autem præcipitante sole debilitati, syluam incendunt, & viam ipsis obstruunt: quod ipsum sentientes elephanti, se sustinent à progrediendo, ignem non minus quàm leones extimescunt.

Ex diuersis animalibus serenitatis prognostica & tempestatum. CAP. VII.

VT Aristoteles inquit, grues ex mari in mediterranea volantes tempestatis atroces minas intelligenti significant, eædem silentio, & quiete volantes serenitatem promittunt, quòd si humiles volant, & clamant, & turbulentè incedunt acerbam tempestatem denuntiant. Hoc idem sonans triste ardea præsignificare existimatur, eadémque ad mare rectà proficiscens pluuiam portendit. Si noctua tempestatis tempore sit garrula, serenitatem & letissimos dies prænuntiat, contrà sereno canens tempestatem ostendit. Coruus excitato & volubili sono crocitans, & alarum plausu se concutiens tempestates præmonstrat, rursus si coruus, cornix, graculus, crepusculo vespertino

vocales

vocales sint tempestatis aduentum prædicunt, ac monedulæ accipitrem æmulantes volantes modò in sublime, modò deorsum versus frigus & pluuiam monstrant. Cornix quietè & leniter succinens posteram serenitatem prænuntiat, cũ autem aues albæ frequentes conueniunt, multam tempestatem demonstrant. Anates & mergi alarum gestu exultantes vehementem ventum prædicunt. Aues ex mari in mediterranea cum impetu volantes pluuiam testantur. Erithacus auis stabula circumiens, & habitata loca lustrans ex aduentu tempestatis se fugere declarat. Gallinacei cæteræque domesticæ aues alarum percußione concrepantes, gestientes, exultantes, strepentes, tempestatem nuntiant. Aues lauatione vtentes venti procellas, & turbines significant, quòd si cum est tempestas aliæ in alias volent, & vltro citróque inter se commeent, serenum tempus pollicentur. In paludes, & lacus & fluuiorum ripas congregatæ tempestatem impendere non ignorant: contrà marinæ & palustres in terram proficiscentes plurimam tempestatem prænuntiant: terrestres verò si modò silentes sint ad humidiora loca cõtendentes serenitatẽ denuntiant.

De oryge vt sentit ortum caniculæ, & ex animalibus aliis rursus serenitatis & tempestatis signa. CAP. VIII.

AEgyptij dicunt orygem caniculæ exortum cognoscere, & suo sternutamento testari.

Libyci confidenter & fortiter asserunt suum caprinum pecus similiter eiusdem exortum stellæ præscire, itémque pluuias præsentire: nam vt extra caprile processerunt concitato cursu ad pastionem accedunt, deinde pabulo expletum se in stabula domestica conuertunt, eóque intuens pascitur, pastorem vt se festinet cogere expectans. Hypparchus tempore Neronis in theatro sedens, ex caprina pelle quam ferebat quod futuram tempestatem prænuntiasset, tantam Neronis admirationē mouit, vt ille Bithyniæ incensibus gratulatus fuerit, quòd Hipparchum suum ciuem haberent. Anaxagorā pelle caprina vestitum spectantē olympiacos ludos, propter pluuiam quæ subsecuta est, cuncta Græcia dixit diuiniora cognoscere quàm captus hominis ferat, iam si proximum est vt pluat, ad dexteram bos coxæ vertebram inclinatur: sin serenum tempus prope futurum est, ad sinistram incuruatur, præterea si mugit, & terram olfacit, pluuia impendet, si supra quàm consueuit pabulo completur, tempestatem futuram ostendit. Oues fodientes terram pedibus videntur tempestatem significare. Capræ dormientes frequentes eadem monstrant: muscæ in aromatis apparentes pluuiam præsignificant: agni & hœdi lasciuientes, & inter se saltantes lætos dies promittunt: mustellæ & mures stridentes vehementem præsagiunt tempestatem: à desertis locis ad habitata refugientes lupi tempestatis acerbitatem

tem

tem se horrere ostendunt: leonis ad frugifera & fructuosa loca profectio siccitatem prænuntiat: iumenta supra consuetudinem exsultantia, humidiorem tempestatem præsciunt: hanc eãdem, si vngulis spargunt puluerem, denuntiant, his omnibus inferiores homines sunt, & noscunt quando fiunt.

De accipitribus Apollini consecratis.

CAPVT IX.

DE accipitribus etiam hæc audiui, vt Apollinis ministri in Aegypto dicuntur, quidam vocari Hierabosci, quòd sint accipitrum Apollinis educatores, & curatores: nam hoc omne genus auium huic deo sacrum est. Itaque illic quidam accipitres sacri magna cura aluntur, & nihil differunt à rebus deo dedicatis. Qui igitur horum curam habent, dicunt hos ipsos in nido parere, & in sacro nemore nutriri: paruis pullis obijciunt auium captarum cerebra cibum tenerum, at ætate confirmatis præbent carnes, & neruos & fibras, quæ valens nutrimentum auibus rapacibs ministrant, rapacibus igitur & eis qui sunt medij inter pullos, & iam ætate confirmatos, corda obijciuntur, & horum reliquiæ videntur. Et sanè prædicta differentia cibi fatetur accipitres scire exactè quid conueniat vnicuiq; ætati: nam cibum præter suam ætatem non attingunt, ad tempus coturnices aduentant, & aliæ aues adcedunt, vnde hæ sacræ aues pascuntur.

De amore canum erga dominos. CAP. X.

Amantes dominorum esse canes, cùm illa quæ antè dixi argumenta sunt, tum sane illud ipsum quod infrà scribam. Gelon Syracusanus cum arctissime dormiret, se ictum è cœlo cogitabat: hoc quod ei videbatur insomnium erat. is & si dormiebat, inter somnium tamen contentissima voce clamabat. Canis igitur quem ipse alebat, simulatque altoris amici sui vocem audisset, tanquam quodpiam Geloni periculum crearetur, insidiæque pararentur, & in lectum maximo impetu prosiluit, & circum dominum conuersans, vehementissime latrabat, velut insidiatorem vlcisci cupiens. Gelon cum rei funestæ metu, tum canis clamore somno quamuis arctissimo teneretur solutus est.

De polypo. CAP. XI.

Cum in saxum non admodum è mari eminens polypus aliquando correpens ascendisset, ibique explicatis alis summa cum voluptate quod frigida tempestas esset, à tepore solis calesceret, neq; sanè se in saxi colorem vertisset, quod quidē ipsum cùm ad declinandas, tum magis ad moliendas piscibus insidias facere solet, aquila acris & acuta in videndo prædam si non sibi futuram bonam, attamen paratam & promptam sibi & suis pullis perspicuè cernens, quanto potuit maximo alarum impetu in polypum insiluit: sed & piscis hic circumplicantibus aquilam, & pertinaciter adhærescen

rescentibus cirris in profundum detraxit hostem capitalißimam, simul & interfecit, quæ quidem lupus hians, vt est in prouerbio, inani spe illusa, deinde in mari mortua fluitabat. Sed homines plura eiusce modi perpetiuntur, vt Cambyses Cyri filius apud Massagetas ab Herodoto decantatos, & Policrates ad diripiendum aurum magno studio, & diligentia in Oroeten profectus decepti fuerunt, at bestiæ ea pericula ignorant, homines vero non cauent, qui nec scientes & prudentes in hæc ipsa incurrunt. Sed quid opus est verbis, præceptoribus, aut verberibus, ô Cyre, & Polycrates? nam alios prætereo. Quid enim mihi prodest dementibus consulere vtilißima?

De laboris patientia canum. CAP. XII.

ELatè ampléque nunc sentiant Pæoniæ mulieres, illáque præclara facinora facientes magnos sibi spiritus sumant, quòd vno tempore partim capite vrnam aquæ plenam ferant, ita ceruicem erigentes, vt ipsis ingredientibus immota vrna permanens nulla inclinatione propendeat, partim infantem puerum è sinu suo appensum lactent, simul & habena in brachium inserta mariti equum ad aquam ducant, simul & manibus linum neant. Darius magna admiratione affectus est, cum procera statura & forma præstantem Pæones sororem suam eo modo quo antè dixi exornatam Cyro adduxissent, vt ex eius cõspectu Darius sub iugum

ſuum mittere Pæoniam aggrederetur, ſtudio adductus tam operoſæ nationis : verùm quantum ad greſſum præſtantior Pæonibus mulieribus eſt canicula. Cùm enim venabatur, quamuis ventrem ferret, leporem cepit, eáque iam capta præda ſtatim domino cedens ſeceſſit, atque quàm mox nouem catulos peperit, quos aluit poſtea. Quòd ſi Aegyptij eò magnificentius ſentiant, quòd eorum vxores à partu ſtatim è lecto ſurgunt ad obeunda domeſtica munia antè dictæ canis factum audientes remittant ſpiritus inflatos, animíque elationem comprimant.

De canum vigilantia. CAP. XIII.

DE mulo ſupra ætatem ſuam laborioſo, ſimul & de cibo publico ei ab Athenienſibus decreto, cum Ariſtoteles meminit, tum verò nos quodam loco commeminimus. Quod canis vigilanter quoque & fortiter non modo piè & humaniter Athenis fecit, non alienum eſt conſuetudine noſtra, inſtitutóque opere declarare. Sacrilegus primum obſeruato tempore intempeſto, cum dormientes arctiſſimus ſomnus complexus eſſet, de multa nocte intra Aeſculapij templum ingreſſus eſt, deinde vt permulta donaria ex æde ſurripuiſſet, re iam, vt putabat, confecta, diſceſſum parabat. Excubitor canis intus aduigilans ad templi cuſtodiam, æditimis qui noctu ad ſacras ædes vigilias agebant, multo vigilantior expilatorem, direptorémque inſequeb

sequebatur, quàm maximè posset expilationẽ direptionémq; horribili fremitu suo prædicans. Fur primum saxis lapidatione facta, canem appetebat: deinde vbi is latrare non desisteret, illum allicere conabatur, panes & offas canum illecebras obijciens: verùm custos incorruptus canis, vel fur cum euasisset in domum suam, vel cum inde exiret, se illi implacabilem, inexpiabilémque præbens, furem latrare non desinebat. Tandem intellectum est vbi canis esset, ac simul animaduersum quæ ornamenta deessent: is ex hac canis vociferatione esse, qui tale furtum fecisset, in Atheniensium suspitionem adductus est, atque vt verberibus & tormentis in eum quæsiuissent, totam rem cognouerunt. Itaque ex lege hic capite damnatus, extremum dedit supplicium. Cani vero cibus publicè præbitus, & publicæ curæ, vt fidus custos habitus est: nempe qui editimorum nulli inferior vigilantia fuisset, fide etiam superior.

De naturali medicina quam capræ sua sponte nouerunt. CAP. XIIII.

Caliginem oculorum, quam suffusionem medici appellant, caprinum pecus probe curare scit, cum enim conturbatum oculum & non probe affectum ad videndum sentit, eum ad rubi spinam admouet, & reserãdum permittit, hæc vt pupugit pituita statim euocatur, nullàque pupillæ

læsione facta videndi vsum recuperat, neque sanè hominum sapientia ad faciendam sibi medicinam eget, ac potius huiuscemodi curationem homines ab ea didicisse existimantur.

De elephantorum amore erga filios suos.

CAPVT XV.

Elephantorum flumen transmittentium minores natu sese traijciunt primi: hi verò qui sunt confirmata ætate iam grandes, fluctibus obruuntur, duntaxat promuscidibus extra aquam eminentes; teneros vero pullos dentium proiectorum eminentia matres ferunt, ac simul tanquam vinculo promuscide illos complectentes, transuehunt: tum iuniores, vel labores, vel pericula suscipiunt, & antecedentibus ætate, de cibo & potione concedunt, propter obseruantiam per quam cultu quodam & honore natu maiores dignandos existimant. Nunquam enim neque ex senectute infirmum, neque eum qui morbo teneatur, sui gregales deserunt: sed & fidißimi ei permanent, eiusque cum cæteris in rebus student incolumitati, tum verò etiam si ipsi insectatione vrgentur, pro eo propugnant, & saucios, & fessos curant, ac integri, à vulneribus hastas, & iacula è corpore sauciorum, tanquam chirurgi periti extrahunt, vt ne homines quidem scientius pullos suos, adhuc à partu recentes, nunquam deserunt: at sanè illis à periculo tuendis constantissimè permanent, priúsque animam amittunt, quàm suos

suos catulos deserant. Nobis pueris vetula, cui Lænilla nomen erat, nō solum nobilis mulier, sed etiam nota apud omnes erat, dóque ea fabulam ex senibus audiui tum peruagari, illam cum seruo, quem ardentissime adamaret, stupri cōsuetudinē habuisse, & suorum flagitiorum maculis liberos suos affecisse, hi enim ex ordine senatorio erant, & iam inde à patre, atque maioribus stirpem generis patritij trahebant. Itaque dolore ex maternis stupris tabescentes, eam cum lenissime submonuissent, ac maxime clam facinoris turpitudinem ostendissent, hæc porrò libidine flagrans, simul & ex ea tantum effrenata, vt liberis proprijs amorem suum anteferret: filiorum nomina apud principem detulit, ab eis insidias sibi factas dicens. Is autem suspitiosus & timidus, qui tum imperator erat, calumnijs aures facile patefacere solitus, eiusmodi scelus ab ingenuorum hominum cogitatione alienum facile credidit. ita factum est, vt filij qui nefarium facinus nullum admisissent, indignissime necarentur: mater hanc ex delatione mercedem assequeretur, vt cum seruo licētius stuprum facere posset. Quid igitur aut Medæam, aut Prognen Atticam hic commemorem necesse est, cum memoriæ nostræ exempla immanitatis proferre queamus?

Quemadmodum ab aquilis terrē stres testudines occiduntur. CAP. XVI.

T*Errenas testudines à se comprehensas ex alto*

deijcientes aquilæ ad ſaxa allidunt, & ex contrita teſtudinum teſta extractam carnem exedunt conficiúntque, itáque Eleuſinius Aeſchylus tragicus poëta de vita migraſſe dicitur. Cùm enim is in ſaxo, ſedens ex conſuetudine inſtitutóque ſuo philoſopharetur, & ſcriberet, eius caput à pilis nudum aquila ſaxum eſſe arbitrata, teſtudinem quam in ſublime extulerat in idipſum deiecit, & ſine aberratione ictum dirigens virum interfecit.

De carulo & alcedine. CAP. XVII.

CAErulos ſenectute affectos alcedines vxores ſuæ in dorſo geſtantes circunferunt, mulieres contrà maritos ætate prouectos & præclare contemnunt, & peradoleſcentibus adijciunt oculum, tum etiam mariti in fœminas admodum adoleſcentes veneris inſania feriuntur, & vetulas aſpernantur, à ratione remotius beſtijs ipſis viuentes.

De propria vi & natura quorundam animalium. CAP. XVIII.

HAnc etiam vim & naturam quorundam animalium non alienum eſt explanare, ouis & aſinus ineptiſsimis ſunt moribus, & degeneribus animis, hinnuli, cerui, capræ, ſylueſtres lepores quos ptocas vocant poëtæ, à metu timidi exiſtimantur, tum ex volucribus paſſeres, ex aquatilibus mugiles, libidinoſus eſt perdix: clam enim & ſilentio fœminas dicitur inire, muſcæ & canes impudentes, atque importuni. Libidinoſi cynocephali & hirci

hirci ad res venereas ardent: hos enim cum mulieribus venereo complexu iungi ferunt, & libidinis furore cynocephalos in virgines insanire, & vim inferre. Canes etiam cum mulieribus veneris consuetudinem habere deprehensi sunt. Nam Romæ mulier adulterij accusata à marito fuisse dicitur, adulter in iudicio canis esse prædicabatur. Inter canes cibi nulla est societas, vt persæpe de osse inter se sic lacerent & distrahant, quemadmodum de Helena Paris & Menelaus. Solos vero Mephitos canes in medium auditione accepi rapinas proponere & communiter viuere, maxime omnium animalium defixis oculis deorum simulachra intuentur. Sues infidi, & iniqui adeo existunt, vt vel sui generis mortuum exedant & conficiant, quod idem factitant pisces quàmplurimi. Summè impius est equus fluuiatilis, nam parentem suum exesi & conficit, impudentes & non facile reprimendi muscæ & canes. Lupi natura immanes & crudeles ideo existimandi sunt, quod inter se vorant ad hunc modum, mutuas sibi molientes insidias. Eos enim ferunt primò in orbem circumagi, deinde excurrere, cum ex vertigine currendi, & caligine eorum aliquis lapsus sit, in eum humi stratum cæteri omnes facto impetu ipsum laniant. Hoc quidem facere solent, cùm venationis facultate destituuntur, ita enim præ fame omnia nugas putant, quemadmodum scelerati homines nihil non præ pecunia præ-

clare

clare contemnunt. Cùm cæteris in rebus omnium bestiarum simia peruersissima est, tum peruersior in his in quibus hominē imitari conatur. Cùm enim nutricem ex eminenti loco perspexisset pueris infantem in pelui lauare, & fascias in orbem contrahere, & in arctum ad aquæ expreßionem contorquere, atque quo reliquisset loco puerum obseruasset, simul & circa eum ipsum à custodibus magnam introspexisset solitudinē, fenestella quæ tum pateret introiuit in domum ad puerum, quem similiter vt factitari à nutrice viderat, ex lecto sublatum integumentis nudauit, & feruidam aquam succensis nimirum carbonibus calescentem peluē afferens in miserum infantem infudit, atque interfecit. Malitiosa etiam hyena & versuta, & ea quam crocutam nominant. Hyena ad stabula noctu profecta humanum vomitum aßimulat, eam vt canes exaudierunt sic ad illam ipsam tanquam ad hominem adeunt, ea comprensos vorat. Callida item crocuta, primùm enim sese in densas syluas occultans, materiarios fabros nominatim inter se appellantes auscultat, illorúmque cuiuspiam nomen addiscit, deinde summa humani sermonis aßimulatione comparans insidias, quod audiuit nomen humana voce appellat, ad eam accedit appellatus, retro vero illa cedens rursum appellat, idem iterum sæpiusque ad humanam vocem accedit, vbi autem eum à socijs seduxit, & iam ab auxiliatoribus nudum

dum cõstituit, correptum interimit, ex eóque quem voce pellexit sibi instruit & conficit cibum.

Leo iniurias sibi illatas vlciscitur. CAP. XIX.

EVm à quo iniuriam acceperit leo, probe nouit vlcisci, & quãuis ex eo ipso nõ statim vltionem ceperit, tanto tamen post iram retinet, quoad penas pro maleficio sibi illato sumpserit: cui rei testimonio est Iuba Maurus, pater illius ipsius qui in triumphum Romam admodum puer ductus est. Is cùm aliquando iter per desertam regionem faceret, vt gentem quæ ab se defecisset sub iugum rursus mitteret, è suo comitatu quispiam, cùm præstanti nobilitate, tum egregia pulchritudine adolescens rei venatoriæ non imperitus, leonem casu secũdum viam animaduersum sagitta appetens, non ab ictu directo aberrauit, quin ei vulnus, non tamen mortem, intulit: vulnere is accepto, statim se subduxit. Tum ille qui vulnus ei inflixisset, vnà cum cæteris discessit. Anno vertente interposito, Iuba rebus, ad quas cum exercitu profectus fuisset, præclarè gestis, eadem via regressus est ad eum locum vbi anno antè leo vulnus excepisset. Is sanè & si in magna hominum multitudine erat adolescens, ab inuadendis tamen cæteris suum impetum sustentauit: illum duntaxat qui se anno antè læsisset corripuit, & furorem acerbissimum, quem tandiu quàm dixi, seruasset, in illum ipsum hominem peradolescentem quem ab alijs internosset, effudit, ac simul dilacerauit

lacerauit, nec illum quiſpiam ab hac potuit calamitate vindicare. At grauiſsima leonis ira perterrefacti, quà potuerunt, fugam quæſiuerunt.

Cancrorum diuerſa genera CAP. XX.

VAria genera cancrorū audio eſſe, ſunt enim ſaxatiles, ſunt & lutenſes: pariunt cancros algæ & harena. Figuræ ipſorum, & nomina varia multa ſunt, ſunt qui dromiæ appellantur, id eſt curſores, quòd longè latéque vagentur, nam vno loco ſtare neſciunt, ſed modò circum littora errant, modò longius proficiſcuntur. Cauſa ſæpe erroris vt vel in loca ſaxoſa, vel cœnoſa perueniant, vel argumentum tantæ errationis, quod plus quiddam aſſequi cupiant. In Thracio Boſporo vbi fluctus rapidi ex Ponto deferuntur, & anguſtijs diffringuntur, vt cancros contra venietes facile euertere poſſint, quod ipſum cancri præſcientes poſtquam eò peruenerunt, ſinguli in ſinuoſo quodam loco ſe tenent, ſimul & reliquos expectant, deinde in eundem locum congregati adrepentes per crepidines præcipites in ſiccum aſcendunt, & fluctuum vim euadunt, iter pedibus conficientes, cum autem hanc violentiam pedibus prætergreſsi ſunt, rurſus per crepidines in mare recurrunt.

De canum odio in adulteros. CAP. XXI.

QVemadmodum adulteris obtrectet, & inuideat Porphyrio, animal etiam prudentiſsimum, non modò moderatiſsimum, alibi ſi bona memoria

moria sum, me dicere memini. Iam verò caniculum Siculum adulteris infestissimum fuisse auditione accepi. Cum adultera mulier coniugem suum peregre redire audisset, illum qui cum ea stupri consuetudinem haberet in latebras bene penitus, vt ipsa putabat, occultauit: verùm & si ex seruis non lautissimi modò, sed & ianitores pecunia corrupti, cum dominam ad occultationē adulterij iuuabant, tum adultero confidentiam ad inferendum stuprum afferebant. Tantum tamen huic mulieri hæc astutia abfuit ad præcauendum, vt certe perparuus canis partim locum illum, quo adulter abdebatur latraret, partim pedibus fores constupratoris, receptatrices eousque conuellere adoriretur, domino vt non mediocris terror inijceretur, ex eóque suspicaretur ibi malum aliquod latere. Quare fores effregit, adulterum comprehendit, qui eo animo cinctus gladio noctem expectabat, vt primò dominum domus interficeret, deinde verò, quam antè dixi vxorem duceret.

Quemadmodum capræ vitant hominis saliuam valentem interficere scolopendras marinas. CAPVT XXII.

CApræ saliuam humanam perniciosam esse noscunt, itaque vitant, quemadmodum nos conamur quæ homini sunt perniciosa effugere, veruntamen sæpe imprudens sibi noxiā homo haurit, at non item capras saliua hominis latet, quæ mari-

nas

nas scolopendras potest interficere. Postea verò quàm capra proxima est vt iuguletur, non amplius cibum attingit ac nimirum indignum putans se in extremo ouili pecoris agmine incedere, gregẽ quidem antegreditur, at ipsam hircus barbæ fiducia antecedit.

De ouibus. CAP. XXIII.

O*Mnium maxime animalium oues ad parendum faciles sunt, etenim ad verba pastoribus obediunt, & canibus obtemperãt. & capras sequuntur, simul & inter se amant, luporum insidijs minus idcirco patent, quòd non ita separatim à reliquis errant, quemadmodũ singulæ capræ à gregalibus suis segregantur. Arabes dicunt ouium greges apud se musica plus sane quàm cibo pinguescere, sale delectantur, quod eiuscemodi cibus potionis desiderium mouet: neque etiam ignorant Boream & Austrum non minori esse sibi adiumẽto quàm arietis concubitus ad conceptionem sint. Ctesias ait apud Indos ouillæ caudæ latitudinẽ cubitalem esse. Alexander Myndius dicit in pŏto amarissimo absynthio pingues fieri. qui ouillam lanã pexerit, atq; ex ea vestem confecerit, scabiem, vt ferunt, procreabit, ei qui ea vestietur. Atque vt Boreas conci piendis maribus sit idoneus, sic fœminis Auster præclarè tenent, periudéque vt vel hac, vel illa prole sit opus dũ ineuntur, aut in hunc, aut in illum ventum spectant. Achilles ad comburendũ socium in rog*

in rogis iacentem, prece, obsecrationéq; humili & supplice vti, tum vt Iris ei ventos imploraret, & ipse quoq; aduenientibus sacrificium tanquam præmium polliceretur, necesse habuit. Neoclis filius ventis sacrificare Athieniensem populum docuit, oues non item: at verò ventos administros conceptuum sua sponte & non appellatos & promptos habent, ad quos periti pastores eas dirigunt. Cùm enim Auster flat, tunc vt fœminæ, prolis numerus, quibus arietes admittunt.

De canum rursus beneuolentia. CA. XXIIII.

CVm Icarium occiderunt affines eis qui vinum biberunt, & in somnu ceciderunt nullo modo scientes esse factum mulctam mortalem, sed somnum & capitis grauedinem, tum Dionysio volenti auxiliari primo agricolæ suarum plantarum Pithius respondit, si vellent assequi salutem, Icario sacrificarent, & Erigonæ huius filiæ, & cani decantato, propterea quod propter exuperantiam amoris in suā dominam ipsi superuiuere noluisset.

De cancris lutariis. CAP. XXV.

CAncrorum genus est lutarium appellatum, colore aliis albidius spectatur. Hi in luto nascuntur. Cùm incessit eis timor, humo se excitant: habent enim hi paruulas pinnas, quibus quidē subleuantur, sed his gradientes vti minimè necesse habent: cùm autem iniectus eis est metus, nonnihil in his subsidii habent: non tamen admodū firmi, enim-

uero comprehenduntur, quòd sursum subuolare non queunt, quidam eos comedunt, & ex coxarum vertebris laboranti remedio esse ferunt.

De cancellis & turbinibus. CAP. XXVI.

A Conchis quidè inopes, & nudi primùm cancelli nascuntur, deinde eas tanquam domicilia ad habitandum deligunt: cùm enim vacuas & inanes offenderunt cōchulas purpuræ aut turbines, primò intra eas ingrediuntur, deinde cùm in ampliorem magnitudinem excreuerunt, quàm ijs vt capi queant, in testam laxiorem tanquam domum alteram demigrant: neque modò in supradictarum conchas immigrant, sed & in permultas alias vacuas transeunt, & ampliorem nacti ea tanquam maiore domicilio gaudent. Turbines regem habent, cui se faciles ad obtemperandum præbent, rex non modò magnitudine præstat, sed longè etiam & multum pulchritudine cæteris omnibus antecellit; quòd si commodum ei videatur demergi, hoc quidem ipsum primus facit, sin emergere idem incipit, itemque si commigrandum sit, ipse primus tentat, cæteri subsequuntur. Quicunque hunc regem ceperit, bene rem geret, omniáque ei commodè cadent. In vrbe Byzantio drachma Attica ei qui hunc comprenderit præmium proponitur.

De echinis piscibus. CAP. XXVII.

TVrbo & tempestas ad terram echinos allidens è mari funditus in aridam expellit, hi

eius

eius periculi metuentes, cùm sentiunt mare inhorrescere, & ventorum accebitate procellas cieri, suis spinis lapillos ad gestandũ faciles tollunt, vt libramentum, ac firmamentum habeant ad euertendum opportune periculum à quo sibi timent.

De purpura. CAP. XXVIII.

PVrpura vehemẽter edax est, longam linguam habet, ea attrahit quæ comedit, eadem etiam capitur. Capiendi modus eiusmodi est, Paruam nassam denso contextu, exiguis maculis purpurarij piscatores contexunt, intus in media nassa turbo piscis illecebra appenditur ad eas alliciendas, purpura maiorem in modum linguam distendere contendens eo pertinere, & strombum ipsum assequi conatur, & ne ab esca quam ligurit aberret, omnem eam necesse habet exerere, itaque ipsam eatenus exprimit, quoad intumescentem retrahere non quit, vnde fit vt eam piscator liguritione irretitam comprehendat.

De scolopendra & vrtica. CAP. XXIX.

SColopendra marina terrestri perquam similis est, quam primum vt homo contigerit, statim pruritu mordetur, & simili, atque is qui ab vrtica terrestri pungitur doloris sensu afficitur. Pisces item vrticæ pruritum mouent, & vredinem concitant, sed non tam acrem quàm centipeda. Post æquinoctium vrticarum genus esculentius est.

De amore canũ in nutritios suos. CAP. XXX.

CAnum proprium in altores suos beneuolentiæ, illud de viro Colophonio testatur. Is ad nundinas proficiscens vti quædam ibi emeret (nam eius in mercaturis faciendis versabatur industria) pecuniam, seruum, & canem suum accepit, ac quidem seruus qui eam ipsam pecuniam ferebat, cum viæ aliquantum processissent, ad deijciendam aluum ex instituto itinere diuertit, quem secutus est canis, seruus postquam necessitati dedisset operam, è terra marsypium tollere oblitus discessit. At verò canis ibi remansit, marsypio incubans, deinde simul vt ad emporium dominus & seruus venissent, re infecta, cùm nummi eis abessent ad emendum, eadem via qua profecti fuissent reuersi sunt, atque cùm eò venissent vnde prius ille diuertisset de recta via ab itinere suscepto deflexerunt, eodem vbi sane nummos seruus reliquisset, vbi canẽ marsypio incubantem præ fame vix spirantem offendunt, qui vix dum viderat dominum & cõseruum suum cum à marsypio se remouens, vno eodémque tempore & custodia, & vita excessit. Non igitur Argus canis fabulosum poema erat, ò diuine Homere, siquidem eadem acciderunt cani supradicto.

De fuga elephantorum, atque vt sunt leonibus formidabiles. CAP. XXXI.

CVm à venatoribus elephanti tanquam milites in bello, funduntur & fugantur, non alij

ab

ab alijs separatim, sed omnes simul & communiter in fugam se dant, ac simul inter se prementes ad gregales suos adhæreſcunt, horum autem qui iam sunt firmata & integra ætate, reliquos sic circuncludunt, tanquam pugnacißimi propugnatores totum agmen circummuniunt, qui vero longius sunt ætate prouecti, atque matres sub se quæque suos pullos ita occultantes, perrarò hi paruuli vt videantur, subtermedium obtinent locum. Quod si hos ipsos sic frequentes coactos leones perspiciant, alij aliò in fugam tanquam humili, ab elephantis sibi incredibiliter timentes, sese in fugam conijciunt: & tametsi antea formidabiles, maximos terrores adferebant, & vel solo conspectu denuntiabant, ex horum tamen aspectione exterrentur: nunquam verò elephantus ab reliquorum agmine secernitur, nisi aut filiorum suorum aut ægrotantium causa: pro his nimirum nihil non moliens inexpugnabilis manet. Contra omnium ferarum venena remedium est elephanti adeps, quo si quis inungatur & nudus contra efferacißimas bestias procedat, illæsus discedet. Arietis autem cornua & suis grunnitum horreſcunt.

De amore elephantorum erga nutritios suos. CAP. XXXII.

CVm Porus Indorum rex, in prælio, quod cum Alexandro cōmiserat, multis telis confixus esset elephantus quo vehebatur, & si sane multis

etiam ipse sagittis vulneratus erat, defixa tamen in corpore Pori tela, leniter & caute promuscide extrahere non prius destitit, quàm dominũ intellexisset ex redundãti sanguinis profusione, debilitari & euanescere. Itaque leniter & sensim se inflexit, vt ne ex alto decidens, Pori corpus graui casu affligeretur magis. Cùm autem Pyrrhus Epirotarum rex ad Argos occubuisset, in eo conflictu elephantus fuit qui sessorem suum tantopere amaret, vt non prius (quamuis auriga iam cecidisset) currere omiserit, quàm suum nutritium ex hostibus & seruasset, & intra fines amicos reportasset.

De canum rursus amore singulari in dominos. CAPVT XXXIII.

CVm Hircanis & Magnesiis canes quasi societatem bellorum gerendorum inire solebant, hisque maximo ad bella inferenda, adiumento erant. In pugna ad Marathonem commissa cuiuspiam Atheniensis canis, summa contentione illi tulit auxilium, ac simul ex ea actione vterque in variis scriptionibus honoris memoriam consecutus est. hoc sane admirabilis canum amoris exuperantiam declarat. Cum Polus, cuius dum viueret munus erat tragœdias agere, animam quoque egisset, & antiquo more cremaretur, canis eius alumnus in medios rogos sese immittens, viuus vnà cum altore suo exustus est. Rogo etiam eodem in quem

Mentor

Mentor impositus fuisset, huius canes voluntariam mortem sibi consciuerunt. Vt verò Theodorum saltatorem sui propinqui, in sepulchrum imposuissent, eius Melitensis catellus, vltro seipsum in cadaueris tumulum iniiciens, pariter cum domino humatione & sepultura affici voluit. Natio Aethiopum est, quæ canẽ, & habet regem suũ, & illius etiam appetitui paret, si adulatur, eum non iratũ esse credunt: si latrat iram agnoscunt, tum etiã vellicationes, vlulatus, discursus coniectantes, ei obtẽperant.

Quòd ceruæ feminæ cornua non gignunt.

CAPVT XXXIIII.

QVi dicunt ceruam cornua non habere, non verentur contrarios testes. Primùm Sophoclem dicentem ad pastiones quædam cornigera cerua ab altis collibus serpebat, & rursus terrebat ceruas cornigeras: & hoc quidẽ Sophocles in Eleadis. Euripides verò in Iphigenia, Ceruam cornigeram dabo manibus Achæorum, quam simul cum puella iugulabunt, idem Eurixides dicit in Timenidis ceruam cornua habere. Venit ad ceruam aureis cornibus armatam. Thecæus ipse poëta canit aures cornibus prædictam ceruam agentẽ, & Anacreon in fœmina veluti hinnulus lactens in sylua, à cornigera matre relictus terrebatur.

De canũ rursus beneuolentia. CAP. XXXV.

ILlud etiam est argumẽto summæ beneuolentiæ canum in suos patronos: nam cùm Polus tragœ-

diarum actor mortuus esset, & iam cõbureretur, eius canis domesticus in rogum insiluit, & unà cum domino se ipsum combußit, similiter cũ Mentor deflagraret, eius canes simul se exusserunt voluntarij. Theodorum fidicinem præstantem in tumulum propinqui imposuerunt, ranis Meliteus in ipsius sepulchrum se ipsum proiecit, & simul sepultus est. Audio esse Aethiopum gentem, cuius rex est canis, & huius parent affectui: nam cùm adulatur, sciunt esse non iratum: cum latrat, eius iram intelligunt.

De beneuolentia anseris & elephanti.

CAPVT XXXVI.

CVm Lycadem peripateticum altorem suum anser tantopere amaret, vt & cum ipso simul ambularet, & cum ille sederet, hic quoq; ab ambulando conquiesceret, & ipsum nunquam relinqueret, eum ipsum non minus ambitiose quàm aut fratrem aut filium sepulturæ honore affecit.

De mulo. CAP. XXXVII.

MAlitiose factum muli Thales Milesius manifesto deprehensum ingeniose admodum vltus est. Cùm enim ille sale onustus fluuium aliquando transmitteret, vsu fortè euenit vt & caderet, & sarcina euerteretur, sal autem aqua perfusus liquefieret; is ex eo quòd iam ab onere solutus & liber factus esset, magnam lætitiam voluptatémque cepit, & simul vt quantum inter laborem

&

& otium interesset cognouisset, in reliquum tempus fortunam sibi iam magistram statuens, quam primo labē & casum inuitus fecisset, deinde summa cum voluptate prudens & sciens admittebat: hoc quidem ipsum Thales vbi intellexisset, sapientia vlciscendam illius malitiam arbitratus, pro sale eum spongijs & lana onerari præcepit. Mulus instructarum sibi insidiarum ignarus, ex veteri consuetudine cecidit, cum autem aqua completum onus esse grauius sensisset, atque astutiam in detrimentum sibi versum percepisset, ex eo tempore sine fraude & molestia flumina transiens ab omni lapsu tibias sustinebat, & salem ab eo incommodo integrum conseruabat.

De elephāto mulieris amatore. CA. XXXVIII.

IN Antiochia Syriæ vrbe audio cicurem elephantum fuisse, húncque dum ad pastiones iret, mulierem corollas vendentem cum quàm suauissime aspexisse, tum verò etiam quàm libentissimè in illius conspectu acquieuisse, atque huius faciem promuscide tersisse, suauitérque contrectando illi blanditum fuisse: mulierem vicissim ex suo artificio illecebras amatorias, corollas videlicet ad tempus ita contexuisse, vt quotidie illi quidem sumere operæpretium, huic verò etiam opus largiri esset. Postea autem quàm mulier excessit è vita, elephantus nec pristinæ consuetudinis compos, nec quam amaret amplius mulierem videns, tanquam amans

qui amasiam amiserit, sic eam desiderabat, animóque incitabatur, ac qui ante mansuetus fuisset, humanitate expulsa, feritatem induebat, tanquámque homines ex tristitia, ac mœrore laborantes de potestate animi exeunt, sic is furens ferebatur. Mulieris forma hoc animal capitur, atque hebescens ad eius pulchritudinem, remittit furorem animi sui. Riualem verò fuisse in vrbe Alexandria elephantum ferunt Aristophanis Byzantini, de quadam muliere coronas texente. Omnia bene olentia amat, vnguentorum & florum odore permulcetur.

De religione elephantorum. CAP. XXXIX.

Ex orientem solem elephanti venerantur, proboscidem, tanquam manum aduersus solis radios alleuantes. Itaq; hos ei charos esse & egregie diligi Philopator Ptolemæus testis est nobis locuples. Is sane post partam victoriã eius belli quod cum Antiocho gesisset, cùm quàm gratissimus aduersus solem, quem deũ existimabat, esse vellet, próque victoria ei gratias persolueret, tum alia magnifica sacrificia fecit, tum verò quatuor elephantos, bene magnitudine grandes, existimans se sic Deum religiose colere, primum immolauit: deinde cum in somnijs minis Dei perculsus fuisset, ob inuisam numini talem hostiam, religionis metu permotus, pro immolatis ex ære quatuor elephantos in honorem solis excitauit: hoc vt supplici facto hunc sibi placatum efficeret. ergóne Deum elephanti venerari

nerantur? homines autem rationis participes, sitne Deus necne sit, dubitant: tum si sit, humanas ne res curatione, & administratione dignetur.

Ibis non sordidam aquam bibit & de elephanto. CAP. XL.

IN *Aegypto sacerdotes non omni aqua se aspergunt, sed ea duntaxat ex qua ibim bibisse credu nt, nam plane sciunt hanc nunquam solitam esse bi ere aquam sordidam. Elephantos audio in vulneratos leniter velut chirurgos manu extrahere tela, & hastas ex vulneratis. Gaudebat Pyrrhus cum audiebat se vocari aquilam, similiter Antiochus cum se accipitrem appellari percipiebat. Varia hæc quidem & congesta dicentur, sed tamen ab homine docto non indigna.*

Quemadmodum taurus, equus, ceruus Mithridatem amauerint. CAP. XLI.

M*Ithridatem Ponticus cum somnum capiebat sui custodiam corporis non modo armis & satellitibus, sed & tauro, & equo, & ceruo, quos mansuefactos habebat: hi enim ad custodiam dormientis Mithridatis aduigilantes si quis accederet, celeriter ipsum ex respiratione sentiebant, atque ille mugitu, alter hinnitu, alius sua propria voce Mithridatem è somno excitabant.*

Ferarum bestiarum filij diuersis nominibus appellantur. CAP. XLII.

F*Erarum bestiarũ filij diuersis nominibus appellantur*

pellantur, & earum pleræque duplici nomine nuncupantur. Leonum prolem catullos & leones appellari testatur Aristophanes Byzantius, pardalium filij catuli etiam appellantur, & arceli: sunt tamen qui dicunt alterum genus pardalium esse arcelos, at thoum solummodo catuli solent nominari, & tigrium similiter & formicarum, & pantherarum, videntur etiam lyncum filij similiter appellandi, In Iasi nuncupatis dithyrambis sic inuenitur catulus dictus filius lincys, simiarum audio catulos dici eosdémque pithecides, bubalorum pullos, & orygum si audias ne mirere, idem ille Aristophanes Byzantius dicit canum & luporum scylaces posse vocari, atque etiam luporum posse appellari lycides, vt confirmata ætate recte vocaretur monolycus, leporum, lagides vocantur, at qui confirmata ætate sunt, ptocas vocare solent poëtæ, Lacedæmonij vero tachinas appellant, vulpium vero filij alopecides dicuntur, at ipsa mater vocari potest cerdo, & scaphora, & scindacus, aprorũ vero filij molobria nominantur, audias etiam hipponactem & ipsum suem molobritẽ nominari alicubi, vocantur vero etiam suum moniæ quidam, dorcadum vero zorcæ & proces solent appellari, histricum & huiusceemodi filij obria appellãtur, & meminit Euripides nominis in tragœdia inscripta Peliasi, & Aeschylus in Agamemnone, & piscatoribus fœtus qui adhuc in ventre sunt vocant embrya

brya, etiam auium & serpētum & crocodilorum, quidam embrya etiā psacalos vocant, vt sunt Thessali. Teneras vero auiculas pullos, & ortalichos, gallinarum vero filios alectrides vocant, & anserum chenides, & chenolopecum chenolopicides, & eiusmodi similiter formantur, Achæus tragœdiarū poëta pullum hirūdinis moschum nominauit.

Quemadmodum beneuolè affectus est in bene de se meritos leo. CAP. XLIII.


PRobitatem quæ beneficium agnoscat animalibus rationis expertibus inesse sine vlla ingenuarum artium doctrina & sapientia, quam circulatores philosophiæ quidam se excogitasse gloriantur, illā quæ mox dicam argumento sunt: cum enim à senatore Romano seruus cui nomen Androcles erat, aufugisset, quia facinus quodpiam nefarium (id vero quale fuerit ignoro) admisisset, & vero in Aphricam venisset, relictis vrbibus in desertissimam processit regionem, ibique cùm ardore solis torreretur, speluncam subiens, ab æstu requiescebat: hæc autem spelunca leonis erat cubile. Postea autem quàm ex venatu leo summo cum dolore quo laborabat ex pede transfixo stirpe à summo præacuta reuertisset, atque in iuuenem qui intra specum abdebatur, incidisset, ipsum leniter aspexit, ac blandiri cœpit, pedémque porrexit, & quo ad poterat sibi stirpem extrahi rogabat. Ille primò, & si mors illi necessaria erat, ab eo pertimuit, deinde

postquam

postquam mansuetam vidisset beluam, & pedis morbum cognouisset, tum id quod pedem vexaret, euellit, tum vero dolore liberauit. Qua curatione leo delectatus, illum hospitaliter & amice tractando, & quæ venaretur cum illo communicando, præmium salutis persoluit. Is quidem incoctis, vt leonum mos fert, pascebatur: ille vero assis vescebatur, communique vtriusque mensa secundum suam quisque viuendi rationem vtebatur. Itaque totum triennium ibi Androcles ætatem duxit. Cum eiusmodi habitationis illum tæderet, iámque solicitudinibus eius animus expleretur, a leone discedens, vagari cœpit cumque vbi esset, intellectum fuisset, comprehenderunt eum, vinctúmque Romam ad dominum miserunt. Hunc dominus tum de his quæ admisisset facinoribus reum facit: ita factum est, vt is sic capite damnaretur, vt distrahendus bestijs daretur. Tum vero ille Libycus leo forte captus fuit, & in theatrum immissus, simul & eo ad pereundum coniectus est homo leonis aliquando hospes, & conuictor. Primum quidem seruatorem suum non recognouit: leo contra statim hominem diuersorem suum agnouit, suauiterque blanditus est, & totius corporis inclinatione ad pedes hominis se abiecit. Androcles tandem suum hospitem recognouit, & leonem tanquam peregre venientem amplexatur. Interea pardalis Androclem cum inuadere aggrederetur, leo illum, qui videlicet

ei aliq

ei aliquando ſalutem attuliſſet, ab huius laniatu ſeruauit, illámque lacerauit. Spectatores, vt par erat, incredibili tenebantur admiratione. Qui autem ſpectacula præbebat, Androclem accerſiuit, ab eóque totam rem cognouit. Inde primò rumor in multitudinem affluxit, deinde re cognita, populus clamorem ſuſtulit, cunctúsque conceſſus multiplicem plauſum dedit, homini ipſi, & leoni eſſe largiendam libertatem.



AELIANI LIBER *octauus historiæ animalium.*

De Indicis canibus. CAP. I.



X Indicarum rerum ſcriptis, de his quæ ſubſequuntur docemur, canes fœminas multo generoſiſſimas, tum ad inueſtigandas feras narium ſagacitate præſtantiſſimas, tum vero ad curſum velociſſimas in loca vbi tigridibus eſt habitandi conſuetudo, venandi rationibus eruditi, perductas vt primum ad arborem alligarunt, aleámq; vt vulgò dicitur, iecerunt, diſcedunt

dunt. In has autem tigres incurrentes venationis inopia ex fame laborantes lacerant. Si autem ad libidinem inflammati, & cibo completi sunt, cum canibus complexu venereo iunguntur, nanque illi quoque cum sunt exsaturati, venerem meminerunt. Ex hac quidem tigridum cum canibus, tigris quinon generatur, sed semen ad deteriorem delapsum, maternum genus referens, canis efficitur. Ij canes tigride patre nati, vt vel ceruí, vel apri venatum præclare spernunt, sic cum in leones incurrunt, gaudio vehementi exiliunt. Summa Indus nobilitate homo Alexandro Philippi regis filio, horum roboris canum, sic periculum fecit, vt primò ceruum emitteret, canis ex eo loco, vbi quiescebat, eum despicatissimum habens, nihil se commouit, deinde ad aprum dimissum, quemadmodum affectus fuerat, in ceruum immotus permansit, tum vero vbi rursus immissus fuisset, atque hunc, atque alios despicatui ducens, ab eo inuadendo se tenuit, ad extremum hic leonem quem protulissent in medium, vt vidit, cum ira exarsit, ac profectò tanquam iustus hostis in certamen descendisset, sine mora intrepidus inuasit, atque acerrima comprehensione, leonem constrictum tenens, illius fauces premebat, & suffocabat. Tum Indus qui hoc spectaculum regi præbebat, quique probè sciebat eius robur animi & constantiam, primum huic caudam abscindi iussit, is præ ipso leone, quem mordicus tenebat, sibi

caudam

caudam facile abſcindi patiebatur, deinde etiam crus vnum ſuffringi imperauit. Is verò æquè vt à principio vrgebat, & perinde nihil remittebat, quaſi alienum crus, & ad ſe nihil pertinens ſuffrin geretur. poſt alterum, vnde quoque is nihil commotus arctè tenebat, tum tertium incidi præcepit, is ſimiliter vt antè nihil ſe relaxauit à retinendo leone: tum etiam quartum crus abſcindi voluit, is nihilo remiſsior factus, nihilóque minus leonis retinens maximo robore ad eius perniciem incumbebat. Denique & ſi caput à reliquo corpore abſciſſum erat, illius tamen dentes, ex illa leonis parte, in quam primum defixi fuiſſent, pendebant ſimul, & quamuis is qui eos in initio defixiſſet, iam mortuus eſſet, eius tamen ipſius etiam nunc ex leone appenſum caput ſublime ferebatur. Hic cum Alexãder non mediocri dolore afficeretur, ipſius admiratione virtutis obſtupefactus, quod is qui tale virtutis experimentum dediſſet è vita, quam ex robore animi cedere maluiſſet. Quare Indus videns Alexandrum ex huius caſu dolorem non mediocrem cepiſſe, quatuor canes huic ſimillimos illius donauit: ille cum grato & iucundo animo eos munere accepit: tum verò eum ipſum qui dediſſet tanto pretio, quanto par eſſet præſtantiſſimum regem, remuneratus eſt. Itaque horum quatuor munere Alexander ex memoria dolorem quem ex primo ſuſcepiſſet, depoſuit.

De fide quam venatoribus canes in venando seruant. CAP. II.

Omnis canis venaticus ex eo quod ceperit feram, non mediocri voluptate afficitur, & tanquam præmio, si dominus ei permittat, sic ea capta vtitur. Si quidem non conceditur, bestiam seruat, quo ad venator aduentarit, de totáque captura pro suo arbitratu statuerit. quòd si mortuo vel apro vel ceruo inciderit, non attingit quidem nec enim alienis se laboribus adscribit, nec quæ ad se non pertineant, sibi assumit: ex quo apparet æmulationum virtutis natura eum non expertem esse. nec enim carnes quærere, sed victoriam amare videtur. nec iam alienum est explicare, quid vsu venandi peritus canis agat, in eo ipso temporis articulo, cum venator longo venatoris vinculo alligatus. Antecedit, & silentio odoratur simul, & quandiu nulla ei præda occurrit, ante venatorem præcurrit, quia suo sensu narium acerrimo ad sensum venationis percipiendum habilior existat, atque alacribus & promptis ad inuestigandum naribus magnos venandi processus efficiens, venatorem ad pergendum ire vlterius attrahit, & allicit. Si verò vestigia deprehenderit, & quodam bestiæ sensu afficiatur, hic se subitò retinens, sistit pedem, & quod venationis prouentus prope sit, gaudio perfusus venatori blanditur: eò ille cum proximò accessit, eius osculatione pedum, & complexu inuitat ad prædam,

ac

ac simul ad institutam venationem incumbere perseuerat, & pedetentim vsque eò procedit, quoad ad cubilis locum peruenerit, quem vltrà non progreditur: quo animaduerso canis dux, propria venatorum significatione prædam adesse, his qui retia ferunt denuntiat, hi autem retia circunijciunt, canis intelligens voce opus esse, ad excitandam feram, latrat, vt ex fuga in casses incidens comprehendatur. ex hac porrò capta, canis quemadmodum viri, qui ex pugna victoriam retulerint, sic exultat lætitia, triumphat gaudio, & quasi vitulatur. hæc de captis apris & ceruis agunt canes.

Parem gratiam delphini referunt bene de se meritis. CAPVT III.

AD referendam gratiam delphini hominibus iustiores sunt, cùm tamen lege Persarum, quam laudibus tollit Xenophon, minimè teneantur. Cœranus sic nuncupatus, natione Parius, à piscatoribus delphinos ad Byzantium captos argento redemit, & liberos dimisit: ex ea libertatis largitione hanc collegit gratiam, vt naue quam viris (sicut in sermonem hominum venit) Milesiis vectoribus plenam duceret, in medijs angustijs. Parij maris funditus euersa, & vectoribus naufragio perditis, illum ipsum delphini ex hoc periculo seruarunt, eíque ad parem gratiam

cum beneficio quod priores ab ipso accepissent, persoluendam satisfecerunt: quodquidem ipsum saxum nomine Cæranium, quo ipsum exposuerunt facile ostendit. Itaque postea Cæranum mortuum secundum mare illud cognatione ei proximi sepultura affecerunt: quod quidem ipsum, vt delphini senserunt, frequentes tanquam ad iusta funeri persoluenda ad littus conuenerunt, & quoad pyra arderet, tandiu sicut amicis amici fidi permanserunt: deinde restincto rogo discesserunt. non item certè homines ac potius viuos colunt, & eos quidem diuitijs diffluentes & opibus. Contrà verò ab ijs defunctis & si iustis exequiarum carent, se totos auertunt, vt ne gratiam pro beneficijs, quibus ab eis dum viuerent, affecti fuerunt, persoluant.

De piscium mansuetudine & de murena.

CAPVT IIII.

Pisces ad hominum consuetudinē mansuescunt, & cum appellantur intelligunt, & è manu largientium cibos capiūt, vt anguillæ in sacra Arethusa, murena Crassi Romani omnium prædicatione celebrata sic in auribus, & gemmis distincto monili tanquam sane eximia formæ pulchritudine puella ornabatur, & appellantis vocem Crassi agnoscebat, atque ad eum adnatabat, cúmque quippiam ei porrigebat, gaudio exiliens prompto, & parato animo accipiebat. Hanc ille mortuam fleuit vberius, atque honore sepulturæ affecit, at enim cum

ali

aliquando asperè & acerbè Domitius in hunc dixisset, stulte Crasse murenam fleuisti mortuam, ad hæc respondens Crassus, Equidem inquit, de bestiæ morte fleui, tu verò nullos ne ex trium quidem vxorum interitu quas ad sepulturam dedisti, luctus percepisti. De crocodilis hanc etiam auditionem ex Aegyptijs accepi, sacros esse & mansuescere, & à ministris se facilè contrectari sustinere, & sibi frusta esculenta in dentes insita extrahentibus patulum os præbere, atque antiquiores & præstantiores diuinatione pollere Aegyptij ferunt, idque Ptolomæi testimonio comprobant: eum sanè cũ ex crocodilis antiquissimum & præstantissimum appellaret, non exauditum fuisse, cùm cibaria ei comedenda obiecisset reiecisse, inde sacerdotes collegisse ex Ptolomæo, iccirco crocodilum quòd eum vicinum ad moriendum prænosceret, cibum capere noluisse.

Vt Lycij populi diuinant per pisces. CAP. V.

AVibus quosdam diuinare audio, & aues obseruantes examinare volatus ipsarum & sedes, & celebrantur in hac sapientia Tiresias, Polydamas, Polyidos, & Theoclymenus, & alij multi viscerum positiones & naturas cognoscere optime nouerant. Audio etiam esse qui farinis diuinent, & cribris, & caseolis, accepi etiam inter Myram & Phellum oppida, esse vicum nomine Scyrrham, in quo diuinant quidam ex piscibus, &

sciunt quid sibi velit piscium vocatorum accessus & recessus, & cum pisces non audiunt vocantem, quid significent, & cum multi accedunt, quid demonstrent, quid item cum saltant, cum mortui fluitant, quid cum cibum capiunt & rursus quid cum non capiunt ostendant.

Quænam facile capiantur à quibusdam.

CAPVT VI.

N*Vllo negotio lupi asinos comprehendunt, & facilè è vita tollunt meropibus apes, & hirundinibus sicadæ sunt faciles captu, à ceruis serpentes expedite capiuntur & interficiuntur, pardalis cursus celeritate cum alia pleraque assequitur, tum verò maxime simias exceptat.*

Quemadmodum bestiæ quædam sine morsu mortem inferunt. CAP. VII.

M*Egasthenem audio dicētem in mari Indico quendam pisciculum nasci, eúmque quoad viuit in profundo quidem natantem non apparere: mortuum verò ad summam aquam existere & fluitare, qui eum contigerit animi defectionibus primum tentari, deinde obire morte. In libro de theriaca Apollodorus ait eum qui chersydrum conculcauerit etiam si morsus non fuerit, mortem cum vita commutare, quod eius tactus quiddam omnino tabificum habere dicatur: tum ei qui curare & quoquo modo remedium afferre morienti tentauerit, ex sola eius qui conculcauit tactione pustulas exoriri*

exoriri. Aristoxenus quodam loco dicit, virum qui serpentem quendam interfecisset, nullo morsu ab ea affectum ex solo tactu vitam amisisse, illiúsque vestem quam eo tempore cum serpentem interimebat gestaret, non ita multo pòst putruisse. Nicander amphisbenæ pellem inquit bacillo circumiectam omnes serpentes pellere, & alia animalia, quæ etiam si non momorderit sed tetigerit, interficit.

Qua ratione se curãt & sanãt canes. CA. VIII.

CVm redundantia canis vexatur, herbam in maceriis nascentem nouit, qua comesa omne id, quo affligitur cum multa pituita & bile euomit, & valde aluum deiicit, sibique salutem affert sine vllius medici opera, quo ad expellendam ei bilem nihil ei opus est, quæ nisi curetur rabiem facit. Lumbricis vexatos Aristoteles ait herbam edere. Si vulnus acceperint lingua huic medicinam faciunt, vulnerum obligationibus & pharmacorum temperationibus multam salutem dicentes, atque ad salutem plagam reducunt. Nec verò canem illa fallunt, quod & si fraxini fructus ad pinguitudinem perducit sues, tamen sibi dolorem vertebræ coxarum contrahit, itaque videns suillum pecus illius fructu exsaturatum ab illo abscedit: contrà autem homines ratione prædici rectè admonentibus non obtemperantes perniciosis sæpe rebus immoderate abutuntur.

Quemadmodum contra insidias elephanti se gerunt. CAP. IX.

INsidiæ quas elephãtis venatores instruxerint, non eos facile latent. nam cum ad foueam, quam contra ipsos suffodere venatores solent, proximi accesserunt, seu naturali quadam intelligentia, seu retrusa & abdita præsensione, & scientia rerum futurarum, à progrediendo vlterius se sustinent: ac quàm mox itinere conuerso, venatores inuadunt, víque & impreßione, sese in medios insidiatores incitant, simul & eos euertere conantur, fuga vt salutem contra insidias superiores facti adipiscantur. Id igitur temporis cum atrox pugna, tum verò vel hominum, vel elephantorum cædes, & occisio fit multiplex. huius pugnæ ratio talis est: Homines quidem eminus hastas & iacula intorquentes, ac collimantes, ictu directo eos feriunt. Contrà elephanti, ex hominibus si quem cecidisse animaduerterint, statim violenter illum & corripiunt, & ad terram à se abiectum, proterunt, & conculcant: simul & cornibus (sic enim eorum dentes appellantur) tandiu profligant, quoad miserabili, & referta acerrimus doloribus morte, hunc proiectum affecerint. cum autem huiusmodi animalia inuadunt, tanquam vela ex animi incitatione quàm contentißimæ aures, quas habent patulas, intendunt, & pandunt more magnarum struthionũ, que vel dum fugiunt, vel dum inuadunt explicatis alis feruntur.

Itémque

Itémque promuſcidibus, ſub cornua redactis, & contractis quemadmodum roſtra nauium pleniſsimis velis propulſa, ſic elephanti vehementi impreſſione irruentes, multos mortales funditus euertunt: túmque perinde vt tuba belli claſsicum ſonans, clamores vaſtiſsimos edunt. Humi porrò proſtratorum, & genibus contritorum, & oſsium obtritorum, tantus eſt ſtrepitus, vt vel illinc longiſsimè exaudiatur: nec non ſæpe eliſis oculis, naribus diſtractis, fronte diſrupta, facieíque forma amiſſa, non vel à proximis cognatione ſibi noſcuntur. Iam ex his nonnulli ad hunc modum inopinatò ſeruantur. Quamuis enim ſanè venatorem beluæ curſus celeritate comprehenderit: præ tamen vehementi impetu, hunc tranſcurrens, genibus in terram præcipitibus actis, cornua aut in radicem, aut in quippiam aliud tale compingit: ex quo retinetur, ac vix dum ſe retraxit, cum venator elapſus iam ſalutem fuga eſt conſecutus. In hac igitur pugna, elephanti ſæpe vincunt, ſæpe item varijs terroribus iniectis vincuntur. Tubarum enim clangor vaſtum clamorem efficit, ipſique homines armis concrepantes, clypeos videlicet haſtis contundentes, & vlulatum tollentes, ſtrepitu vndique omnia circumſonare faciunt: tum vero partim in terra ignem incendentes, partim in ſublime tollentes, ac tanquam funda eum contorquentes, partim ignitos torres iaculantes, atque etiam longas faces in ferarum oculos ma-

gna vi inferentes, & intrudentes, eis hæc omnia ægre intuentibus, timorem afferunt: vnde adeo impelluntur, exterrenturq́; vt interdũ in foueam, quã ante declinabant, detrudantur & compingantur.

De serpente qui Aleuam pastorem Thessalum amauit. CAP. X.

H*Egemon in Dardanicis versibus de Aleua Thessalo cum amatum fuisse à serpente conscribit, tum Aleuam habuisse comam auream ver bis exaggerat, at ego satis habeo dicere eum comam flauam habuisse. Idem tradit in eius amorem inusitata magnitudine serpentem, cum ad Thessalicum fontem nomine Hæmonium boues pasceret, venisse, sensimque adrepere, ad suum amatum solitum fuisse, & comam illius osculatione prosecutum fuisse, & faciem linxisse, & venantem multa illi tulisse & dono dedisse, etenim si glaucæ citharœdæ, quam Ptolomæus etiam amaret, amore incensus fuerit aries, & in Iasso vrbe puerum amauerit delphinus, quid vetat serpentem flagrasse amore in pastorem forma præstantem, & cum acres atque acutos oculos haberet, bonum eximiæ pulchritudinis iudicẽ fuisse. è natura igitur bestiarum est non modò sui generis, sed etiam alieni animalia modò formosa amare.*

De paria serpente. CAP. XI.

P*Arias seu paruas (sic enim vult Apollodorus) igneo colore est, & magnis est oculis & pulchris*

pulchris & acribus, & largo ore, nihil mordēdo nocet, sed mitis cū sit, deorū humanissimo Aesculapio ipsum cōsecrarunt, & eius ministerio dedicarunt.

Quemadmodum delapsos boues in lacum lupi capiunt. CAP. XII.

SI boui qui in profundā inciderit paludem, lupi interuenerint, extrinsecus terrorem ei iaciunt, eundémque periculi denuntiatione agitant, non extra paludem eum permittentes egredi: quem postquam diu multúmque in paludis angustias cōpulsum: & in luto volutatum suffocari coegerunt, maxime omnium illorum strenuus in aquam insiliens, & mordicus bubulam caudam tenens, extra paludem in terram ipsum trahere aggreditur, simul & huius alter caudam appræhendēs ipsum trahit, & secūdum tertius, & hunc ipsum quartus hoc idem vsque ad postremum qui extra aquam consistit faciunt, atq; ad hunc modum extracto in aridum boue, lupi explentur & satiantur. Iam verò bouis errantē vitulum per insidias inuadūt, & arreptis naribus trahunt, is contrà sese retrahit, & permulta interim pugna editur, dum illi hunc vi expugnare, hic resistere conatur: cum autem hunc tam pugnaciter contra se repugnare perspiciunt, eum obnitentem remittunt, is ex vi retrahendi se, & cōtra eos tergiuersandi, retro versus in dorsum suū recidit, lupi facto impetu eius ventrem lacerant, & distractum exedunt, & conficiunt.

De

De scorpionibus Aethiopicis. CAP. XIII.

IN Aethiopia nuncupatos sibritas scorpios (sic enim ipsos indigenæ nominare solet) audio comedere lacertas, aspides, sphondylas, & omne genus serpetũ, horũ scorpiorũ excremẽta qui conculcauerit, exulceratur. In Corcyra serpẽtes procreãtur appellatæ hidræ, quæ se retorquentes retro versus ad insectantes spiritũ malum anhelant & ab impetu suos insectatores reprimunt, abs seseque auertunt. Typhlopa, quem etiam Typhlenam nominant & cophiam murenæ caput habere simile in sermonem hominum venit, tum perparuulis oculis esse, ex his duobus nominibus alterum ex eo trahit, quòd non sint ei oculi probe affecti ad videndum. Cophiæ nomen iccirco habet, quòd hebetes eidem aures sint: adeò item dura est pelle, vix vt tandẽ secarĩ queat. Acontiam aiunt esse chersydrum, propterea quòd etiam in arido permultum versetur. hic omni animantium generi insidias molitur. Huius cautio in faciendis insidijs eiusmodi est, vt secundùm vias abditè lateat, persæpe etiam correpens in arborem conscendat, ibique sese contortè concludens, & in orbem coarctans, capútque in spiram occultans, vt prætereuntes tacitus ex occulto perspexerit, in id ipsum quod præterit, siue fuerit bestia, siue homo, se iaculetur: nam valet saltu, vt viginti cubitorum spatium transilire queat, protinùsque ad ea quæ saltu appetit inhærescat.

Quemad

Quemadmodum elephanti fossas transeunt.

CAPVT XIIII.

CVm elephanti fossam transilire non queunt, de his vnus aliquis in hanc sese demittit, & transuersus fossæ stans, partim vacuitatem occupat, partim pontis se vicarium præstat. Cæteri supra hunc gradientes transmittunt, & euadunt, simul & eum, qui pontis loco erat, hoc modo ex fossa conseruant. Superiore enim ex loco quispiā porrigit pedem, quem is qui infra est, promuscide circumplicat, reliqui autem virgultorum fasces deijciunt, ad quos ille, cum fortißimè, tum cautißimè pedibus adnitēs, celeri ascensu subtrahitur. Apud Indos tractus est, cui nomen est Phalacrus, quasi latinè caluus: eóque ita appellatur, quòd qui herbam in eo nascentem gustauerit, & pilos & cornua amittit. Itaque elephanti nisi cogantur, non accedunt ad locum illum: imò verò prope cum accesserint, perinde atque homines prudētißimi, ab omni illius loci germine refugientes, pedem referunt.

De spongia. CAP. XV.

SPongiam dirigit pusilla bestia, non specie quidem cancro, sed magis araneo similis. neq; enim inanima hæc est, nec sanguinis expers, sed partus maris animans, quemadmodum in saxis innascitur, & cætera animalia motu prædita sunt, sic hæc ipsa suum quendam motum habet. veruntamen animalculo ad se sensu afficiendā, & vt sit animata eget:

nam

nam propter quandam caritatem ingenitam, & mollitudinem pertusam non se commouet, sed cum quippiam in sua foramina inciderit, ab ea bestiola quam dixi araneo similem excitata, id comprehendit, & exedit: cum autem ad euellendam eam è saxis homo accedit, ipsa ab eo ipso animali conuictore suo stimulata inhorrescit, & contorquens se arctissime contrahit, quæ causa hercule est, cur piscatori plurimum negotij facessat.

De castitate & probitate elephantorum.
CAPVT XVI.

QVemadmodum moderatè elephanti libidines contineant, explicare conuenit. ij igitur ab omni immoderata libidine castissimi sunt. Nunquam enim neque vt constupratores, neque vt item valde lasciui societatem veneris cum fœmina faciunt, sed tanquam generis successione carentes, liberis procreandis dant operam: sic hi, sua stirps vt ne deficiat, complexu venereo iunguntur: neque id sane plusquam semel in vita, & eo duntaxat tempore, cum se iniri fœminæ patiuntur. Vt autem eorum quisque vxorem impleuerit, non eam amplius attingit. Apertè porrò ac palàm in aliorum oculis non coeunt, sed secedentes, aut sese in arbores densas, & frequentes occultant, aut in concauum locum, & profundum ad occultandos eos facultatem habentem, se abdunt. Iam quemadmodum ma-

los aduersentur, & sceleratos detestentur, si cui est otium, attendat animum ad ea quæ consequuntur. Cum autem cicuris elephanti moderator, coniugem non illam quidem amabilem, sed sane diuitem haberet, amoris oculos primùm ad alteram aliam adiecit: deinde eam vxorem ducere studens, alteram priorem strangulauit, ac propè ab elephanti præsepi homo præcipiti consilio non defodit modò, sed alteram quam amaret, in matrimonium duxit. Elephantus autem cum tanti facinoris conscientia incitatus, tum verò suapte natura à malis abhorrens, nouam vxorem eò perduxit, vbi humata altera iaceret, cadauérque dentibus refodiens & denudans quæ dicere nequiret, ex ipsis operibus hæc mulieri ostendere conabatur: eam edocens, quibus esset moribus præditus is, cui ipsa nupsisset.

De engraulis siue engrasicholis. CAP. XVII.

ENgrauli pisces quos alij engrasicholos, alij lycostomos appellant, parui pisciculi natura fœcundi albi perspiciuntur, & quòd ab alijs piscium gregibus exedi & confici valde metuant: iccirco ad insidias quibus sunt opportuni vitandas, eatenus confertis turmis densi natant, vt eorum quisque ad vicinum proximum arctissimè adhærescat, vt ne scaphæ quidem incurrentes eos dissocient, nec si quis remis dispergere conetur eorum societatem dirimere posit, ita inter se

restrictè

restrictè & pertinaciter tanquam contexti contrahuntur, vt tanquam ex aceruo frumentorum, aut fabarum si quis in eos immiserit manum accipere queat, non tamen sine vi abstrahuntur, quin persæpe distrahantur, vt & eorum alteram partem abruptam capias, & alteram relinquas, & in plerisque caudam retineas, in aliis non assequaris, ex aliis caput reportes, & alteram partem in mari reliquam facias. Eorum conferta & continens natatio à rei maritimæ peritis βόλος *appellatur, quæ quinquaginta piscatorias naueis iactus vnus sæpe implet.*

Quemadmodum suillum pecus altoris suarij vocem intelligit. CAP. XVIII.

Porculatoris vocem suillum pecus sic agnoscit, vt etiamsi ab eo procul seductum fuerit appellantem intelligat. Cui quidem rei testimonio est id quod proximè sequitur. Cùm maris prædones ad Tyrrhenam terram piraticam nauem appulissent, ex hara permultos sues furto abactos imposuerunt in nauim, quam soluentes ad nauigandum incubuerunt, subulci præsentibus Piratis silẽtium tenebãt, suésque eatenus abduci quiescebant, quoad ex portu se eripuissent, & latrones à terra soluissent, tum voce suibus audiri solita suarij quàm maxime poterant exclamantes, eos retro versus ad se reuocabant, porci primùm vt sublatum clamorem pastorum exaudierunt, statim se in alterum nauis latus

compell

compellentes eam euerterunt, malefici piratæ naufragio quàm mox funditus perierunt, & sui ad suos enatarunt.

Quemadmodum ciconia obtrectatrix est.

CAPVT XIX.

DE porphirionis & canis riualitate & obtrectatione suprà mentionem feci, nunc de ciconia agam. Ea enim etiã riuali inuidia laborare fertur: nam cùm in Crannone Thessaliæ eximia forma mulier, cui nomen esset Alcinoe, à coniuge peregre profecto domi relicta stupri consuetudinem cum seruo quodam fecisset, hoc quidem ipsum ciconia intelligens, seruiles iniurias in dominum non sustinuit, quo minus quàm mox facto impetu eum sensu oculorum orbans iniuriam in dominum illatam vlcisceretur.

De colore quem animalia ex varietate fluminum mutant. CAP. XX.

AD diuersam potionem colorum mutationem oues faciunt, quod quidem ipsum ex vi & natura amnium vsu eis euenire eo anni tempore, cum ineuntur solet, itaque ex albis commutatio in nigras fit: contráque ex nigris in albas conuertuntur. Hæc autem cùm ad Antandri amnem accidunt, tum ad Thraciæ fluuium, cuius nomen Thraces accolæ tibi dicet, tum vero ad Troiam Scamander ex aqua sua potantes oues fuluas efficit, ex eo factum est, vt huic qui initio Scamander nomina-

retur, deinde aliud nomen aduentitius ouium color Xanthum imposuerit.

De ciconia quæ beneficij accepti Tarētinæ mulieri gratiam retulit. CAP. XXI.

GRatam accepti beneficij memoriam ipsæ etiā bestiæ retinent. Tarentina mulier nomine Heracleis, & cæteris in rebus, ex maxime raro fœminarum genere fuit, & vero ab omni stupro integram castámque se marito conseruauit: quippe quæ vt viuentem cum studiose & diligenter coluisset, sic posteaquam è vita excessit, se fidissimam & ab omni libidine continentem humato con iugi præstans, vrbanas commorationes, & domum, in qua mortuum vidisset maritum, adeò malè oderat, vt præ mœrore ad sepulchri monumētum, vbi sepultura affectus ille esset, miserrimè commoraretur. Hæc igitur fœmina cùm Aestiuo anni tempore, ciconijs pullorum suorum volatum experientibus, vnus & infirmißima ætate, & alarum debilitate delapsus, alterum crus fregisset, eiusmodi casum intuita, se cognito morbo, misericordē pullo præbuit, nam & vulnus obligauit, & medicamentis, & cibo potionéque adhibitis cicatricem obduxit, & ad incolumitatem perduxit, atque iam ad volatum confirmatum, è manibus dimisit. Hic admirabili quadam naturæ intelligentia non ignorans se conseruatæ vitæ præmium mulieri debere, anno pòst cùm ad vernum solem fortè apricantem eam,

quæ

quæ sibi benignè fecerat, perspexisset, demisso atque humili volatu proximè ad ipsam profecta, in eius sinum lapidem euomuit, deinde in tecto subsedit, cuius facti admiratione commota Heracleis, dubitabat quid istuc esset. Cùm igitur lapidem intus alicubi deposuisset, nocte insequenti somno soluta eum fulgere, & radiatam domum tanquam immissis facibus ex eo splendere perspexit: vbi verò ciconiam comprehendisset, & vulneris cicatricem percepisset, hanc agnouit eam esse, quam miseratione commota curauisset.

De venatrice aue. CAP. XXII.

GEnus quoddam merulis affine est venaticum & captiosum colore atrum, splendidè canorum, rectè ex eo venaticum appellatum quod ex auibus multas sui cantus permulsione ad se allicit, & capit, cuius ingenitæ sibi præstantiæ hæc auis non ignara eo naturæ munere ad se voluptate & cibo explendam vti videtur, nam ex sui cantus auditione & bellissimas oblectationes habet, & aucupio atque venatione proximè ad se accedentium auicularum exsaturatur. Quòd si quando quisquam hanc captam concluserit in caueam, non modò canere omittit, verumetiam pro seruitute sua à venatore pœnas silentio sumens muta permanet atque elinguis.

Quemadmodum suorum cõuictorum astacus memor est. CAP. XXIII.

SI quem astacum comprehendisti cum longissimè exportes, relicto ibi signo vnde ipsum cepisti, eodem eum ipsum vnde comprehensus fuerat irrepsisse reperies, si inquam modò ita ex mari exportaueris, vt deinde sic prope deposueris, vt in mari adrepere queat.

Quemadmodum crocodilus ichneumonis insidiis appetitus adiuuatur à trochilo. CAPVT XXIIII.

ANte dixi sicut etiam in Aegyptiacarum rerum commemoratione Herodotus conscribit, cuiusmodi beneficio crocodilos trochili afficiant: quæ, quantum equidem scio, nondum dixi, mo do explicabitur. Trochilus è genere incolentiū fruteta auium est, & circum ripas fluminum errat, & cibis fortuitò obiectis vescitur, & à crocodilo alitur: quod quidem beneficium magnis officijs ille compensat. Nam & diligenter & studiosè ad ipsius dormiētis custodiam iccirco aduigilat, quòd crocodilo cum humi stratus arctissimo somno oppressus est, insidias ichneumon molitur, & sæpe ad illius pellem inhærens eum suffocat: at verò trochilus exclamans, & illius nares verberans è somno excitat, & in hostem exacuit.

De marina pastinaca. CAP. XXV.

PAstinaca marina cùm natandi est cupiditate affecta

- Z.
- ℓ 36.

affecta, natare potest: cùm rursus volandi studio tenetur, sursum versus sublimus volat. Aculeum cuius antè mentionem feci, mortiferum habet, vt vel celeriter non modò homines, sed etiam animalia alia perdere queat. Quod quidem ipsum vt non admirabilitatem facit, sic certè adstupendam admirationem habet. Quòd si ad maximam arborem, & vegetam, & summè virentem aculeum admoueas, & defigas, non multò pòst amittit folia, quæ postquam defluxerunt, totus truncus similis est arboribus Solis ardoribus exsiccatis, æstate cùm est maxima siccitas.

De partu elephantorum. CAP. XXVI.

Elephanti partus in caput procedit ad lucem. Partus magnitudo est instar integræ ætatis, & iustæ magnitudinis porci. Nec verò si quis hunc à partu recentem contigerit, matres indignantur. planè enim noscunt non animo quidem lædendi contrectari, sed ad ludicram delectationem, & blanditias suscipi, esséque hominis naturam ea excelsitate animi, suo vt partui adhuc tantillo incommodare nollet. Postea autem quàm in foueam inciderunt, & se iam teneri sentiunt, animaduertentes exitus locum nullum sibi relictum esse, cum eos pristini animi, tum libertatis capit obliuio: tū verò facile cibos ex largientibus sumunt, tum si quis præbeat, libenter bibunt, atque vinum si in promuscides effundas, sine recusatione admittunt.

De hellope. CAP. XXVII.

Hellopem ſacrum piſcem poëtæ vocari exiſtimant. Fama eſt eum eſſe rarum inuentu, in profundo Pamphylio capitur: ſed neq; tamen etiam inde niſi difficulter: quòd ſi capiatur, coronis ob ſecundam piſcationem ſeſe non modò piſcatores ornant, ſed & piſcatoria nauigia ſertis redimiri curant, & plauſu, & tibiarum ſono prædam teſtantes ad terram nauem applicant. Alij propterea non hunc, ſed anthiam ſacrum exiſtimant, quia locus quem anthias incolit & beluarum ſit expers, & cuius fiducia piſces confirmati ibidem pariunt, naturæ cauſam penitus retruſam & abditam non meum eſt explicare, non magis quàm explicare cauſas cur gallinaceum leo & baſiliſcus timeant, cur ſuillum pecus elephantus horret, in quibus exquirendis & ſi qui permulto abundant otio, plurimum temporis conſumant, non tamen optatum aſſequentur.

ÆL

AELIANI LIBER nonus historiæ animalium.

De leonibus senibus. CAPVT I.



EO cùm ætate processerit, & iam grauis factus fuerit, tum ad venandum infirmus, aut in speluncis, aut nemorosis tractibus libenter requiescit, neq; tum vel cum infirmissimis animalibus, ætatis suæ infirmitati diffidens versari fidenter audet: sed considerans corporis sui imbecillitatem, semper timide & diffidenter cum iis agit. Ex hoc procreati & robustæ & vigentis ætatis fiducia nitentes, longe procedunt ad venandum: ac patrem iam senem secum abducunt, eum impellentes: deinde in media via quam ingressi fuerint, illum relinquentes, toto animo ipsi in prædæ curā incumbunt, ac tantundem prædæ consecuti, quantum vel sibi vel genitori satis ad prandium sit, generoso quodam & contentissimo rugitu edito parentem suum secum (is vt conuiuium ineat) tanquam conuictores ad prandium

conuiuam inuitant. Senex tum sensim & pedetentim velut reptans, eò accedens, primò filios amplexatur, deinde lingua eis suauiter, velut horum laudans felicem venationem, blanditur: post & prandio dat operam, & cum his epulatur. Tametsi Solon qui lege sanxiuit filijs parentes alendos esse, hæc eos facere non iussit: sed natura humanis legibus nihil egens, ipsa immobilis lex ad hoc officij munus docuit.

De pennis aquilæ. CAP. II.

NOn modò præsentem & viuentem reginam auium aquilam cæteræ omnes volucres extimescunt, atque eius conspectum exhorrent, sed & pennæ eiusdem si quis cum aliarum pennis commiscuerit, incorruptæ atque integræ manent, aliæ cum illis communitatem non ferentes putrescunt.

De muribus & crocodilis. CAP. III.

MVres cùm sua sponte fœcunda animalia crebros partus ex sese edunt, tum multò supra consuetudinem accedente salis vsu pariunt, in Paro insula ferrum exedere & conficere dicuntur. Amyntas in teredone Babylonica scribit eodem cibo vti, cùm ex sese crocodili pepererunt. Hoc experimento legitimum ab spurio internoscunt, vt si quid simul atque exclusus est rapuerit, in reliquum tempus in crocodilini generis numero locóque à parentibus ducatur, sin ignauia eum ipsum tardauerit ad comprehendendam alicunde aut muscam aut

lacert

lacertulas, eum parens tanquam à se degenerantem nihilque ad se pertinentem lacerat, atque tanquam ad solis radios aquilæ suorum ingenuitatem experiuntur: sic crocodili celeri alacritate prædam capiendi suos probant.

De aspidis dentibus & de scorpio. CA. IIII.

Audio aspidis dentes quos venenigeros quispiam rectè vocare possit, esse vestitos tunicis valde tenuibus, & mebranæ similibus, ac cum aspis cuipiam morsum imprimit, verti dicunt has membranulas, & venenum effundi, rursusque coire & coniungi. Scorpij aculeus habet quoddam sinuosum tegmentum præ subtilitate non omnino conspicuum, intra quod consistit venenum, simulq; pulsu proijcit per aculeum, foraménque est, & hoc quidem ne visu quidem conspicuum, per quod venenum exit, hominis saliua aculeus obtunditur & remollescit, & ad plagam inferendam inefficax efficitur.

Quemadmodum ius primigenium maximo natu catulo suo canis largitur. CAP. V.

Canis & si permultos ex sese parit catulos, horum tamen è numero primus prodiens in lucem patrem refert, omninóque similitudinem speciémque illius gerit, cæteri vt casus tulerit, nascuntur, quod studio, & prouidentia naturæ fieri videtur vt matri patrem anteponentis ita cæteris catulis primigenium anteferentis.

Inaniora sunt testacea & crustacea & infirmiora iuméta luna decrescente. CA. VI.

TEsta crustáue intectorũ hoc etiam proprium est, vt ad decrescentem lunam ex inanitate & exilitate corporis laborent, quod quidem ipsum declarant testacei generis purpuræ, buccinæ, & his affines, itémque crustacei generis paguri, locustæ, astaci, cancri & id genus, itémque imbecilliora infirmioráque decrescente luna iumenta fieri dicuntur, eámque ob causam harum rerum prudentes in hac mensis parte genita quod minus laboriosa sint, consulunt, non alenda esse, animalia audio primo die lunæ crescentis loqui quiddam vernacula lingua sua, aut cadere, solus leo, vt ait Aristoteles, neutrum horum facit.

De acrimonia piscíũ in andiẽdo, lupi, salpæ, mugilum & reliquorum. CAP. VII.

SEnsu audiendi acerrimo esse lupum chromin, salpam, mugilem ex Aristotelis præceptione patet. Lupum præterea præclare intelligere se in capite possidere lapidem hyberno tempore perfrigidum, sibique infestissimum. Itaque illo ipso anni tempore eum lapidem calfacere haudquaquam inscium contra lapidis frigus remedium esse ipsum tepefacere, similem etiam lapidẽ chromin pagrum vmbram habere, eandémque vitandi frigoris quam lupum sequi rationem: itémque esse in piscium genere parasitos cuiusmodi peaunculum appellatum,

quæ

quæ delphinus ceperit deuorantem: itaque ex eius præda tanquam ex locuplete mensa refertum pinguescere, eo nimirum delphinum tantopere delectari, vt cum ipso libenter quæ comprehenderit communicet, & ille apud Menandrum valde effertur, quòd decipiens homines, eos pro pabulo haberet, cuiusmodi parasitus appellatus. Struthias Cleodemus Philippi parasitus alterum oculum suum ligatum habebat, gratificans Philippo qui in obsidione Methonæ alterum oculum amiserat, at mihi amicitia videtur & domesticus vsus esse pisci pediculo cum delphino, adulationem vt alia mala homo no uit, rationis expertia non nouerunt.

De charitate & pietate elephantorũ. CA. VIII.

CVm alia pleraque naturali quodam amoris habitu elephantos cum filijs suis conciliatos esse ostendunt, tum verò maximè illa, quæ consequitur naturæ commendatio ad amorem vehemens declarat, quanta eorum quæ procrearint charitate teneantur. Horum venatores caueas instruunt, in quas cum animalia incidunt, ex his partim capiuntur, partim tolluntur. Huius verò fossæ faciendæ quæ sit ratio, alias dicam. Nunc pergo explicare, quàm in genere elephantorum matres charos pullos suos habeant. Cùm enim in foueam pullum suum incidisse mater perspexisset, ne minimam quidẽ moram interposuit, nec eius cursum vlla ad pullum consequendum segnitia tardauit, quin vehementi

dolore

dolore affecta, quanto maximo posset incitato incursu, in delapsum filium præceps ageretur, ambóque eodem casu morte occumberent: hic quidem materno pódere pressus contereretur: illa sane præcipitata, caput diffringeret. Risu igitur obruendi, qui vtrum naturalis sit, necne, amor parentum in filios, dubitant.

Vbi vituli marini pariant. CAP. IX.

VItuli marini primùm in arido pariunt fœtus suos, deinde in lucem editos paulatim cũ in humidiora loca subducunt, atque ad degustandum mare eos introducunt, tum in aridum natalem locum reducunt, inde rursus in mare deducunt, & quàm mox educunt, sæpéque numero cum id fecerunt, aptissimos ad natandum efficiunt, partim doctrina institutos, partim natura ad mores & sedes maternas amandas impulsos.

De aquilis. CAPVT X.

AQuila violentum animal, & tyrannicum: neque modò in assequendis ad viuendum necessarijs rapinas facit, sed etiam vsu carnium delectatur. nam ad se explendam lepores, hinnulos, anseres ex cohorte & alia pleraque rapit. Vna tantùm ex aquilarum genere, quæ Iouis appellatur, carnes non attingit, sed & ad victum ei herba satis est, & si Pythagoram Samium non audiuit, nullam tamen animantem edit.

De

De morsu aspidis. CAP. XI.

SI quis phalangium duntaxat attigerit, ipsum dicunt non valde vehementi dolore mori, at aspidis morsum Cleopatra *lenissimum esse periclitatione percepit. Cùm enim aduentante Augusto quænam sine acerbo doloris sensu mors esset in conuiuio de circunstantibus se exquireret, eam quæ gladio inferretur, doloribus refertam esse ex his qui aliquod vulnus accepissent reperiebat, acerbam autem ex venenis & laboriosam: conuulsionem enim facere, & stomacho & cordi dolorem inurere.*

De marina vulpe. CAP. XI.

QVemadmodum vulpes terrena animal fraudulentum existimatur, ita etiam marinæ vulpi machinatio quædam atque solertia ad declinandas insidias attributa est. Principiò enim aut ad hamum non accedit, aut simul vt hunc deuorauerit statim tanquam vestem inuertẽs & interiora sua euomit, & ad hunc modum ferrum expellit.

Quemadmodum ex ranis ad coitum mares alliciant fœminas. CAP. XIII.

VT hominum illecebræ quædam amoris esse dicuntur, sic ranæ amatorium quiddam in voce vsurpant. Etenim quemadmodum ad captandos amores suos homo amans lasciuam cantiunculam cantitare solet, sic suæ cuiusdam emissione vocis, quam ololyginem vocãt, coitus significationem mas feminæ dat: atque vt eam allexerit, ambo no-

ctem

ctem, quòd in aqua non queant coire, expectant: interdiu venereo complexu implicari horrent. At noctu in magna securitate veneri dant operã. Cum vocalius quiddam quàm sint solitæ sonant, pluuiæ aduentum denuntiant.

De torpedine. CAP. XIIII.

VT remora, quòd naueis remoratur, ex eo nominatur, sic id quod à torpedinis piscis tactione obtorpuisset, ei nomen dedit. Ex matre mea cùm essem puer, audiui si quis eam contigerit, manum obtorpescere. Itemque de sapientibus viris hanc auditionem accepi, quòd si quis rete in quo fuerit capta attigerit, torpere. Sin autem quis eam viuam in vas imposuerit, & marinam aquam infuderit tum si grauida sit & tempus pariendi aduenerit, parit quidem in vase: quòd si quis postea ex hoc vase aquam capiat & infundat in manum aut pedem, torpescere manum aut pedem necesse est.

Quædam bestiæ postquam attigerunt venenatum quippiam, acerbiores sunt ad plagas: & de cane rabido. CAP. XV.

NOn eam vim ad plagas & morsus semper habent animalia, sed sæpe propter causas quasdam morsus acerbitas intenditur, nam gustata serpente vespa longe morsu infestior est: musca item cum eiusmodi quippiã attigerit, acriores morsus habet, & dolorem maiorem facit. Aspidis morsus si ranam comederit, insanabilis omnino fit. Canis si incol

si incolumis momorderit, vulnus quidem infert & dolorem, non tamen pestiferum inurit: sin rabiosus plagam inflixerit, pernitiem molitur. Primò enim aquæ metum iniicit, & qui mediocriter se habere videtur: deinde ingrauescente rabie in dolorem exardescit, & latrat, denique moritur. Cùm autem vestem quam rabidus canis lacerasset, sarcinatrix mordicus, vt eam sarciret tenuisset, in rabiem acta periit. Ieiuni hominis morsus acerbior est, atque ad sanandum difficilior. Scythæ dicuntur ad toxicum quo sagittas oblinunt, humanũ admiscere cruorem. huius rationem Theophrastus conijcere nouit.

Quemadmodum oculorum hebetudinem sanat serpens. CAP. XVI.

INeunte vere cùm senectutem serpens exuerit, tum etiam visus hebetudinem tanquam oculorum senectutem abiicit, quo ex morbo admotis ad marathrum oculis liberatur: nam ex eius hyberna in latibulis obscuris mansione oculos hebetes & præstrictos frigoribus calfaciens marathrum purgat, atque acres & acutos efficit.

De halcyonis partu & de cõstructione nidi.
CAPVT XVII.

HAlcyon suam grauiditatem sentiens, nidum ad excipiendos pullos machinatur, sed ita vt non egeat luto, neque edium trabibus vt hirundo quæ etiam domibus eget ad constructionem nidi, & hospes non vocata ingreditur domos, consu-

mens

mens tempus matutinum in loquacitate, & rumpens suauißimum somnum: at halcedo congregans belonæ spinas vinculo quodam incredibiliter dispo- sito nidum suum deuincit, spinásque alias rectas obligat, alias transuersus texit, vt mulierem dicas textrinæ peritam telam aut pannum texentem. Et quanquam nidum aliqua ex parte sinuosum & sublongum velut nassam efficit, tamen leniter in rotundam figuram subtexit, deinde in mare defert vbi fluitans ab incursantibus vndis earum opus probatur, & partes quas aqua incurrens ostendit non firmas esse, ita sarcit, vt ne siquidem percutiatur saxo rumpatur, neque ferro discindatur. Os nidi non planè conspicuũ & inaccessum solum illam suscipere potest, neque per ipsum os quicquam ex mari intro influere potest, ibidémque pullos nutrit, vndis circumlata, vt aiunt.

De lycoctono herba. CAP. XVIII.

PRoximè Nilum herba nascitur, quæ non sine causa lycoctonos appellatur, quòd eam lupus calcans conuulsionibus moritur: propterea Ægyptij in terras suas eiusmodi herbam importari prohibent, quòd hoc animal venerentur.

De gallinis & galeota, quem Plinius stellionem vocat. CAP XIX.

GAllina si in vinum ceciderit & suffocetur, nihil lædere aiunt neque vinũ neque ea quæ sunt intus, sin in aquam delabitur, malè olentem

reddit

reddit aquam, & malo odore aërem afficit. At galeota si in vinum aut in aquam delapsus suffocetur, nihil lædit, sin in oleum ceciderit & moriatur oleum tetro odore imbuit, eósque qui eo vsi fuerint, pedunculis implet.

De cerui cornu & lapide serpentes fugante.

CAPVT XX.

CEruini cornu suffimento serpentes fugari manifestum est. Aristoteles dicit in ponto flumine (est autem hic in regione Indica & Mæonica) lapidem esse, cuius suffitu fugantur serpentes, ac si quis aqua perfuderit exardescit: sin ardentem flabello magis incendere velis restinguitur, eius suffimentū odorem sulphure tetriorem emittit, in quod quidem ipsum Nicander consentit.

De Pharo insula, & de eius serpentibus.

CAPVT XXI.

QVæ dicturus sum antiqui Aegyptij tradūt: nimirum Pharum insulam varijs & multis serpentibus fuisse plenam: at postquam Othonis rex Aegyptiorum Helenam apud se depositam à Menelao erranti in Aegypto atque Aethiopia amauit, vsque stuprū intulit illi, fama est Helenam metuentem hæc omnia dixisse Polydamnæ vxori Thonidis, quæ metuens ne quando pulchriorem se duceret Othonis Helenam, & tamen ipsius miserens exposuit in Pharum insulam, herbámque illi dedit inimicam serpentibus eius insulæ, cuius sen-

ſum percipientes ſerpẽtes poſtea latuere. Eam herbam Helena plantauit, quæ temporis interuallo germinauit, & ſemen emiſit, inimicum ſerpentibus. Hanc herbam appellari Helenium dicunt, qui eiuſmodi res callent.

De ſtellis marinis. CAP. XXII.

STellæ marinæ cruſta intectæ oſtreis tam crudeliter inimicæ ſunt, vt hæc ipſa exedant & conficiant. Ratio inſidiarum quas eis moliuntur, eiuſmodi eſt, Cùm teſtacea ſuas patefaciunt conchas vt & refrigerentur, & ſi quid quod pertineat ad victum inciderit, compreſsis conchis exceptant, eæ ſuo pede intra teſtas inſito eas claudi prohibentes oſtreis explentur.

De amphiſbena. CAP. XXIII.

HYdram Lerneam Herculis certamen decantant poëtæ, & veterum fabularum opifices: quorum è numero eſt Hecatæus hiſtoricus: chimeræ naturam tricipitis canit Homerus, Monſtrum hoc Lyciæ Amyſodari Lyciorum regis in perniciem multorum beluam variam & inexpugnabilem. Quæ mihi profectò ſic in fabulis numeranda videntur, vt verum eſt: amphiſbenam ſanè ſerpentem duo habere capita, alterum in anteriori parte, alterum in poſteriori. Cùm enim aliquò neceſſe habet progredi, caudæ loco alterum ponit, altero pro capite vtitur, tum rurſus ſi ei retro ſit opus cedere, capitibus contrà quàm prius vtitur.

De

De rana piscatrice. CAP. XXIIII.

E Genere ranarum quædam piscatrix appellatur, nomen ex ijs actionibus rerum quas molitur trahens. Hæc ante oculos has sane pisciculorum capiendorum illecebras habet: longulos nimirum pilos, eos sibi conscia à natura cõparatos esse dandæ ansæ ad illiciendos in escam pisces, sese in turbidißima & referta limo loca abdit, atque illic ibidem silentio delitescens porrigit pilos & prætendit, paruuli igitur pisciculi ad pilos adnatãt, & extremum quod propilatum est escam esse putant: ea verò in abstrusis insidijs manens, vbi illos propius accessisse perceperit, pilos ad se subducit. Subducuntur enim occultis quibusdam vijs: pisciculi autem qui helluatione & liguritione allecti proximè accesserint, comprehenduntur, & ei esca fiunt.

De locustæ & polypi inimicitiis. CAP. XXV.

Locusta ideo inimicitias cum polypo graues habet, quòd hic cùm locustæ brachia circumplexus fuerit, aculeos quos illa in dorso insitos habet, pro nihilo habens, locustam soffocat: cuius sanè rei haud inscia locusta à polypo summè refugit, cùm nullius rei metu afficitur, tum antè versus progreditur, non prætensis quidem, sed obliquis & demißis in latera cornibus, partim vt ne aqua contra natationem veniens reprimat cornua, partim verò ne vltrà progredi prohibeatur: sin fugit &

retrocedit,tum longè latéque sua cornua & porrigit & tanquam remis scapham propellens sic sese commouens multum conficit itineris. Quòd si locustæ inter se pugnant,alij contra alios ita erectis cornibus veniunt, vt incurrentes arietes allidunt & conferunt frontes. Iam enim antè certamen murenæ & locustæ explicaui.

Quemadmodum serpentes agnos & nepeta persequitur. CAP. XXVI.

PErmultam *serpentium fugā nepeta & agnos faciunt & longè latéque expellunt, in Atheniensium Thesmophoris Atticæ mulieres agni folijs cubitus suos substernunt, quòd serpentibus sit infesta & quòd existimetur ab appetitione Veneris prohibere,vnde nomen traxisse videtur. Herba etiam libanotis nuncupata serpentibus formidabilis existit.*

Quemadmodum scorpium necat herba thelyphonus. CAP. XXVII.

T*Helyphonum herbam Theophrastus narrat, si eam ad scorpij dorsum admoueas,hunc statim perire.Idémque affert eundem ad integritatem valetudinis restitui, si eum candida helleboro oblinas, atque equidem Thelyphonum probo, non item helleborum, quòd sanè ita homines egregie diligam vt acerbe & penitus scorpios oderim. Callimachus etiam canit in terra Trachimia arborem nomine Smilum nasci,ad quam appropinquantes & eam*

cont

contingentes serpentes pereunt.

De serpentibus Euphratem accolentibus.

CAPVT XXVIII.

EVphrates qui inter Parthos & Syros intermedius fluit, quàm longè cæteris fluminibus præstet, aliàs dicam. Iam nunc de eo ipso quod Parthi & Syri non ignorant, quódque ab hoc instituto sermone nõ abhorret ponam. Ad primos ortus huius fluminis quædam serpentes nascuntur hominibus inimicissimæ, non indigenis quidem, sed externis adeò infestæ sunt, vt eos interficiant.

De sue & salamandra. CAP. XXIX.

SVem suauiores carnes habere, iamdudum creditum est: ac siquando salamãdram comederit, extra periculum est, eos autem qui suis carnibus vescuntur interimit.

De gressu leonis. CAP. XXX.

CVm leo graditur, nec rectà iter facit, nec simplex ponit vestigium, sed varium imprimit, & multiplex, modò enim progreditur, modò regreditur, tum rursus procedit, idemque vicissim retro commeat, nunc quasi sursum versus, nunc permistim facit vestigiũ, deinde partim præcidit viã, partim obliterat, vt ne venatores vestigijs insistẽtes lustrum vbi cum suis catulis habitat reperire possint, quod diuino munere propriũ naturæ leonũ datũ est.

De singultu animaliũ & herba illi contraria.

CAPVT XXXI.

PAstor bonus diligit oues & capras, at odit singultum strangulatorium, morbum qui etiam homines sæpe tentat. Hunc morbum affert satietas: itaque herbam quandam huic malo contrariã iuxtã stabula plantant quæ pecudes prohibet ab hoc malo. Dicunt periti etiam hominibus hoc affectu laborantibus hanc herbam prodesse.

Quæ modo hyosciamon & opon per volucres extrahunt. CAP. XXXII.

HYosciamon & opon quibus opus est colligere, hi circunfodiunt quidem circa radices, non suis manibus, sed per volucrẽ extrahunt: quam postquã venati sunt aut emerunt, eius alterũ pedem alligant ad herbam, quam ailis circunuolans extrahit. Et sunt vtiles ambæ ad ea quibus egent homines. Quòd si quis non ita herbas extrahat, perdit operam. nam aliter efficaces non sunt.

De polypo pisce nauta. CAP. XXXIII.

NAutilus è genere polyporum est, & concha vna præditus, cùm ex ima maris sede ad summam aquam effertur, inuertit & mutat concham deorsum versus, vt ne hausta aqua rursus demergatur: vbi ad summum æquoris peruenit, & mare ab aduersa tempestate cõquiescit supremam concham vertit, hæc enim tanquam scapha nauigatione fertur. Is autem duo brãchia in vtrunque latus demissa sensim atque moderatè mouens remigat, domesticamque & natiuam nauem propellit: ac si

ac si ventus flat, brachia quæ tanquam remos prius longè latéque porrigebat, gubernacula constituit, atque cæterorum brachiorum longè latéque passorum remigatione vtitur, inter quæ media est membranula pertenuis: ea passa & intenta pro velo vtitur: sicque cum est sine metu nauigat, sin quippiam à volentioribus beluis metuit, se demergens concham aqua complet, & simul ex pondere in profundum delabens sese occultat, atque ita hostem effugit. Post vbi mare est tempestate vacuum, & à beluis quietum, de imo maris gurgite se extollens rursus per summũ mare nauigat, vnde nomẽ habet.

De lumbricis & abrotono. CA. XXXIIII.

A*Brotonum quantas commmoditates habeat, & vt vias præbeat spiritui, ipsumque purget, non est mihi nunc tempestiuum declarare, sed animal perniciosum lumbricum interimit, quod adeò augescit vt fera efficiatur: intestinis innascitur, & inter morbos humanos numeratur, & quidem inter eos qui difficulter curantur. Iam verò id quod de hoc verme narrat Rheginus historicus, tale est: Mulier habebat lumbricum & eam sanare desperabãt etiam graues medici. Itaq; ad Epidaurũ profecta, deũ rogabat vt sibi auxiliaretur. Non aderat deus, tamẽ æditimi dei ministri iubent discumbere mulierem vbi sanare deus solebat egentes tali auxilio: mulier quietè obediebat ministris: at hi dum ea quæ pertinent ad sanitatem, mulieri*

ministrabant, caput à ceruice separant: demittit alter manum & extrahit lumbricum feram magnam, sed in pristinam sedem caput restituere nesciebant, interea Deus aduenit; ministris irascitur, quòd tentassent opus viribus humanis præstantius, ipse diuina vi caput restituit in suum locum & ad sanitatem restituit mulierem. Non tamen, Aesculapi humanissime, sapientiæ tuæ comparo abrotonum: non enim eò vsque insanio: verùm in commemoratione abrotoni recordatus sum tui beneficij & curationis stupendæ. Sed quin donum tuum sit herba abrotonum, non est dubitandum.

In quantam altitudinem maris visus hominis penetrare potest. CAP. XXXV.

MAris altitudinem humanus visus penetrare vsque ad triginta passus posse dicitur, vlterius non potest pertingere, siue autem pisces subnatant, siue feræ sunt, vltrà non accedunt, siue dei marini hanc regionem vlteriorem tenent non valde laboro, neque alius dicit.

De pisce adonide exocoeto appellato.

CAPVT XXXVI.

PIscis aspectu flauus è genere mugilum saxa incolere, & simul in ijs victitare solet, eius sanè duo in vulgus nomina minimè ignota atque peruagata sunt: alij enim Adonin nominant, alij exocoeton, quòd extra mare in arido cubet. Cùm enim est tranquilla tempestas, in siccum vndarum impetu

impetu peruectus ad saxa sese exponit, ibidémque libenter & quietè altum somnum capit: cùm autem alijs omnibus animalibus tanquã fœdere deuinctus est, pacémque habet, non similiter cum incolis maris auibus pace cõiungitur, sed & eas perhorret, ac si earum quæpiam comparuerit, sese versat & tandiu saltatorio quodam facto tripudio saltat, dum de saxo in vndã desiliens salutem adeptus fuerit: cùm autem mare & terram amicam habeat, ipsum iccirco adonin (quemadmodum mea fert opinio) ij appellarunt, qui huiuscemodi nomẽ ei imposuerunt, quòd Adonidis qui Cynaræ regis filius fuit, vitam inspexerũt. Eum sanè duabus in amore deabus fuisse alteri marinæ, alteri terrestri.

Quemadmodũ plantæ ramus alienæ arbori inseritur opera auium. CA. XXXVII.

VNius plantæ ramus sæpe innascitur & succrescit alienæ arbori. Causam cur id fiat, Theophrastus abstrusas rerum naturas perscrutatus affert. Aues enim arborum fructum comedentes posteaquam in arboribus considentes excrementa egerere, seménque in cauernas delapsum pluuia irrigatum enasci, & pullulare, itaque in oliua ficum, in alijsque alias ingenerari.

De oue & hepato piscibus marinis.

CAP. XXXVIII.

IN specubus abditè latent maris incolæ oues & hepati & à piscatoribus Præpontes nominari

soliti, & quanquam natura maximi videntur, tamen ad natandum segnes sunt, non enim à suis latibulis longè aberrant, imò verò circum ea ipsa semper volutantur, infirmioribus piscibus adnantibus insidias faciunt, asellus inter eos numerari potest, hic exortum caniculæ extimescit.

De cantharidibus & vbi nascantur.

CAPVT XXXIX.

CAntharidum genus nascitur in segetibus & alnis & ficubus vt Aristoteles dicit: in ciceribus campæ; in orobis generantur phalangia quædam, in porris blatta, in crambe generatur vermiculi genus cui est nomen crambis.

Quemadmodum nouerunt animalia in quo habent fortitudinem vt xyphias, pastinaca, murena. CAP. XL.

IN qua parte insitam vim habeat præclare nouit vnumquodque animal, cuius cum insidias facit, fiducia nititur, vt gladius piscis ea parte vnde nomen traxit tanquam gladio vtitur. pastinaca aculeo se tuetur. murena dentibus eo commodius se defendit, quòd eorum prædita sit duplici ordine.

De muribus marinis. CAP. XLI.

INcolæ domorum mures cùm ad cætera omnia timidi & perimbecilli habentur, tum maximè strepitus timore afficiuntur, sed nihil peius quàm felis vocem perhorrent: timidi etiam agrestes, sed domesticis audaciores, non item marini. At enim

&

& si non magno sunt corpore inexpugnabili tamen septi sunt robore atque muniti, quippe qui ad propugnandum duplici confidunt armaturæ, prædura nimirum pelli & dentium robori: cum enim valentibus piscibus & rei piscatoriæ hominibus peritissimis pugnant.

De thunnis. CAP. XLII.

TEmporum commutationem thunni sentiunt, solstitia præclarè noscunt: nihilq, ijs ad hanc rem cœlestium rerum peritis opus est, vbi eos hyemis initium deprehenderit, ibi libenter commorantur: & ex eo loco ad vernum æquinoctium non se commouent: eosdem Aristoteles ait altero oculo acutius, altero hebetius videre, in quem hoc idem consentit Aeschylus, cum inquit, sinistrum oculum thunni more intorquens, eóque limè & obscurè aspiciens. Pontum ingredientes ad dextrum latus vnde acrius vident, terram constituunt, egredientes ad contrarium littus se accommodant & terram secundum eum oculum quo clarius vident, statuentes nauigant.

De paguris. CAP. XLIII.

CRusta paguris rumpitur, & senectutē quemadmodum serpentes sic seipsi testa exuunt, cuius circumplicatione suu corpus cùm obductum esse sentiunt, tum huc & illuc tanquam furijs incitati feruntur, pleniorem victum inquirentes, vt tumoris accessione & corporis mole inflati inuolucrum

crum suum rumpere possint: ex quo ubi elapsi sunt atque se explicarunt, in sabulo iacent mortuorum similitudinem speciémque gerentes. De nascente pelle etiam nunc molli & tenera maximo afficiuntur timore: ut autem ex dissolutione & diuulsione se paulatim collegerunt, & quodam modo reuixerunt, primum sane gustant sabulum, tandiu timidi sunt, & viribus suis diffidentes, quoad tegumen to extrinsecus obiecto circunuestiantur, id simul ut cœptum fuerit conglutinari, atque ad naturam testæ traduci, tum continuò tegmini tanquam armaturæ confidentes adsunt animis & amittunt timorem.

De serpentibus apud Troglodytas.

CAPVT XLIIII.

T*Roglodytarum genus hominum quod ex habitandi & viuendi ratione nomen duxit, serpentibus iccirco formidabile est, quòd serpentes eiusmodi hominum natio exesit, ac conficit, teterrimum porrò odorē serpentes inter se mistæ emittūt.*

Quemadmodum polypi & osmyli adrepunt ad arborum fructus. CAP. XLV.

P*Olypos & osmylos in siccum egressos æstiuo tempore ex maritimis arboribus frugiferis fructus surripientes sæpe agricolæ deprehendunt, & pro direptis fructibus pœnas ex comprehensis sumunt, & ex sese conuiuium largiuntur dominis fructuum direptorum.*

De

De fusaneo genere piscium. CAP. XLVI.

FVsanei generis pisces marini sapientes sunt ad diligenter penitùsque cognoscendam temporum mutationem: nam ineunte hyeme ad vitandam frigoris vim ex natatione conquiescentes & consistentes ipsa commoratione & quiete, æquabiliter, & fraternè sese tepefaciunt, postea verno tempore ingrediuntur longiora itinera facere, neque modò obuijs sed ijs etiam quos inquisierint & inuestigarint cibis pascuntur.

De echynis marinis. CAP. XLVII.

ECHinos adhuc viuentes obductos testa, atque aculeis communitos si quis contriuerit, & alia separatim ab alijs frusta in mare abiecerit, hæc tamen cohærentiam, & coitionem inter se faciunt, & affinem partem recognoscunt, & applicata cohæresc unt, & velut conseruntur, simul & naturali rursus quadam conciliatione integrantur.

Quemadmodum ad amplificandam prolem animalia excitantur. CAP. XLVIII.

EX animalibus sibi quo plus prolis nascatur harum rerum curatores & pastores ouium, caprarum, & equorum genitalia tempore coitus delibutis multo sale & nitro manibus perfricant, vnde ijs vehementer coitus appetitio exoritur: alij ea pipere, alij nitro perungunt, alij vrticæ fructu: sunt etiam qui smyrni & nitro eadem inungant, ex ea sanè fricatione fœminæ & libidinosiores

euad

euadunt, & mares sustinent.

De maximis cetis. CAP. XLIX.

AD littora aut minimè profunda loca, aut breuia ex cetaceo genere nullum appropinquat, sed in alto & profundo versatur, eximia autem magnitudine existimantur leo, zygæna, pardalis, physalus, pristes, maltha belua inexpugnabilis, aries vel ipso aspectu infestissimus & periculosissimus, procul enim licet compareat, maris procellas & tempestates ciet, & agitat: zygæna non est aspectu fausto nauigantibus, neque prospera illis operatur. de canum differentia suprà diximus.

De castoridibus. CAP. L.

CAstorides animalia marina ad littora & saxa eminentia vlulatum diritatis plenum edunt & grauissime rugiunt: earum sonitum quicunque audierit, non effugiet quin paulò post excedat è vita. Balena è mari eminet & procedit & radijs solis calefit. Vituli marini exeunt quidem de mari nocturno tempore magis, sed & interdiu atque etiam meridie extra mare dormiunt, quod quidem ipsum Homerus in Odyssæa Menelaum facit narrantem Telemacho & Pisistrato, cùm de Pharo & de Protheo marino dæmone, & diuinatione qua Protheus vtebatur, Menelaus narrationem inducit.

De mullo pisce. CAP. LI.

DE mullo superius dixi: quod non dixi nunc dicam

dicam. Eleusinæ sacris initiati icci rco nullo pisci honores habent, vel quòd is ter anno parit, vel quia mortiferum homini leporem exest, planéq; conficit.

Quemadmodũ ex piscibus loligines, hirundines, accipitres volant. CAP. LII.

Volant pisces cum timent & exsiliunt è mari loligines & accipitres marini & hirundo pelagia: loligines auxilio pinnarum longißimum saltum saltant, & sese in sublime attollunt, & gregatim auium more efferuntur, hirundines humiliori & non ita sublimi volatu vtuntur. Accipitres paulò supra summam maris aquam tolli solent vt ad iudicandũ sit difficile natentne, an volitent.

De varia & multiplici piscium natatione. CAPVT LIII.

Vagantur pisces atque errant, alij quidem frequentes similiter atque vel greges pecorum vel ordines militum turmatim euntium, vel acies longior quàm altior, à fronte nimirum ad tergum porrecta, alij ordinibus à fronte ad tergum sigillatim explicatis cum ornatu proficiscuntur, alij cohortium similitudinem speciémque gerunt, nonnulli velut decuriati natant, tum quidam instructis ab vno cornu ad alterum ordinibus natant, sunt qui in cauernis se tenent, ibidémque æuum agitant.

Queadmodũ pinguescũt animalia. CA. LIIII.

Ei pastoriciæ peritos audio cum ad pinguitudinem volunt animalia perducere, cornua eis amput

amputare: ad coitum verò procliuiores hircos cùm efficere student, horum nares & mentum smyrnio perungere, contráque medijs caudis lino alligatis eosdem à vehementi coitus appetitione reprimere. Abortum Aristoteles ait equam facere, si paulò vehementius fumantis funiculi odorem extinctæ lucernæ senserit. Itémque vt ne canes aufugiant, audio eos hac machinatione & solertia retineri, eorum caudam primum arundine quæ butyro sit oblita dimetiuntur, deinde hanc eis ad lambendum concedunt, eo fit vt postea tanquam ligati permaneant.

De silentio canis & asini. CAP. LV.

Vis etiam cani hæc est, vt eum non latret qui mustelæ caudam secum habet, modò cauda abscissa viuam dimittat mustelam. Aiunt etiam asinum si ex eius cauda lapidē appendas nō rudere.

De elephantorū intellectu & quòd sua pericula cognoscunt. CAP. LVI.

Anni æstiui tempore cum calor à sole intenditur, & æstus ingrauescit, tum elephanti ad calorem frangendum inter se crasso perfunduntur cœno, quo partim vim caloris depellant, partim vel vmbrosis speluncis, vel arboribus quæ ramorum frequentia eos opacare poßint, refrigerentur, tum etiam sagacißime odorantur, tum acerrimis sensibus existunt, tum vero ex his, partim antegredientes, partim subsequentes, ordinatim eunt, atque horum

horum primus narium ſagacitate, herbam ante pedes ſuos poſitam ſentiens humanis veſtigijs eſſe tranſitam, eam euellit, & ei, qui à tergo proximus eſt, odorandam tradit: is rurſus alteri, qui poſt eum ſtat: ac deinceps per omnium quaſi manus ſagaciter contrectatur, quoad ad illum ipſum qui extremum agmen ducit peruetum fuerit: is ſimulac olfecerit, barritum vaſtum edens, quaſi ſignum ad fugam dat. Hi tunc in conualles profundas, ac in loca concaua & paluſtria, vel ſi minus id concedatur, in nemoroſa campeſtria, ab eo loco iter auertunt, prorſusque ſe totos auertunt ab his locis, quacunque frequentes homines iter facere ſolent: quod ab hominibus vt animalibus ſibi infeſtiſſimis, timeant. Cum eos cætera pabula defecerint, radices effodiunt, quibus paſcuntur. è quibus primus qui aliquam prædam repererit, regreditur, vt & ſuos gregales aduocet & in prædæ cõmunionẽ deducat.

Quemadmodum in ſumma hyeme ſe piſces tepefaciunt. CAP. LVII.

Hyeme ſumma & teterrima cum mare maximis turbinibus & acerrima tempeſtate furit, tum ad imam maris ſedem piſces adhæreſcunt, horrentes perfrigidam maris tempeſtatem. Itaque ex ipſis ſunt qui arenas pennis exaggerent, & his tecti ſeipſi tepefaciant, alij in ſaxorum anguſtias compulſi atque compreſſi ibi in protectione à frigore libenter quieſcant, alij in pelagi cauernas

t

abditi atque abstrusi summam maris inhorrentem vitent: neque enim in mari imò tam aiunt furentes & inflatas quàm in summo tempestates cieri, & agitari, ineunte vere cùm cœlum serenum est, & dies læti illucent, & herbæ prata conuestiunt, plantæ virere incipiunt, tum pisces maris tranquillitatem sentientes, ad extimum & summum mare efferuntur, vagos & saltatorios agunt motus, & tanquam peregre redeuntes prope à continenti natant.

Ex minima origine in maximã crescunt magnitudinem crocodilus, struthio magna, elephantus. CAP. LVIII.

Hæc tria ex minimis euadunt maxima animalia, ex aquatilibus crocodilus, ex volucribus magna struthio, ex quadrupedibus elephantus. Iuba rex elephantum scribit patri suo fuisse qui multa secula vixisset, nempe qui emanasset & per manus traditus fuisset vsque ab huius alta stirpe: & Ptolomæo Philadelpho Aethiopem elephantum fuisse, qui multas ætates vixisset, vel ex hominum consuetudine, vel institutione mansuetissimum, atque idem ipse ait se vidisse elephantum Seleuci cognomine Nicanoris, qui vsque ad Anthiochorum postremam expugnationem vixisset.

Quemadmodum ad pariendũ pisces enatant in flumina vicina. CAP. LIX.

Pisces

Pisces cùm vicini sunt ad pariendum, ex salsilagine ad flumina lacúsue mari suo propinquos sese incitant, aquam à tempestatibus conquiescentem cupide amplexantes. Etenim aquarum tranquillitas probè affecta est ad excipiendos piscium partus, & conseruandos ex damni contractione, atq; insidiarum cōparatione propter beluarū quietem & paucitatē, cuiuscemodi libertatem & immunitatē flumina & lacus habere solent, atq; ideo Euxinus pontus plurimis piscibus abūdat, quòd nō solitus sit beluas procreare, & sicubi aut vitulos marinos, aut delphinos profert breuissimos, à cæteris autē omnibus beluis maleficis pisces ibidē tuti sunt.

De acu marina. CAP. LX.

Marinæ acus quod sunt pertenues, & minimè tortuosam & sinuosam vterum fœtúmque capacem habent, iccirco suorum filiorum sustinentes incrementum disrumpuntur: non igitur pariunt catulos sed expellunt atque eiiciunt.

Qualia sunt aspidis morsus vestigia. CAP. LXI.

Morsuum vestigia tam perparum apparentia aspis imprimere dicitur, vt indicia vix acri oculorum acie deprehendantur. Cur verò sint tam obscura ignotáq; causam hāc esse audio, ipsius veneni ad trāsmittendū peracutū mirabiliq; celeritate ad intima trāsitionē faciēs. Cùm enim hæc ipsa morsum effecit, venenum non eminet & apparet, sed sub cutem subiens intra meatus bene penitus

ſubeſt, atque ſic ad intima delabitur, vt nihil extet atq; emineat, quare ab Octauianis Cleopatræ mors non facilè oculis comprehenſa eſt, niſi tandem ſerò admodum ex duobus punctis difficilibus ad videndum & comperiendum animaduerſis mortis obſcura ſignificatio deprehenſa eſt, alioqui aſpidis tractus veſtigia manifeſtò apparent his qui hiſtoriam motus horum animalium tenent.

De aſpide quæ in quinquatriis momordit.
CAPVT LXII.

CVm Pompeius Rufus Romæ ædilitiū munus obiret quinquatrijs, vt ſolet in Romano foro fieri, circulator alijs permultis, qui eandem quam is ipſe artem factitarent circunſtantibus ad ſuam ipſius oſtendendam ſapientiam, ſimúlque ex artificio ſuo ſpecimen dandum, aſpidem ad brachium admouet, & ex impreſſo morſu malum exuggit, cùm poſtea non aquam, quam ſibi præparauerat exorbuiſſet, quòd ea eſſet ſubducta, ex inſidijs nimirum vas fuerat euerſum, veneno non exhauſto neque eiecto, ſecundo pòſt die ſine doloris ſenſu cum ſenſim & pedetentim pernicie veneni illapſa eius os cæteráq; mēbra extabuiſſent, vita priuatus eſt.

De coitu animaliū & de piſcibus. CA. LXIII.

VIgente verno tempore, & eflorefcēte terra libidinis ardore beſtiæ terrenæ aquatiles & volatiles flagrant, ex piſcibus alij frequentia oua atque alia ex alijs nexa arenis atterunt, alij

interea cum natant infinitatem quandam ouorum expellunt, atque eijciunt, quorum non pauca à tergo nantes exsorbent. Enimuero mares antecedunt & semen spargunt, fœminæ verò insequentes insaturabiliter hiantes atque eminentes explentur. Iam quòd piscium quidam sic cum fœminis versantur tanquam cum vxoribus, eásq; custodiunt, quòd etiam ex piscium genere aliqui riualitate laborant, atque obtrectatione, antè dixi.

Dulci aqua in mari pisces alũtur. CAP. LXIIII.

A*Ristoteles, & ante hunc Democritus ex hisque Theophrastus dicit non aqua salsa sed dulci pisces qui mare incolunt ali, idémq;, quod propemodum incredibile videtur, ex ipsis operibus confirmare volens quandã potabilem in omni mari aquã esse, id experimẽto docet: nam si quis cõcauum è cera vas tenui opere finxerit, atq; in mare demiserit inane alicunde appensum vt aquã transmittere queat, die ac nocte vna dulciculo & potabili humore completur. Empedocles Agrigẽtinus aliquam etiam ait dulcem nõ omnibus notam in mari aquam esse qua pisces nutriantur, causamque affert cur in salso dulcis sit, quam ex eius scriptis cognosces.*

Cur non edunt sacerdotes mustellum & mullum pisces. CAP. LXV.

M*Vstellum piscem aiunt nunquam sacerdotes edere, non enim quoniam ore parit mundum cibum esse. Quidam non ipsum ore parere fe-*

runt, ſed inſidiarum timore perculſum vt occultet catulos ſuos deuorare, deinde cum nihil ab inſidiarum comparatione timet viuos euomere, itémque mullum nunquam attingunt nec ſacerdotes nec fœmina Argolicæ Iunonis ſacerdos. Cauſas cur ab eo ſe abſtineant, quodam loco antè me dixiſſe memini.

De vipera & murena. CAP. LXVI.

CVm proximum eſt vt vipera complexu venereo iungatur cum murena, venenum vomitione eijcit, atque expellit, vt ſuauis decorúsque ſponſus videatur: poſtea edito ſibilo tanquam Hymeneo quodam ante nuptias miſſo ſponſam appellat, atque vbi mutuam Veneris libidinem inter ſe expleuerunt, hæc quidem ad mare regreditur, illa verò exſorpto veneno, & recollecto ad domeſticam ſedem reuertitur.

ÆL

AELIANI LIBER *decimus historiæ animalium.*

De amore elephantorum. CAPVT I.



Lephantum quamuis rarò amare ferunt, quoniam, vt antè dictum est, libidinum moderatione tēperatus sit, tamen ipse illud admirabile amore plenum audiui, quod consequitur: Vir venandi elephdntos haud imperitus, scribit se, cum ab Imperatore Romano cum potestate in Mauritaniam ad venandos elephantos allegatus esset, ex elephantino genere adolescentem formosam vidisse, coeuntem cum elephanto, & adolescente, & pulchro: alterum verò seniorem, quia huius siue amator siue maritus esset, vt se spretum, ignominiæ loco hoc tulisse: quare acriter animo incitatum impetum fecisse, vt nihil proprius factum fuerit, quā nos, inquit, omnes perderet, sicq; incurrisse in illu formosum riualem suum, pugnámq; edidisse tanquam eum, qui de amica sibi erepta, doloribus acerrimus premitur: adeóque infestis animis vtrunque cum altero pugnam

commisisse, vt ex impetu cornibus ambo mutilarentur. neutrum ideo non vicisse, quòd multa verberatione eos venatores distraxerint. Postea autem quàm amissis armis in posterum inutiles ad conferendam quasi manum inter se facti essent, riualitatem amantium conquieuisse. Trahebatur Paris à Menelao & suffocabatur loro ipsum premente, & traxisset, infinitámque gloriã cœpisset Atrei filius, nisi lorum fuisset ruptum: & nisi filia Iouis & Dionæ Paridem ex pugna turpi & effœminate pugnata rapuisset, qui vt euasit timidius dormiuit cum adulterata Helena.

De piscium coitu de lupo & mullo. CAP. II.

NOn vno eodémque tempore pisces habent libidinem procreandi: verùm alij verno tempore se ad venerem rumpunt, alij æstiuo ad coitum impelluntur, alij autumno amoris flamma conflagrant, complures hyeme venereum complexum expetunt, plurimi vt semel peperere, deinde toto anno à pariendo conquiescunt, lupum anno binos partus edere audio, mullum ter singulis annis ventrem ferre, eius nomen significare aiunt.

De camelis. CAP. III.

HErodotus scribit Camelum in posterioribus cruribus gerere quatuor femora, & totidem genua, & veretrum inter posteriora crura caudam versus spectare.

De

De Arabicis ouibus. CAP. IIII.

PRæditas esse oues Arabiæ caudis insolitis & diuersis ab alio genere ouium Herodotus scribit: earum sanè duo genera ponit: vnum dicit caudas maxima magnitudine habere, vt dimetienti nō tribus breuiores sint cubitis, quæ si trahantur omnino ad terram atteruntur, & exulcerantur. At pastores ad fabrilem artem instituti plostella fabricant, ad quæ ipsa alligatæ caudæ nituntur & sustinentur, quo fit vt à vulneratione defendantur. Alterum caudarum genus dicit esse cubitali latitudine.

De cochleis terrenis. CAP. V.

PErdices & herodios iccirco defugiūt cochleæ quòd eos pernoscunt penitùs hostes sibi esse: nec cernere est limaces ibi serpere, vbi illi ipsi versentur: eos tamen naturali quadam astutia cochleæ quædam præstantiores ariones appellatæ, decipiunt & circunueniūt. Siquidem ex natiuis testis egressæ in magna securitate pascuntur: aues autem quas modo dixi, in testas inanes tanquam in easdem illas inuolant, vt verò nihil inuenerint, eas vt sibi inutiles abijciunt, atque discedunt: illæ verò singulæ exsaturatæ pastu atque ex aberratione qua hostes fefellerunt seruatæ, ita in testas tanquam suam propriam domum reuertuntur.

De cochleis ponticis. CAP. VI.

PErsarum regem cochleæ ponticæ imitantur,

æstiuos dies Susis agentem, hybernos verò Ecbatanis: etenim ad nuncupatam Propontidem calidam hyemant: æstiuum autẽ tempus ad Aegialum agitant, propter molles auras quas mare eis afflat.

De mullorum piscium ventre. CAP. VII.

AVdio peritissimos coquos cũ volunt mullorum interea dum coquuntur ventres non rumpi, osculari ipsorum ora, quo facto integri permanent, vt aiunt.

De natatione delphinorum. CAP. VIII.

DElphinus fœmina similiter atque mulier mammas habet, simul & vberrimo lacte catulos suos lactat: ex ætatum ratione dispositi gregatim natant. Etenim perparuuli etiam nunc ex ætate infirmi in primo ordine locantur: hos natatione proximi sequuntur, qui sunt confirmata ætate. Nam delphinus cum catulorum suorum amantissimum animal est, tum de ijs vehementer metuens, diligenti custodia eos conseruat: ac nimirum sic natant, vt tanquam in militari cuneo alij in prima acie, alij secunda, alij tertia constituantur: natu minimi ante prænatant: pòst verò hos fœminæ sequuntur, deinde mares extremum agmen ducentes, filiorum & vxorum natationem inspiciunt, atque obseruãt. Quid ad hos Nestor bone Homere? quem ais ad instruendas acies principum suæ ætatis præstantissimum fuisse?

περὶ ἐχέως καὶ ἐχίδνης, id est, de vipera. CA. IX.

Ἔχιν ἀπὸ τῆς ἐχίδνης genere, non natura nonnulli differre aiunt: illum marem esse, hanc fœminam. Alij etiam natura differre existimant: & sunt quidem qui dicant, ἀπὸ τοῦ ἔχεως percussum conuulsione affici, non itē ἀπὸ ἐχίδνης. Alij dicunt ἐχίδνης album morsum esse, ἔχεος non eiusmodi, sed liuidum. Nicander dicit, cum morsum inflixit ἔχις, duorum dentium vestigia apparere: cum autem ἔχιδνα leserit, plurium videri.

Quemadmodū mansuefiant elephanti. CA. X.

Quid elephantes, postquā capti sunt faciant, vt mansuescant, dicendum est. Primò in syluam non ita longo interuallo ab ea fossa, vbi comprehensi fuerint, distantem, sic eos strictè constrictos funibus trahunt, vt ne permittāt quidem, néue hi præcurrant, néue rursus retrahantur: deinde certo & dimenso spatio horum quenque ad maximam arborem alligantes, vt neu in anteriorem partem insilire, neu rursus admodum in posteriorem resilire queant, néue ipsis ex funis laxitate facultas sit ad inferendam iniuriā, victus tenuitate & fame, horum robur frangunt. Postea verò quàm eorum domitores duritiā animi tandiu paulatim mollíuerunt, quo ad pristinæ inexpugnabilis feritatis eos ceperit obliuio, de manu cibum sumendum dant. Hi necessitate pressi, cùm non malitiose iam, tum verò hilarioribus oculis, & mansuetioribus, quàm essent

essent soliti, intuentur. Horum autẽ, qui sunt ætate robusti, vinculis ruptis, cùm dentiũ robore, tum verò promuscide arbores reuellunt, & frangunt, vixque sero admodum, partim fame, partim ciborum illecebris, partim verberibus mansuefiunt: vt vero cicures euaserunt, panibus maximis, hordeo, caricis, cœpis, allijs, iunco, palma, hederaceis folijs, vescuntur.

Non omnes pisces muti sunt. CAP. XI.

QVi omnes pisces silentij condemnant, eos & mutos affirmantes ij in eorum natura indocti sunt & rudes, nam ex ijs nonnulli editis sibilis strident & grunniunt, lacerta enim grunnit, & chromis, & aper, sicut tradit Aristoteles. Chalcis sibilat, coccyx similiter atq; auis sua gentilis vnde nomen traxit, vocem emittit.

Quæ pars elephanti esui apta. CAP. XII.

IN elephãto tametsi maxima corporis moles esse videtur, ex eo tamen nihil esculentum est, nisi promuscis & labra & cornuum medullæ. Eius animalis adeps cõtra venenata valet, nam si quis eo inungatur, eiúsue suffimento expietur, hæc ab ipso aufugiunt longißime.

De Arabicorum animalium variis coloribus & de rubri maris ostreis. CAP. XIII.

ARabicorum animaliũ varius color & multiplex omnem picturam longè multúmque superat, neque modò magna animalia & generosa

hac

hac permulta colorum varietate picta, atque ornata sunt, sed etiam ignobilia. Etenim locustæ & serpentes aurei coloris similitudinem speciémque gerunt, tum pisces, præterquam quòd varios ornatus habent, horribiles etiam sunt aspectu & formidolosi, tum maris rubri quod idem est Arabicum mare. Ostrea huius splendoris expertia haudquaquam sunt: imò verò flammeis illustrantur zonis, ea vt diceres varij coloris temperatione ad iridis similitudinem accedere, adeò lineis perpetuo ductu æquè inter se distantibus distinguntur, atq; describuntur.

De margaritis & conchis. CAP. XIIII.

INsano hominũ vel pretio vel sermone celebris est atque illustris margarita, & simul mulierum admirationem habet. Maris fœtura est. Hanc ad partum deduci aiunt, cùm in apertas conchas fulgura affulserint. Bona tempestate & tranquillo mari conchæ huius genitrices capiuntur. Eas posteaquam piscatores comprehenderunt, ab illis margaritam animorum libidinosorum illecebram eximunt, in maxima concha paruam inuenire est: contrà in parua magnam: alia inanis est, alia non plus quàm vnã habet: pleræque adeò multos vniones possident, vt sint qui dicant in concha vna viginti procreatos fuisse. Quòd si quis ante legitimũ pariendi tempus conchas aperuerit, carnem quidem reperiet: huius autem palmam piscationis non assequetur. Humoris ne minimũ quidem in se continet.

Iam

Iam verò qui vendunt aut emunt, earum pulchritudinem & pretium ex candore & magnitudine æstimant: & quidem hanc artem factitantes, plerique ex eis locupletati fuerunt. Nō etiam illud me fugit, auulsis his lapidibus quasi redemptionis præmio persoluto conchas liberas dimitti, iterúmque vniones renasci. Quod si priusquam lapis eximitur huius altrix bestia moriatur, vnà cum carne putrescere & perire dicitur. Suapte natura rotundus & leuis est probéque circunscriptus. Si quem ex eis velis affabrè aliter quàm natus est, expolire, is artificium prodit: non enim cedit, sed asper fit, & se fraudibus atque insidijs ad speciem indicat attentari.

Quemadmodũ Aegyptij accipitrem colunt.

CAPVT XV.

Accipitrem Apollini consecrant Aegyptij & venerātur. Oron sua lingua deum hunc appellant. Auem eiusmodi autem Thaustum nominant. Cum Apolline iccirco conuenientiam habere aiunt, quòd de auibus soli accipitres semper nullo negotio aduersos solis radios intuentur, neque intentis oculis sursum versus iter suscipere grauantur, nec diuina flamma offenduntur, ijdem ipsi serpentibus & venenatis bestijs inimicissimi sunt, nec enim ipsos serpens, nec scorpius vlláue alia mala bestia latere potest. Nullas fruges exedunt & conficiunt, sed & carnes vorant & sanguinē exsorbent

ſorbent, iiſdémque ſuos alunt pullos: ad libidinẽ ſunt inflammatiſsimi: os illorũ ſi ad aurum admoueatur, ſic ipſum illecebra quadam mirabili ad ſe allicit, quemadmodũ heracleotem lapidẽ ſua vi prædicant quaſi præſtigijs & captionibus ferrũ ad ſe attrahere. Aegyptij dicunt ad ſeptingentos annos viuere accipitrẽ, ſed me non perſuadẽt: veruntamẽ quæ audio dico. Et videtur Homerus accipitrẽ eſſe amicũ filio Iouis & latonæ ſignificare, cum dicit, Ibat per Idæos montes accipitri veloci ſimilis Apollo.

Pilularius ſcarabeus caret fœmina. CA. XVI.

IN ſuo genere ſcarabeorum natio fœminei ſexus quòd ſit expers, ideo in fimi pilam ſemẽ emittit, quam octo & viginti dierum ſpatio & volutat & calefacit, deinde fœtum procreat. Aegyptiorum porrò bellatores ſcarabeum in digitis inſculptum habere ſolebant, ex eo adumbrante nimirum legiſlatore, ſolos omnino mares pro patria bellum gerere oportere.

Quemadmodũ ſuillum pecus voraciſsimum, itẽ de ciconia, vulpãſere, vpupa. CA. XVII.

SVillum pecus tantopere explendo abdomini deditum eſt, vt ne proprijs quidem ſuis fœtibus parcat, neque helluationem ſuam ab humano corpore abſtineat. Quæ cauſa eſt, cur huiuſcemodi animal vt impurum, deteſtabile, & voraciſsimum apud Aegyptios in ſummo odio habeatur: contrà autem mitiores beſtiæ naturæ

miſeric

misericordis & piæ participes præcipuo quodam honore à prudentibus viris solitæ sunt affici. Ciconiæ enim apud Aegyptios eò venerationẽ habent, quòd senectute affectos parentes alunt, iidémque psi iccirco vulpanseribus & vpupis honorem habent, quia illi quidem sint pullorum suorum amantes, hæ autem aduersum parentes existimãtur piæ. Manethonem porrò Aegyptium summa sapientia virum, audio dicere, eum qui suillo lacte vescatur, vitiliginibus & lepra oppletum iri, quos quidem morbos Asiani omnes pessimè oderunt. Aegyptij verò, quibus persuasissimum est, sues Soli & Lunæ inimicissimos esse, semel tantùm cùm festos dies agitant, eos lunæ singulos annos, aliàs verò nunquã nec huic ipsi nec cuipiam alij deorum sacrificant, idque propterea faciunt, quia execrandos & detestabiles ducunt. Athenienses in mysterijs iure optimo sues immolant, propter pernitiem quam segetibus moliuntur, nam ex spicis sæpe alias ex inanitis, alias quæ nondum ad maturitatem peruenerunt vastant, alias effodiunt. Eudoxus ideo inquit Aegyptios ab immolandis suibus se sustinere, quòd posteaquam sementem fecerunt, eorum greges ad proterendam & conculcandam frumentorum sationem, atque depellendam detrudendamque in altiorem terram & humidiorem inducere soleant, vt ne ab auibus, hac quasi occasione terra obducta semina exhauriantur.

Quemad

Quemadmodum consuetam terram amant elephanti. CAP. XVIII.

ABstracti à suis elephãti edibus patriis, quãuis vinculis primum & fame, deinde variis cibariorum blandimentis mansuefacti sint, tanta tamen naturalis soli illecebra tenentur, vt patriæ memoria eis obscurari & euanescere nequeat: quare cum horum plerique grauissimo mœrore suscepto conficiuntur: tum vero quidam ex his, vberrimè flentes, tantam lachrymarum vim profundunt, vt oculorum sensibus capiantur, in naueis autem immittuntur, ponte vtrinque ramis frondescentibus adumbrato, ad fallenda huiuscemodi animalia, hoc enim ipsum cum vident, se per terram (quia hoc eis mare videndi facultatem adimat) etiam nunc iter facere arbitrantur.

Quemadmodũ vtrunque æquinoctium significat arietis cubitus. CAP. XIX.

ARies sex hybernos menses in læuum latus iacens quietem capit, contráque ab æquinoctio verno in dextrum incumbens somnum accipit, ad vtrunque igitur æquinoctium ipsam aries mutat cubandi rationem.

De pagris & mæotis piscibus Nili. CAP. XX.

AEgyptii Syenitæ sacros pisces pagros ducunt, atque Elephantinem sic nuncupatam incolentes eadem existimatione mæotas pisces ornant. Causa verò cur huiuscemodi pisciũ vtrunq; genus

hanc apud eos populos venerationem habeat, & magnam religionem possideat, ex eo profecta est, quod aduentantem Nilum hi præcurrentes futuram aquam prænuntiant, & mirifica quadam vi eius accessionem præsentientes sua antecessione suspensas Aegyptiorum mentes optima spe recreant, iccirco etiam eo honore afficiunt, quia in eo permanent, nullum vt sui generis comedant.

De conchis maris rubri. CAP. XXI.

IN mari rubro quædam conchæ nascuntur, quæ testas non leues, sed concauas & securis plenas habent: eædémque extremas partes acutas habent & coëuntes inter se, sic alterno incursu coniunguntur, vt tanquam duarum serrarum coeuntium dentes videantur inter se conuenire. Vnde fit vt si piscatoris natantis quamcunque partem etiam si sub eam os subest, mordicus apprehenderint, amputent.

Quemadmodum erga crocodilos Aegyptij sunt affecti. CAP. XXII.

CRocodilorum colentes Ombitæ Aegyptij populi sic hos dierum celebratione dignantur, quemadmodum magnificẽtissima celebramus olym piæ certamina, crocodilis suos liberos rapi mirificè gaudent, & matres ex eo magnam lætitiam voluptatémque capiunt, & simul magnificè, & amplè de se sentiunt, quæ nimirum deo cibaria pepererint: contrà Apollonopolitæ, qui sunt ex præfectura Tentyrite appellata, comprehensos suspendunt sublimes

limes ex arbore persea peculiari illi loco, atque eos primùm flebiliter gementes permulta verberatione affligunt: deinde ijs concisis vescuntur. Crocodili sexaginta dies ventrem ferunt, sexaginta oua totidem diebus ex sese pariunt, totidémque dies hæc fouent. Sexaginta vertebras in spina habent, quam totidem neruis alligatam esse ferunt. Curatio partus ab ijsdem sexaginta diebus peragitur. Annos viuunt sexaginta: totidem dentes possident: totidem quotannis dies sine vllo cibo in latibulis quiescunt. Iam crocodili qui in paludibus manu Ombitarum factis nutriuntur, eis domestici & vernaculi sunt, & se appellantes intelligunt: capita idcirco hostiarum eis edenda obijciunt, quòd ea ipsa non comedunt. Apollonopolitæ eiusmodi bestiam odere, quòd dicant Typhonem eius formam induisse: alij non ob eam causam, sed quòd Psammyti regis iustissimi viri filiam crocodilus rapuerit, eius cladis recordatione suos posteros vniuersam eorum nationem odisse.

De vulturibus. CAP. XXIII.

BArceigens Hesperia ex aliquo morbo mortuos vt muliebriter atque ignauiter defunctos ad notandã mortis ignominiã igni cremant: eos verò qui in bello morte occubuerũt, vt summa virtute ornatos vulturibus deuorãdos obijciũt, quòd eas aues sacras existimẽt. Romulus in Palatino colle ex duodecim vulturibus optima auguria egit: nã ex auium

numero commutatione in duodecim homines facta, principes totidem Romanos quot aues perspexisset virgis antecedere iussit. Eiusmodi volucres Iunoni sacras Aegyptij ducunt, atque earum pennis Isidis caput & vestibulorum fastigia ornant. Antè de hac aue multa alia dixi.

De capris feris. CAP. XXIIII.

IN Copto Aegyptij vrbe & magna conficiendorum aliorum sacrorum religione Isim Aegyptij colunt, & verò eodem cultu hanc ipsam venerantur coniuges; quo aut liberi à lugentibus afficiuntur: vbi Isis hanc religionem possidet, ibi acerrimi ad pestiferum vulnus inferendum scorpij maximi versantur, qui vt percusserunt statim interficiunt, ad quorum vitationem omne cautionis genus Aegyptij adhibent, sexcenta machimamenta moliuntur, veruntamen lugentes ad Isidis fanũ capræ feræ ex omnibus tegumentis nudæ inter scorpios humi iacentes ab horum acerbitate integræ incolumésque permanent, ex quo fit, vt Coptitæ eius caprini generis fœminas ad diuinitatem & religionem consecrent, & religiosissimè colant, easdémq; Isidi in amore & delitijs esse existiment: contrà autem mares immolent.

De crocodilis & accipitribus. CAP. XXV

CRocodilus natura timidus, improbus, malitiosus, fallax cùm ad rapinas faciendas, tum ad comparandas insidias acerrimus & promptissimus

existit, omnem strepitum perhorrescit, humanam vocem contentiorem extimescit. Eos à quibus paulò confidétius inuaditur reformidat. Teteryntæ sic nuncupati Aegyptij qua ex parte cōprehensibilis atque expugnabilis sit præclare intelligunt. Etenim eius oculos quòd sint hebetes planè sciunt peropportunos esse ad vulnus accipiendū, atque etiam eiusdē ventrem, quia molli & tenui sit cute, iccirco commode feriri posse: cōtrà verò tergum & caudā ab omni ictu inuicta ideo existere quòd tecta sint & quasi armata squammarum & corticū robore tēstis crustísue haud dißimilium. Ij igitur, quos antè dixi populi, eos comprehendere soliti tam valde ijs ipsis inimico infensoq; animo sunt, vt illic fluuius à crocodilis tantopere conquiescat & liber sit, vt fidenter ibidem natatio exerceri queat, non item in Ombitis, vel Coptitis, vel Arsinoitis tutum est aut pedes lauare, aut aquā haurire, sed neq; in ripis inambulare, nisi summa cautione liberum est. Iam accipitrem Teteryntæ sanctißime colunt: contrà eos Coptitæ vt crocodilorum hostes odio adducti sæpe in crucem agunt. Porrò hi ob similitudinē quam cum aqua crocodilis esse affirmant, hos diuino honore afficiunt, illi autem accipitres adorant, propter comparationem quam cū igne ijs esse asserunt, atq; huius rei testimonium afferunt, quòd similiter hi atq; ignis veloces & violenti sint, tum etiam aquam simul cum igne existere non posse asserunt.

De cynocephalis. CAP. XXVI.

Post vastam Aegypti solitudinem quam septẽ diebus transiri ferunt, secundum viam quæ ad Aethiopiam pertinet cynoprosopi homines habitantes ex venatu dorcadum & bubalorũ viuunt, nigro aspectu, capite & dentibus caninis præditi sunt. Quæ eorum similitudo cum canibus effecit, vt hic ipsorum mentionem interposuerim, vocis quidem expertes sunt, sed strident acutè, infra barbam mentum possident, sic promissum vt serpentiũ simile id esse videatur, eorum manus robustis vnguibus & acutis armantur, similitérq; toto pectore vt canes hirsuti habentur, atque etiam pedum celeritate valent.

De lupis. CAP. XXVII.

Lupi collum in eas breuitatis angustias cõpulsum atque vehementer cõpressum est, vt con torqueri, retróque versari non queat, etsi retro velit aspicere, totum corporis truncum retorqueat necesse est, acerrimis atque acutissimis præditus est oculis, enimuero intempesta nocte, vel luna ipsa silente lucis vsura perfruitur. Et tametsi omnibus tenebræ offunduntur, non huic tamen lux eripitur. Hinc lycophos id temporis appellatur cùm lucem is solus naturæ munere oculis percẽptã habet. Et verè Homerus mihi vocare videtur id tempus, cùm iam tunc cernẽs lupus se in viã dat ἀμφιλύκην νύκτα; iam lycobanta iccirco annum nominari existimant,

quod

quòd erga lupum sol amorem habeat, tum etiam eo Apollinem delectari aiunt, quia hic ex Latona in lupæ speciem similitudinémque conuersa editus in lucem & susceptus fuisse feratur. Cuius sanè rei Homerus meminit, cùm Apollinem nominat Lycegenen: eámque ob rem lupi simulachrum in Delphico templo ad designandum partum Latonæ ex ære excitatum esse arbitror: alij non id propterea ibidem positum esse dicunt, sed donaria ex templo cùm expilata direptáque fuissent, eadémque à sacrilegis defossa lupus indicauit, cùm intra teplum ingressus prophetarum quempiam sacrā illius vestem mordicus comprehendens traxit ad locū vsq; in quem donaria occultata fuissent, deinde anterioribus pedibus eum ipsum locum effodit.

Cur vaccas Veneri cõsecrāt Aegyptij. c. XXVIII.

IN Aegypti vico Scussa nuncupato non magno quidē, sed certe elegāti qui in Hermopolitæ præfecturā censetur, Venerē religiose & sanctissime colunt, quā Vraniā appellant: atq; vaccam etiā ideo venerātur, quia affinitatē & conuenientiā cū dea ipsa habere existimetur. Etenim huiuscemodi bestia tantopere ad venerē incitata est, vt cū maris mugitum audit ad coitū vehemētissime exardescat: atq; adeò sicuti harū rerū experiētes cõfirmant, taurū à triginta stadijs ipso mugitu amatoriā significationē quasi tesserā Veneris dantē exaudiat, itemq; Isim bubulis cornibus Aegyptij & fingūt & pingūt.

Quemadmodum asinum, & orygem Aegyptij oderunt. CAP. XXIX.

Busiritæ, Abydus, Lycopolis iccirco tubæ sonitum ab auditione sua detestantur, atque execrantur, quòd ab asino rudente eius clangor dissimilitudinem non habet, & simul eis qui Serapidis religionem obseruant, odio est asinus atque acerbitati, cuius rei nō ignarus Ochus Perses Apim quidem interfecit, asinum autem & consecrauit & sanctißima religione coli iußit, Aegyptios ut molestia afficeret: sed is sanè tanti sceleris sacro boui persoluit pœnas nec iniustas neque minus graueis quàm Cambyses dedisset, qui primus bello sacrilego religionibus indicto eiusmodi impietatem commiserat. Et verò etiam quos modò cōmemoraui Serapidem colentes, ex eo orygem male oderunt, quòd ad solis exortum conuersus, sicut Aegyptij ferunt, aluum deijciat. Et Pithagorei de animalibus solum asinum afferunt ad harmoniā non factum esse, proinde absurdam bestiam nullo sensu ad lyræ sonum affici. Geminos asinam ex sese peperisse non facile quenquam meminisse ferunt.

De ibe. CAP. XXX.

Illam ibidis etiam vim de Aegyptiorum libris accepi: ibim nimirum cum in pennas quæ sub pectus existunt, collum & caput abdiderit, cordis figuram exprimere: eandem Aegyptij ferunt ore coire & parere, veruntamen ea de re mihi non facile persuad

perſuadent,qui Tarichea beſtijs præſunt. Ibidis inteſtinum ſex & nonaginta cubitorum eſſe affirmant,quod idem in Lunæ defectione comprimitur, iccircóque orationis parenti Mercurio eiuſcemodi auem aiunt in amore eſſe, quia orationis ſpeciem ſimilitudinémque gerat: namque eius nigræ pennæ cum tacito & nondum emiſſo ſermone comparari queunt, candidæ needum prolatæ orationi intimorũ ſenſuum enũciatrici poſſunt conferri. Apion eam ait longiſſimæ vitæ atque in eam Hermopolis ſacerdotes citat ſibi ſane immortalẽ ibim oſtendiſſe: quod quidem ipſum huic non minus procul à vero abeſſe videtur, quàm ab omni ratione abhorrere exiſtimo. Quòd autem calidiſſima ſit natura, propterea vel peſſimarum rerum conficientiſſima vorago eſt, ſiquidem ſerpentes & ſcorpios exeſt & conficit, atque ex his partim facile & calore quo permulto abundat,exterit, & concoquit, partim nullo negotio excrementa excernit, atque expellit, ægritudine perrarò afficitur,in quidlibet vel ſordidiſſimum immittit roſtrum,vt quippiam illic inquirat, ex inquiſitione tamen cibi cum ſe quieti tradit, cubile lauat & purgat,in palmis ad euitandos feles nidificat: non enim facile in palma ob eminentem & cutellatum trunci corticem ij ſæpe repulſi & reiecti ſurſum correpere poſſunt. Iam porrò ſi pennis ibidis crocodilus contingatur, immobilis redditur.

De cynocephalis. CAP. XXXI.

DE cynocephalis mihi etiam illa veniunt in mentem explicare. Si esculenta testaceis inuolucris circunuestita reperiant, cuiuscemodi sunt amygdala, glandes, nuces excernunt, præclare intelligentes intima quidem esculenta esse, extima vero reijci oportere: vini item potione vesci nõ recusant, atque etiam carnibus vel elixis vel assis exsaturantur, & his quidem recte & suauiter apparatu magna delectatione afficiuntur: cõtra ex non accuratè elixis valde offenduntur. Veste indui mirificè gaudent, ac si eorum catulos etiam nunc perparuulos ad mulieris vbera admoueas tanquam pueruli lac exugunt.

De aspide, quam Aegyptij Thermuthin nominant. CAP. XXXII.

THermuthin Aegyptij aspidem appellantes & sacram esse aiunt & summa religione colunt. Itaque ea Isidis simulacra tanquam regio quodam diademate coronant, eandem etiam ferunt non in pernitiem proborum hominum natam esse, imò verò comminiscuntur eam se ab ijs abstinere, contrà autem improbis necem afferre, ijdémque addunt Isidem in sceleratos aspidem immittere, ijdémque inquiunt sexdecim ætates viuere, atque in sacris ædibus ad vnumquẽq; angulum subterranea sacella exædificant, vbi sanè aspidi habitãti bubulis adipem edendũ interuallis quibusdã obijciunt.

De

De spino seu ligurio appellato. CA. XXXIII.

AD notionem auium periti spinum auem dicunt ex spinis ubi uiuit nomẽ traxisse. Hæc cum non sit à musis auersa, splendidè canora est. Quòd si sicut Aristoteles ait, spini & ægitali sanguinem in eodem uase permisceas & simul temperes, non coire nec commisceri. Hunc sacrum esse aiunt genijs qui præsunt hominibus itinera ingredientibus.

De turture. CAP. XXXIIII.

CAstam esse turturem, & nulli admisceri, nisi ei cui à principio: nunquámque alienum lectum attingere suprà dixi. Qui accuratè tenent uim & naturam turturum, auditum est, albas sæpe apparere, easdémq; cum Veneri & Cereri, tum uerò Parcis & Furijs sacras esse.

De hirundinibus. CAP. XXXV.

APparent aliquando, sicut dicit Alexander Myndius, albæ hirundines: nam in Pyrrhi pueri tabernaculo nidificans hirundo, rerum actiones quas susciperet non bene & feliciter euenturas esse significauit: & item Anthioco altera nidum in huius tectis cõstruens, quæ ei malè casura essent prænuntiauit: contra enim Medos profectus non reuersus est ad suos, sed rebus malè gestis de loco quopiam se præcipitem deiecit. Dionysio priori arcem relinquenti nidificantes ibidem reditum præmonstrarunt. Hirundinum genus dijs penatibus &

Veneri quæ ipsa quoque è numero penatium est, charum esse dicitur.

De perdicibus. CAP. XXXVI.

INcubantium perdicũ latebræ fruticibus aliisue densis præfulciuntur, atque præmuniuntur, vt ab ouis hymber, quiuisue alius humor prohibeatur. Hæc enim si madefiant, nisi rediens mater rursus fouerit, irrita celeriter atque sterilia fiunt, quindecim oua sæpe ex sese pariũt. Paphlagones duplex cor habere Theophrastus quodam loco testatur, Ioui & Latonæ sacri esse dicuntur.

De cycnis. CAP. XXXVII.

DIxi antè de cycnis: dicam nunc quæ nondum dixi. In mari Aphrico Aristoteles ait cycnorum gregem sæpe apparere, & à præternauigantibus exaudiri cantum tanquam ex choro quodam consonanti suauem quidem at lugubrem, & velut ad misericordiam inclinantem, & quosdam cycnos mori cantantes dicit visos fuisse fontes, lacus, paludes, aliáue loca aquis redundantia incolere solent, vbi earum rerum periti dicunt eos musicas rationes exercere.

De noctua. CAP. XXXVIII.

ACcedenti ad seriam quampiam actionem homini occurrẽtem noctuam inauspicatam significationem dare aiunt. Cui quidem rei testimonio fuit Pyrrhus Epirotarum rex, cùm in Argos Pyrrhi proficiscentis hasta quam erectam ferebat, hæc

hæc auis sedisset, ei malum auspicium dedit: nam Argos ingressus, valde ingloria atque ignobili morte occubuit. Quare mihi Homerus præclarè intellexisse videtur, auem hanc mali auspicij esse cùm Diomedi ad castra Troianorum exploranda proficiscenti Mineruam facit auspicatò mittentem herodium non noctuam, etsi Mineruæ amica sit noctua.

De polypo & noctua. CAP. XXXIX.

TAm vehementer polypum locusta extimescit, vt siquando vno & eodem reti ambo comprehenduntur, hæc continuò moriatur. In Thurijs fluuius Lusias appellatus tametsi perlucidos liquores habet, nigerrimos tamen pisces procreat.

De vite appellata pardali. CAP. XL.

VItem pardalim sic appellari dicunt quæ vim peculiarem præter cæteras habet, & ipsam audio acinos non habere, quæ si inspecta fuerit à mulieribus, eas conijcit in morbum repentinum.

De asini cornibus Stygis aquam continentibus. CAPVT XLI.

IN Scythia asini cornibus præditi nascũtur, quorum cornua Arcadiæ fluminis Stygis aquã continent, quæ transmittit cætera vasa omnia, etiamsi sint ex ferro. Hæc cornua à Sopatro apportata fuisse aiunt Alexandro Macedoni, & illum audio admiratum misisse Delphos vt dedicarentur Pythio cum hac inscriptione, Tibi hoc cornu Alexander

dedic

dedicauit Apollo, asini Scythi figuram felicis, quod Stigis inuicti aqua non domatum fuit, sed tulit aquæ robur. Ceres hanc aquam emisit prope Feneum. causam dixi alibi.

De cane Eupolidis comici. CAP. XLII.

E*Vpolidi poetæ comico Augeas Eleusinius munere donauit canem, non modo genere Moloticum, sed etiam forma præstantem, quem eodem nomine Eupolis, quo Augeas erat, appellauit. Canis iam nomine Augeas, cùm longa consuetudine, tum verò ciborum illecebris allectus, & blanditijs, diligebat dominũ, vt præclare ostendit, cùm aliquando seruus nomine Ephialtes dramata quædam Eupolidis domini sui surriperet, tum non latuit canem furax seruus. Is itaque acerrimo impetu, crudeliq; incurrit in hunc direptorem, mordicùsque comprehendens interfecit. Post autem aliquanto in Aegina Eupolis excessit è vita, ibique eius corpus ad sepulturam datũ fuit. Huius verò canis morti illius ingemiscens, non tantùm vlulatu primò illius excessum è vita luxit, sed deinde mœrore inediáque extabuit, in odiúmque vitæ adductus ex altoris sui morte, extinctus est. Ex eo locus hic, ad huius casus memoriam conseruandam, canis luctus appellatur.*

De formica laërte nuncupata, & eiusdẽ nominis vespis. CAP. XLIII.

M*Ortiferum genus quoddam formicarũ esse dicitur, quæ laërtæ nuncupatur, eodem nomine*

mine vespas quasdam appellarit. hæc ait Telephus Cretensis ex Mysio Pergamo profectus.

De piscibus Nili. CAP. XLIIII.

MAximis æstatis caloribus cum in Aegyptiorum agros Nilus redundat & dilabitur, atque explicatus marini æquoris speciem similitudinémq; gerit, tum Aegyptij ibi piscantur, vbi antea arationes essent, & nauibus ad fluuij accessionem accommodatis nauigant: postea vero quàm Nilus redit ad se, atque ad pristinam modi rationẽ à natura sibi attributam pisces à parẽtis fluuij decessu deserti ad breuia limosa adhærescunt, atque agricolis ad prædam relinquuntur. Quamobrem huiuscemodi alluuio Aegyptijs piscium messis quodam modo dici potest.

Cicadarum nomina. CAP. XLV.

CIcadarum genus multiplex à peritis harum rerum & collectum, & nominatum est, vnum appellatur ex colore cinereum: alterum mem brax, quod quidem nomẽ nescio cur huic generi impositum sit: aliud argutum, aliud cercopam, aliud achanthiam nuncupant. tot cicadarum genera me audisse memini. Cui plura veniũt in mentẽ explicet.

De natura canis & quare ipsum venerantur.
Aegyptij. CAP. XLVI.

HAec etiam de natura canum accepi: catulos nasci cæcos, à partuque tredecim primis diebus ita oculis affectos esse: postea tamen acerrimo

ocul

oculorum sensu esse. Eos Ægyptij venerantur, ex eóque legem quampiam vocitarunt. Cur id faciant duplicem causam afferunt: alteram, quòd cùm Isis vsquequaque Osyrim quæreret, canes præcurrentes, partim vnà cum ipsa puerum inuestigare conarentur, partim feras reprimerent. Alterā, quòd cùm stella canis (quem Orionis fuisse fama celebratum est) exoritur, tum cùm ipso pariter Nilus sese attollens irrigationem in terram Ægyptum inuehit, in agrósque redundat. quamobrem canem vt fertilis aquæ conciliatorem Ægyptij venerantur.

De oxyryncho Nili pisce. CA. XLVII.

O*Xyrynchus Nili alumnus, ex acumine rostri nomen trahens, illic venerationem & religionem habet, vt piscatores valde timeant, nequando is piscis apud eos sacer, & magna religione præditus hamo traijciatur: quem si fortè hamo ceperint, nunquam tamen edere audent, atque cum pisces retibus comprehenduntur, diligenter etiam atq; etiā perscrutantur, nunquid horū piscium vnà cū alijs imprudētes ceperint. Malunt enim nihil piscium accipere, quàm hoc retēto maximū pisciū numerū assequi. Dicūt Nili accolæ hunc piscē ex Osiris vulneribus factū esse. Osirim autē esse Nilum.*

Queādmodū ichneumo vtriusq; sexus est particeps, & aspidi & crocodilo hostis. CA. XLVIII.

I*Chneumoni vtriusque sexus participi à natura tributum est, vt & suo semine grauiditatē & partum*

partum afferat, & ipse quoque ventrem ferat, & ex sese pariat. Qui in pugna quam inter se pugnãt victi fuerint, ea bellicæ offensionis nota inuruntur, vt & in viliorem sexum censeantur, & muliebria patiantur: contrà, ij qui ex bello superiores euaserunt, victos subigunt, & simul suo semine implent: at victi ex ea malè à se pugnata pugna, hoc præmio afficiuntur, vt & partus dolores sufferãt, & ex patribus qui iam antè fuissent, matres reddantur. Cum homini infestißimis bestijs aspide & crocodilo inimicitias gerunt. Latonæ & Lucinæ sacri esse existimãtur. Apud Aegyptios Heracleopolitas venerationẽ & religionẽ poßidere ferũtur.

Quemadmodum dracones gratiam referre nouerunt. CAP. XLIX.

LYcaoni Emathiæ regi nomine Macedo filius fuit, ex quo postea antiquo nomine obsoleto nominata regio est, ex hoc quoque Pindus (id enim ei nomen erat) filius procreatus, cùm robore animi, atque virtutis indole præditus fuit, tum forma etiã excellens, ex illo item alij liberi nati improbo animo affecti, & corpore minus strenui, cùm Pindo & virtutem & cæteras illius dotes inuiderent, non modò illum oppresserunt, verumetiam pœnas tanti maleficij pendentes, se ipsos funditus perdiderunt. Pindus sentiens se fratrũ inuidia ardere, atq; ab ijs insidias sibi comparari, regno, quod à patre acceperat relicto, cùm robustus esset, & ad venãdi

studium propensus non solum quidem vertit, sed certe illic ibidem æuum in venando agitans, cùm semel hinnulos, insequeretur, & summa viriũ contentione equum incitasset, ab eis qui secum venabantur se longissimè abduxit: hinnuli verò altissimam cauernam subeuntes ex insectantis conspectu se eripuerunt, atque ex periculo se seruarunt. Is ex equo desiliens cum hunc ad proximam arborem alligasset, cúmque vt diligentissimè potuit latebram illam manibus perscrutãs hinnulos exquireret, sibi denuntiantem vocem exaudiuit, ne hinnulos tangeret: quare vbi diu multúmque circunspexisset, nec quicquam videret, vocem vt ex maiore quadam causa redditam extimuit, & simul in equum ascendens ex eo loco discessit. Postero autem die ad eundem locum reuertitur, non eò tamen quò illi se abdidissent, ingreditur, vocis memoria, quam auribus acceperat deterritus. Cùm igitur dubitaret quísnam pridie se ab insectanda præda auertisset, ac vt par erat, circunspectaret aut montanos pastores, aut venatores, interea ei inusitata magnitudine draco apparet ex maxima parte corporis adrepens, collúmque, & caput paululum attollens, & ad se velut intendens. Collum autem cum capite erat ea proceritate, vt vel cum procerrimo homine exæquari potuisset, verùm vt eius conspectus Pindum exterruerit, certe nõ in fugam impulit. Nam is sese ex maximo terrore colligens sapienter bestiam circunuenit

cunuenit, nam ex auibus quas immolabat ei edendum obijcit & tanquam hospitalem mensam & redemptionis suæ præmium apposuit. Is sanè velut donis delinitus, & captionibus, vt ita dicam, præstrictus ex eo loco excessit: quod quidem ipsum ita iucundum Pindo fuit, vt ea quæ vel ex venationibus montanis vel ex aucupio capere posset vt draconi non ingratus adeptæ salutis mercedem afferret, neque tamen sine fructu has ei donationes ex præda constituit, nam fortuna ei prosperè ire cœpit: omnium enim quæ venaretur secunda venatione fungebatur, siue terrena, siue volucria persequeretur, quare gloria magna apud omnes erat, quòd contra feras congrederetur, & eas expeditè caperet. Erat ea proceritate vt corporis mole perterrefaceret, tum verò firma corporis constitutione, tum pulcherrimi oris habitu fœminas ad se amandum vt vehementer inflammaret: & sanè cælibes omnes quasi furentes, atque bacchantes ad eius venationes proficiscerentur, & nuptijs alligatæ à maritorum custodijs asseruatæ mallent cum illo concumbere, quàm in numerum dearum referri. Plerique hominum eum quod ipsius virtus & forma suam omnium admirationem excitaret diligebant, soli fratres infenso, atque inimico animo in illum erant, quamobrem eum ipsum aliquando solum venantem ex insidijs

aggrediuntur, atque in propinqui fluminis angustias compulsum, auxilióque destitutum strictis gladijs appetunt, atq; adeò trucidant. Hunc exclamantem cum draco ipsius amicus exaudijsset (etenim est animal sensu audiendi cùm acerrimo, tum videndi acutissimo) prodijt ex suo cubili & simul impios circumplicans suffocauit, & cæsum summa diligentia tandiu custodire non destitit, dum cognatione defuncto proximi desiderio permoti ad illũ humi iacentem venissent. Hi propius facti, etsi iusto in luctu & squalore essent, sepultura tamen & iustis exequiarum interfectum custodis metu afficere prohibebantur: veruntamen hic recõdita quadam, ac mirabili natura intelligens se illos arcere de præsidio, statione que cadaueris, discessit, quo commodius nulla interpellatione supremam gratiam à propinquis assequeretur. Magnificè igitur & splendide honore sepulturæ ornatus fuit, atque etiam fluuius factæ occisioni proximus ex mortuo nomen traxit. Bestijs igitur peculiare est, à quibus beneficium acceperint, eis gratiam referre.

Locus Clarius Apollini consecratus, non aditur à venenatis animalibus. CA. L.

HOc etiam peculiare loco Clario, vbi filiũ Iouis & Latonæ venerantur Clarij & tota Græcia. Hic locus inuius inimicissimúsque est feris venenatis. Dei prouidentia omnes feræ horrent Apollinem, vt qui seruare sciat & qui seruatorem

rem & morborum depulsorem genuerit, Aesculapium. Nicander eorum quæ dico testis est, cum ait, Non viperæ, non phalangia, non scorpius altum vulnus inferens in Clarijs nemoribus versantur, postquam Apollo illic vallē profundam carminibus dedicauit, occultato malo fundamento & procul positis venenatis animalibus.

Quo modo asylla sunt in Erycino tēplo Veneris, & vt victimæ vltro illuc accedunt.

CAPVT LI.

IN Eryce, vbi est Veneris templum celebre, cuius suprà mentionem feci, cùm de columbis Erycinis dixi, audio esse permultum aurum & plurimum argentum, & monilia & annulos valde pretiosos sacrosancta intactáque deæ Veneris metu semper antea fuisse, item audio Amilcarem Afrum deprædatum illa fuisse, & in argentum & aurum factum conuertisse, deinde ex his sceleratum stipendium exercitui distribuisse, & pro his ipsum grauissimè verberibus cæsum fuisse, & cruci affixum pependisse, acerbissimáque morte affectum fuisse, patriámque Amilcaris antea felicem, & beatam existimatam breui tempore importatis sacris rebus seruam fuisse: quæ etsi grauia, tamen meo proposito non opportuna, quòd verò est meis rationibus affine hoc dicetur iam. Totum annum & totum diem sacrificant Veneri Erycinæ nō modò indigenæ, sed etiā externi, & quāuis multis oblatis sacri-

ficijs altare maximum quod sub dio est, totos dies vsque ad noctes incendio lucet, tamen neque carbones, neque cineres, neque torrium semiustorum reliquias ostendit, imò verò rore plenum est, & recenti herba quæ renascitur singulis noctibus, victimæ ex vnoquoque grege sua sponteilluc accedunt, & altari præsto sunt. Agit ipsas primùm dea, deinde vis & sacrificantis voluntas. Si sacrificare ouem velis, ecce tibi ad altare præsto est ouis, & lotione facta sacrifica siue capram siue hœdum. Quòd si viriliore animo sis præditus, & vaccam sacrificare studeas, etiam si plureis velis, aderunt, neque tamen pastor pro his pretium aut mulctam abs te repetet, neque tu propterea pastorem molestia affeceris. Iustam enim actionem dea intuetur, & tu bono animo affectus ipsam propitiam habebis. Quòd si velis victimam tibi necessariam emere, interea dum pecuniam depromis animal abit & sacrificare non potes.

AELIANI LIBER *undecimus historiæ animalium.*

De cycnis venientibus à montibus Riphæis ad Apollinis tēplum apud Hyperboreos.

CAPVT 1.



OMINVM Hyperboreorum genus, & honores qui illic fiunt Apollini cantant poetæ, & historici celebrant, inter quos est Hecatæus non Milesius, sed Abderita. Quæ autem dicit, multa & grauia, alia non mihi expedire videtur nunc narrare, itaque in aliud tempus illa differam, cùm singula illa dicere mihi & iucundius & auditoribus vtilius erit, nunc dicam duntaxat de sacris Apollinis, Boreæ & Chiones filij tres numero fratres natura, longi sex pedes, cùm sacrificia solita tempore solito faciunt, ex Riphæis montibus deuolant infiniti greges cycnorum, qui postquam circum templum volarunt, & tanquam lustrarunt, in templi muros maximos & pulcherrimos desident, & cùm homines suam musicam deo cantant, & citharistæ choro

accinunt congruum cantum, tum etiam cycni auxiliantes simul canunt, nequaquam absonum cantum, imò verò vt ex chorodidascalo cui accinere chorum oportet, præscriptum accipiêtes, simul cum sacerdotibus cantant, deinde hymno absoluto postquam per totum diem honore solito Apollinem coluerunt, discedunt.

De draconibus sacris in Epiro. CAP. II.

SAcrificant etiam alias Pirotæ Apollini, neq; modo ipsi, sed etiam omnes Græci qui illuc accedunt, & iam maximum festum agunt. Vno die anniuersario est Apollini lucus consecratus, qui septum habet, & intus sunt in circuitu dracones Apollinis delitiæ. Fœmina sacerdos virgo sola ingreditur in lucum, & cibu draconibus affert. Dicuntur ab Epirotis esse progenies Pithonis Delphici. Si dracones sacerdotem accedentem suauiter intueantur & cibos promptè excipiant, annonæ abundantiam significare ostendunt, & annum salubrẽ: sin ipsam exterreant, & non accipiant cibaria quæ porrigit sacerdos, contraria & dracones vaticinantur, & Epirotæ sperant.

De canibus Aetnæ montis. CAP. III.

IN Aetna Sicula Vulcani colitur templum, & sunt luci septi & sacri, & ignis æternus & peruigil, sunt etiam circum templum & lucum canes sacri, qui velut castitatis & moderationis amatores & periti blandiuntur hominibus castè

&

& ut oportet & decet in templum ingredientibus: sin aliquis sceleratus sit, hunc mordent & lacerant, alios verò ex quadam consuetudine venientes impunitos solum summouent & fugant.

De bobus qui sacrificãtur Cereri. CA. IIII.

CErerem Hermionenses colunt & sacrificijs magnificis venerantur: maximos igitur boues audio fœminam sacerdotem Cereris agere ad altare ex grege, & sacrificandos præbere, & eorum quæ dico testis est Aristoteles, qui alicubi dicit, Ceres valde fructifera tu apud Siculos & Athenienses vim tuam demonstrasti, & magnum quiddam ostendis apud Hermionenses, nam ex grege ferum taurum, quem duodecim viri non capiunt, hunc vnica vetula per solam aurem trahit ad altare, & taurus vt matrem puer sequitur. tuum hoc est robur. Ceres propitia sis.

De canibus Dauliæ. CAP. V.

IN terra Daulia templum esse Mineruæ Iliẽsis, canes qui illic nutriuntur laudant, nam Græcis illuc accedentibus adulantur & blandiuntur: barbaros verò latratibus insequuntur.

De loco Arcadiæ appellato Aula, templo panis, & de animalibus illuc confugiẽtibus.

CAPVT VI.

IN Arcadia est templum panis, cui nomen est Aula, quæcunque animãtes in idipsum templum confugiunt tanquam supplices Deus seruat incolu-

meis: eas enim lupi insequentes ingredi intrò horrent, & solo aspectu reprimuntur illius loci quò confugerunt.

De ceruis qui sunt in Curidio. CAP. VII.

IN Curidio ceruorum multitudo est, & venatores multi ad illorum venationem attenti, cùm in Apollinis lucum maximum confugerint, latrant quidem canes, sed propè accedere non audent, cerui autem intrepidè pascuntur mirabili quadam natura suam salutem Deo credentes.

De muscis cedentibus Apollinis templo, Actio appellato. CAP. VIII.

SVprà alicubi dixi muscas olympicas instante ludorum celebritate voluntarias excedere, & cum mulieribus quibus non licebat adesse ludis, ad contrariam ripam Alphæi transire. In Leucade promontorium est excelsum, in quo Apollinis est templum Actium appellatum, cuius festo instante, in quo saltant saltationes quasdam, in Dei gratiam sacrificant bouem muscis, quæ sanguine plenæ discedunt. Ergo Decumanis donis eæ affectæ abeunt. At Piseæ, nullo munere donatæ secedunt, meliores hæ igitur Dei reuerentia non mercede honesta facientes.

De Icari insulæ capris & damis. CAP. IX.

IN Icaro insula templum est Dianæ & multitudo caprarum ferarum & damarum pinguissimarum & leporum, quos si quis postulauerit à

Diana, non capit venationem, & dat pœnas quas alij dicunt.

De api tauro Memphidis. CAP. X.

CVm cycnorum Riphæorũ apud Hyperboreos quotidie colentiũ diligenter filium Iouis & Latonæ mentionem fecerim, si tauri sacri quem deum faciunt Aegyptij non dicam vim, quo modo non reprehenderet nos & historia & natura, cuius hoc opus & donum est? Dicam igitur non segniter huius theologiam. Apis apud Aegyptios efficacißimus deus creditur ex vacca, quæ fulgure afflata cõceperit nascitur, Epaphum Græci vocant, atque huius generis antiquam stirpem repetentes, Io Argiuam Inachi filiam illius matrem fuisse testantur: sed hunc sermonem Aegyptij vt mendacem redarguunt, temporis antiquam longinquitatem testantes. Epaphum enim multis post seculis extitisse ferunt: verùm Apim primum multis annorum milibus in homines venisse, insigneis eius notas Herodotus & Aristogoras explicant, quibus Aegyptij non assentiuntur, & viginti nouem notas sacro huic boui aptas & consentaneas esse dicunt, sed quænam sint, tum vt per corpus sparsæ, & vt ipsis quasi floribus insignitus sit aliunde intelligẽdum: cuiusnam autem ex syderibus naturam vnumquodque insigne per notas designet, Aegyptij significare norunt. Etenim Nili ascẽsum vnum significare aiunt, aliud mũdi figuram, aliud lumen,

aliud

aliud lunata forma designat figuram lunæ, aliáque insignia aliarum rerum significationes esse, haud profectò prophanis & diuinæ historiæ intellectu facilia. Cùm autem fama emanauit, Aegyptiorum Deum exortum esse ex Scribis & sacerdotibus, quidam vt documentum procreationis à patre traditum insignium notarum accuratè exquirant, eò vbi diuina vacca peperit, accedunt, atq; ibidem domum ad orientem solem excitant, vbi sanè vitulus alatur quatuor menseis: postea autem quàm ibi nutritus est exoriẽte luna scribæ, sacerdotes, & prophetæ eodem proficiscuntur, & simul nauem huic sacram ornant, eáque ipsum transportant Memphin vbi sedes huic sunt, & commorationes suaues, tum curricula, puluerationes, exercitationes, & vaccarum formæ præstantia insignium ædes tanquam thalami, in quos ingreditur, cum superuenire eam quam amat, appetit, itémque est puteus & fons aquæ potabilis, nam eiuscemodi huic semper conducere ministri & sacerdotes asserũt, non item ex Nili potione, ne propter dulcedinem in molem immensam pinguescat. Iam verò quas pompas, quæ sacrificia Aegyptij conficiant, cum nouæ alluuionis aduentum, tum dei exortũ celebrantes, quas etiam saltationes, quos conuentus habeant, tum quemadmodum omnes vrbes & vici immortaliter gaudeant, longum esset explicare. Is autẽ ex cuius armento hæc diuina bestia exorta fuerit, beatus

habetur

habetur, summámque Aegyptiorum admirationem habet, is bos præsentione & prædictione valet, nec sanè vel puellas vel auiculas ad tripodem sessitantes habet, neque sacra potione implet, sed pueri diuino afflatu concitati extrà ludentes, atque inter se ad numerum saltantes consulentibus futura prædicunt. Apim Aegyptij Oro *Apollini comparant, quem credunt annonæ abundantis & fertilis anni summum authorem, ac de varijs coloribus bouis philosophantur, varietatem morum cõiectantes per signa. Sermo quidam prophetarũ nec omnibus notus dicit Aegyptiorum regem excogitasse vt animal viuum colerent Aegyptij, & elegisse taurum: omnium animalium formosissimum taurum esse existimantem.*

De Mneuide boue Aegyptio. CAP. XI.

SEd age trãsito, vt ait prouerbium, non ad equũ, neque in ipso decantando orationem consumito, sed Mneuin bouem dicito, quem Aegyptij sibi sacrum esse dicunt: at verò Apin lunæ dedicatum esse dicunt, propriámque huic esse notam, nimirum non esse spurium, sed amicum deo prædicto, sed de hoc alius dicit. Quem verò sermonem audiui Aegyptium qui pertinet ad probandum taurum hunc an sit seminis præstantioris an non, hunc narrare volo. Bocchoris Aegyptiorum rex Aegyptijs negotium facessere cupiens, taurum ferum induxit aduersarium in lucta contra Mneuin. Is igitur

Mneuis

Mneuis mugit. itémq; externus taurus contrà mugiens furoréque elatus incurrere cupiens cõtra taurum deo charum errauit, & in persearũ arborum ramos incidens cornibus retentus est, at Mneuis illius latus capite confodiens interfecit ipsum: quo facto Bocchoris verecundia confusus est, & ipsum oderunt Aegyptij.

De delphinorum intellectu & prudentia.

CAPVT XII.

QVàm vehemẽti delphini musicæ amore teneantur, quámque admirabili ad vocis cantum studio concitentur, sermone & literis multorum longè latéque peruagatum est: quàm item hominum amantes sint, cùm alij plerique scripserunt, tum nos antè explicauimus: nunc iam de intelligendi prudentia dicere non alienum est. Simul enim vt in retia delphinus incidit, statim primò quidẽ quietè & liberè manet, neque omnino fugere meminit: sed & epulatur, & alios secum captos depascitur, & tanquam huic condictum esset conuiuium, ex ijs exsaturatur: deinde cùm se extrahi atque ad littus appropinquare intelligit, dentibus lacerato reti, è seruitute liberatur. Iam si quando piscatores posteaquam captiui delphini nares holoscœno iunco traiecerint, quodam obsequio atque indulgentia eum ex potestate idcirco dimittant, seruituteq; liberent, vt hac notionis nota insita, si iterum capiatur, apertiora det indicia, se aliàs captum & seruatum

tum fuisse, is velut indiciū & notam pristinæ captiuitatis veritus, non amplius ad saginam appropinquat. Cùm delphinus quispiam comprehensus in piscatoriam subtractus esset, alij tum permulti naiculam hanc circumnatantes, tandiu se ibi crebris saltibus versarunt, & tanquam piscatoribus pro huius salute supplicantes, prouoluerunt, dum piscatores ad captiui misericordiam inducti fuissent, eisq; ita suppliciter quasi petentibus cessissent, atq; irretitum ex vinculis in libertatem expediuissent.

De canibus Daphnidis pastoris Syracusani.

CAPVT XIII.

D*Aphnidis pastoris Syracusani à nympha patientis illa decantata, quinq; canes domesticos nuncupatos Sanon, Podargon, Lampada, Halcimon, & Theonta videntes domini affectus calamitosos, mortem oppetijsse aiunt, & multum prius luxisse & fleuisse.*

De memoria & fide elephantorū. CAP. XIIII.

V*Ariam & multiplicem Elephantorum naturam antè dixi: nunc quàm memoria sint bona, quámque diligenter præceptum officij aduersus præcipientes teneant, quàm simul eorum qui quippiam eis committunt, vel expectationem vel fidem non fallant, explicandum est. Cùm Antigonus Megarensem vrbem obsideret, mulier simul cum vno de elephantis bellatoribus versabatur: hæc enim illius qui elephantum aleret vxor, infantem*

puerum

puerum pepererat, quẽ huic elephanto, lingua vtẽs Indica, quam elephanti intelligunt, credidit. Vt verò is primum sibi creditus est, illum diligebat, & custodiebat, ex eóque proximè adiacenti magnam voluptatem capiebat: cũ ploraret, oculos tum auertebat, tum verò ab eo dormiente muscas abigebat. Arundines ei pro pabulo obijciebantur, quas, & omnem cibum, nisi puer adesset reijciebat. Nutrix igitur necesse habebat postea quàm eum lacte compleuisset, elephanto curatori apponere, vel omnino elephantus non parum iracundia incitabatur, ac nonnunquam in verbera erumpebat, interdũ etiam cũ vagiret infans, cunas vbi iaceret mouebat: sicq; eidem ipsi ex hoc motu oblectamenta & solatia, sicut nutrix, afferre studebat.

De odio elephanti in adulteros. CAP. XV.

OBtrectationem ac riualitatem vehementem diuersorum animalium porphyrionis, canis, & ciconiæ diximus suis locis: nunc mihi exponendum videtur elephanti odium in eos qui cum alienis vxoribus stuprum faciant. Nam cùm vxorem sui domitoris & altoris stuprari manifestò deprehendisset, ambos, & eum qui stuprum inferebat, & eam qua cum id faciebat cornibus transfigens, interfecit. ac in stragulis constupratis, & lecto adulterato iacentes reliquit. Vt verò primùm elephanti rector venisset, & manifesto nefarium facinus, & huius vindicem cognouit. hoc quidem factum,

ab Ind

ab India huc ad nos manauit. At Romæ aliud simile euenisse audio: præterquam quòd addunt, ibi elephantum non vtrunque modò occidisse, sed & stragula veste eos texisse, & nutritio aduenienti stragulam reiecisse, & retexisse, & proxime inter se iacentes demõstrasse, ita ille tum facile iniuriam illatam sibi fuisse intellexit, tum etiam maxime facinus ei liquebat, vbi cornu quo ipsos confixisset, cruentum perspexit.

De draconis diuinatione. CAP. XVI.

PRopria etiam draconibus est diuinatio. In oppidulo Lauinio, quod est Latinæ regionis, & appellatum est à latini filia Lauinia, cùm Latinus vnà cum Aenea pugnauit contra Rutulos, & vicit ipsos: Aeneas Anchisæ filius Troianus vicit Lauinium vrbem quam matrem primariam Romæ dicere possumus. Hinc enim profectus Ascanius Aeneæ & Creusæ Troianæ filius cõdidit Albam: Albanorum enim Roma colonia est. In Lauinio lucus magnus & densus colitur, & habet vicinum templum Iunonis Argolicæ. In luco est antrum magnum & profundum & est draconis cubile. Virgines sacræ certis diebus accedũt ad lucum manibus offam ferentes, & oculos linteis velatos habentes, sed ducit ipsas recta via ad cubile draconis spiritus diuinus, & sine offensione pedetentim & quiete procedunt, tanquam non velatis oculis videntes, quæ si virgines sunt draco capessit cibos castos

& animali dijs charo conuenientes: ſin virgines non ſunt, ieiunus manet præſciens earum corruptelam. Formicæ offam virginis corruptæ minutatim primò concidunt, vt eius fruſta facile ferre poßint, deinde extra locum efferunt, purgantes locum. Cognoſcitur à vicinis factum & accuſantur vitiatæ virgines, & ex lege ſupplicijs affectæ puniuntur.

De dracone Melitæ Aegyptiæ. CAP. XVII.

Dicit Homerus, difficulter dij videntur manifeſtò: quiddam ſimile habet draco in ſanctiſsimus honoribus diuinis & idipſum ſcire non vtile. Quod dico tale eſt. In Melite Aegyptia draco eſt ſacer in turre, & colitur, & habet miniſtros & menſam & crateram, in quam quotidie farinam ſubigunt & temperant melicrato deinde diſcedunt, & poſtridie reuertentes vacuam inueniunt crateram. Miniſtrorum ſenior vehementi deſiderio afficiebatur vt videret draconem: itaque ſolus ingreſſus vt fecit conſueta, ſubſtitit, draco aſcendens in menſam epulabatur: at ille curioſus portas aperiens de more clauſas ſtrepitum edidit vehementem, draco indignatus diſceßit, ille quem cupiebat videns ſuo malo factus eſt demens, & cum dixiſſet quæ vidiſſet & vt ſe impiè egiſſe confeſſus eſſet, factus eſt mutus, & non multò poſt cecidit & mortuus eſt.

Pecul

Peculiaria quædam aliquot animalibus vtilia. CAPVT XVIII.

Propria & hæc animalium sunt, pauo contra fascinationes lini radicem velut amuletum quoddam naturale inquirit, & sub altera ala occultatam circunfert. Equi vrina si impediatur virgo soluens zonam quam fert, si equum zona verberet in fronte, statim dicitur vrinam & quidem multam meiere, & dolore liberari. Equam in res venereas insanientem sedare facile est, vt Aristoteles tradit, si quis ipsius iubam totonderit. Verecundatur enim & desinit lasciuire.

Quemadmodum mures ruinosam domum collapsuram prænoscunt. CAP. XIX.

Quod vicinā domum ad edendas ruinas mures & mustellæ præsentiūt, idcirco eius casum & collapsionē præuertentes ex ipsa emigrant: quod quidē ipsum in Helice oppido vsu euenisse dicitur. Cùm enim Helicenses impiū facinus in se aduersus Iones admisissem, eos nimirum in altaribus mactantes, tum sane his propinqua ruina ex ostētis portēta fuit. Nam quinq; antè diebus, quàm Helice funditus euerteretur, qui in ea essent mures, mustellæ, serpentes & spondyli, cæteráq; eiusmodi frequentia, via quæ est in Coriam exierunt. Quod quidem facinus Helicensibus id ipsum intuentibus summam quidem admirationem mouebat: verumtamen quamobrem discederent causam conijcere

non quibant: postea verò quàm ex vrbe hæc animalia excessissent, ex terræ motu tantæ labes domorum noctu factæ sunt, vt non modò ex hoc casu desederit vrbs, & conciderit, atque ex permultæ tempestatis alluuione funditus deleta fuerit, verum etiam cùm fortè decem naues Lacedæmoniorum in vrbis portu stationéque essent ex marinorũ æstuum tempestate perierunt. Diuina enim iustitia satellitibus atque ministris bestijs ad vlciscendos impios homines vtitur. Cui rei etiam testimonio est Panteclas Lacedæmonius, qui cùm fabros Dionysianos iter facere ad Cytheram per Spartam prohibuisset, post in sessione Ephororum à canibus laceratus fuit & distractus.

De canibus Adrani oppidi Siculi. CAP. XX.

IN Sicilia Adranos vrbs est, vt dicit Nymphodorus, in hac vrbe templum tutelaris dei eius loci clarum dicit esse. Verùm quæ de deo ipso dicit, quo modo patet & expeditus est & propitius egẽtibus, prætereo. Iam illud dicã. Canes sunt sacri & cultores ipsius dei, & pulchritudine & magnitudine superantes Molossos canes. Sunt non minus quàm mille, qui interdiu adulantur & blandiuntur ingredientibus templum & lucum siue externis siue indigenis: nocte verò ebrios & iam à via aberrantes, tanquam itineris duces liberaliter ducunt præeuntes in domum suam & debacchantes, & cõtumeliosos ex nimia vini petulãtia vlciscuntur

tur & debitis pœnis puniunt: nã in ipsos insiliunt, vestem lacerant, & castigant, ac furari conantes acerbißimè lacerant.

De cochlea marina. CAP. XXI.

Cochlea marina quæ in mari rubro nascitur, cùm maxima magnitudine, tum formosißimo aspectu est. Nam integumento rubro est: clauiculas habet varias pictas florentes, sic à natura descriptas, vt dißimiles non sint contextæ ex florum varietate aliorum in alios implicatorum coronæ, siquidem colores virides latei purpurei situ alternante, atque pariter, æqualiterque interuallis inter se distantibus asperguntur, atque distinguntur.

Quemadmodũ delphinus semper mouetur.

CAPVT XXII.

Delphinum perpetuo motu præditum esse ferunt, nec quoad viuit, ne dormiens quidem à motione conquiescit: cùm enim necesse habet dormire, ex alto ad summã aquam elatus, vt totus videatur, dormit: non enim somni expers est, atque ita dormiens, in profundum tandiu depellitur, quoad imam sedem maris contingat: ad quam postquam funditus delapsus est, terræ pulsu è somno excitatur: deinde ex alto emergit, ac repetito somno similiter atque prius ad maris fundum appulsus, expergiscitur, tum rursus eminet extra aquam, & hoc ipsum sæpe facit, eámque ob causam inter quietẽ ac actionem agens, nunquam omnino à motu quiescit.

De citharœdo pisce maris rubri. CAP. XXIII.

IN mari rubro piscis procreatur, cuius corpus ita figuratum est, vt speciem similitudinémque linguæ bubulæ eius latitudo gerere feratur: squamæ non magnam tangenti asperitatem habent, subaureo est colore, lineísque à summo capitis vertice ad extremam caudam sic distinguitur, vt eas citharæ fidiculas contentas esse dicas, vnde is citharœdus appellatur. Os ei pessum it, & subsidet, idémque nigerrimum est, cingulóque croceo circunligatur, vertex varietate distinguitur fulgore aureo & nigris quibusdam lineis & pinnas aureas habet: cauda est nigra præter extrema. Ea enim candidissimo colore asperguntur: alij item picti nasci dicuntur toto corpore purpurei certis interuallis aureolas lineas possidentes: eorum verò caput cingulis violaceis illustratur, vno quod est ante oculos ad branchias pertinente; altero secundum oculos vsq; ad medium caput excurrente, alio autem tanquam monili sic collum circumplicante.

De pardali pisce & oxyryncho. CA. XXIIII.

PArdalis piscis, vt ij qui ipsum viderunt, dicunt, in mari rubro nascitur, colore & maculis orbiculatis similis est terrenæ pardali: oxyrynchus, quem mare rubrum profert: ore est prælongo, oculis ad similitudinem auri fulgentibus, palpebris albis: eius dorso signa pallore insignita sunt, pinnæ priores ei nigræ existunt. Eæ verò quæ sunt

in

in dorso albæ, cauda prolixa & prasino colore quã mediam aureola linea intersecat.

De hinnulo intelligẽte Græcum sermonem.

CAPVT XXV.

PTolomæus secundus, quem etiam Philadelphum appellant, cerui hinnulum munere accepit, qui linguæ Græcæ innutritus sic ad Græcum sermonem assuefactus est, vt loquentes intelligeret: cùm tamen ante hunc ipsum creditum esset solam Indorum linguam ceruos percipere.

Quemadmodum fœminis mares præstant.

CAPVT XXVI.

IN rationis expertibus mari prærogatiuum honorem, atque præstantiam quandam natura largita est: mas enim serpens cristas habet, gallus item formæ excellentia illustratur, ceruus cornibus præstat, iuba leo antecellit, cicadarum mas voce anteit.

Quæ bestiæ belli causa fuerint. CAP. XXVII.

GRæcis & Troianis belli causam Helena dedit, Darij vxor quòd ancillas Atticas & Ionias habere desideraret, Persis ad bellum Græcis inferendum argumentum dedit, & tabella contra Megarenseis causam attulit Græcis longissimi belli gerendi, Magnesios atque Ephesios locusta ad bellum excitauit, atq; inflammauit, columba Charnos & Illyricos in bellum cõmisit, Thebani in Aegypto de cane contra Romanos pugnasse dicuntur.

Paruæ causæ sæpe magnorum impetus represserunt. CAP. XXVIII.

Pythocharin Auleten cum ad tibiam magna contentione incitatos & generosos numeros caneret, luporum impetũ repreßisse, ferũt. Muscarũ multitudo Megarẽses sedibus pepulit. Phaselitas vespæ fugarunt, scolopendræ exegerũt Rhoetiẽses.

De ouibus sine felle. CAP. XXIX.

Oves in ponto sine felle esse dicuntur, contra in Naxo insula duplici felle præditas esse. Aristotelis filius Nicomachus in Budianorum regione ait albam ouem nullam nasci, sed nigras omneis esse.

De meropis pietate aduersus parentes suos. CAPVT XXX.

Merops eo iustior ciconijs existimanda est, quòd non in senectutem parentes alere differt: sed statim vt per ætatem volare potest, hoc ipsum exequitur, iustitia enim & pietate omnibus auibus præstat.

Quod etiã rationis expertia deus procurat. CAP. XXXII.

Peculiare etiam animalium hoc bonum. Nam ipsa dij etiam procurant, neque ea negligunt, etsi ratione carent, non tamen prudentiæ & sapientiæ in rebus ad se pertinentibus sunt expertia, quo modo dijs sint amica dicam ex multis pauca. Vir eques Linæus appellatus equũ habebat aspectu formosum

mosum, cursu velocissimum, robore animi fortissimum & bonum ad ludos equestres, & generosum & valentem in bello insequi vbi opportunitas & secedere vbi necessitas esset, ex his omnibus pretiosa possessio equus erat: eques verò illustris inter equites videbatur: accidit vt is equus tanta virtute equestri præditus videre non posset dextro oculo ob plagam acceptam. Linæus videns suam spem omnem fluctuare in morbo equi generosi sui, ad Sarapidis templum equum ducit, & ex animo deum tanquam pro fratre aut filio rogat vt misereatur supplicātis pro equo nihil mali operato, nam homines nonnulli autores sunt suorum malorum, vel cum faciunt aliquid impium, vel cum dicunt malum: sed equi, dicebat ille, quod sacrilegium? quæ cædes? quod maledictum? Testatur deum & ipse vt nullo malo vnquam quenquam affecisset, quare commilitonem suum & amicū deprecatur vt morbo liberaret. Deus igitur misertus ægrotantis & supplicantis pro ægrotante non neglexit sanare rationis & vocis expertem, & præcepit nō oculum fouendum esse cum infusione, sed fomentis siccis tepefaciendum, medio die in templi porticu quæ cum essent facta sanatus est equi oculus, & Linæus pro beneficio accepto tanquam pro sua vita recepta deo sacrificauit. Equus exultabat circū templum, hinniebat, fremebat, apparebat maior, & pulchrior & lætior, & circum altare currens & circum

gradus ſeſe verſans, videbatur deo ſeruatori gratias habere. Iam verò agricola in vinea cùm faceret ſcrobem vt palmitem plantaret, ligone fregit ſacram aſpidem & hominibus minime hoſtem, & terram effodiens cum vidiſſet caudam harena inuolutam & mediam partem ex ventre in collum aſſurgentem & adhuc ſerpentem & cruore perfuſum propter ſectionem ſtupefit, & in maniam vehementiſsimam cadit: interdiu quidem rationis impotens erat, & noctu demens ex lecto exiliebat, & dicebat ſe aſpide vrgeri & tanquam vulnus accepiſſet horribiliter vociferabatur, implorabat ſocios, aſpidis occiſæ à ſe ipſo imaginem minantem videre ſe dicebat, & profitebatur aliquando ſe ab illo lædi, & illum dolore affici ex his quæ faciebat conſtabat. Eius propinqui poſtquam diu ægrotaſſet, ipſum ducunt ſupplicem ad Sarapidis templum & deprecantur vt deus repellere & tollere velit aſpidis prædictæ viſionem. miſeretur igitur deus hominis & ſanat. Vt impunita non manſit aſpis, dictum abunde eſt. Pauonem Indicum dono accipiens rex Aegyptiorum maximum & formoſiſsimum non exiſtimat cum aliis gregalibus alendum eſſe vel delitiarum cauſa in domo, vel cibi gratia, ſed attribuit vrbis cuſtodi Iouis, indicans hunc dedicandum eſſe deo. Iuuenis gulæ luxuíque deditus & permultum diues vndique varietatem cibi & cum periculo paratam & plurimi conſtantem

lucrum

lucrum existimans præter quàm quòd magnã mercedem sacrilegij proponit cuidam, qui minister dei erat: præterea pollicetur aliam mercedem, hic adductus pauonem capere aggreditur vt diuiti afferret: at hic pauonem non videt, sed aspidem maximam rectam videt in se concitatam, itaque primò timuit & secessit: sed prodigo iuuene instante & impellente minister ad pauonem inquirendum rediijt. Pauo se ipsum alis sublimem efferẽs neque in vlla arbore ex his quæ sacræ erant ad templum sedit, neq; in vllo alio loco excelso sed in medio templo dei constitit, & in ipsos rectis oculis intuebatur velut subostendens se illorum insidijs superiorem esse, & esse in loco vnde non esset illis fas ipsum capere, quapropter cum nihil factum fuisset, is prodigus qui pecuniam dederat, illam repetebat: ille non reddebat, dicens se quod in se esset omnino fecisse & non potuisse deorum possessionem surripere, rixa igitur vt solet & vociferatio exorta inter eos est. Sacerdos superuenit his altercantibus & percontatur causam cur in templo contenderent, illi inter se accusant: & diues quidem conuitijs & minis affectus vbi discessisset, & alterius auis os deuorasset, cum summis doloribus vitam finiuit, ministrum sceleratum vt sacrilegum vrbis magistratus puniuit: pauonem verò neque viuẽtem neque mortuum vidit: qui quidem pauo vbi centum annos vixisset, è conspectu hominum ablatus est. Cum superioribus

consentit

consentit Cissus ita appellatus minister Sarapidis: is primum vehementibus insidijs appetitus à sua amasia, deinde ab vxore cum oua serpentum comedisset & grauiter laboraret, & ex eo moriturus videretur, rogat deum. Iussit deus vt emeret murenam viuam & poneret manum in viuariū. Cissus paruit & demisit manum: murena manum mordicus premebat: quæ abstracta, simul morbum abstraxit à iuuene, & ita murena ministra curationis dei ad vestras aures peruenit. Chrysermum tempore Neronis sanguinē vomentem & tabescentem iam sanguinem tauri bibentem idem hic deus sanauit. Ego hæc dico animalia vsque eò dei esse amica, vt & à dijs seruentur, & per illa seruent alios, vt Bathylim Cretensem tabe laborantē hoc malo deus liberauit esu carnis asininæ.

De equorum lauatione. CAP. XXXII.

EX ijs qui equinæ tractationis periti sunt, audiui equum delectari lauatione, vnguentis. Simonides in iambis dicit Persas post Cyri pugnam in Lydia camelos simul cum equis alere, equorum metū ex camelis conuictu conantes expellere, equas commodiores esse ad currus ducendos dicunt.

Diuisio animalium. CAP. XXXIII.

CHartilaginea vocantur quæ squamis carent, vt murena, conger, torpedo, pastinaca, bos, mustellus, delphinus, balena: hæc enim sola de aquatilibus sunt viuipara. Mollia appellantur ex aquatilibus

tilibus ossium expertia ut polypus, sepia, loligo, urtica, quæ etiam sanguine & visceribus carent: crustis tenuibus tecta, astaci, squillæ, cancri, paguri, hæc senectutem exuunt, siliceis testis conclusa conchæ, murices, buccinæ, turbines, echini, locustæ. Iam dentibus serratis prædita esse dicuntur, quæ dentes teretes & acutos habent, ut lupus, canis, leo, panthera, hæc eadem sunt carniuora: utrinque dentati, homo, equus, asinus & sane adipem habent. Dentes continuos possidet bos, ouis: dentes exertos habent, quæ extra dentes eminentes ostendunt aper, nam elephanti potius quàm dentes cornua appellanda sunt, insecta ut vespæ, apes: hæc enim spiratione carere dicuntur: ambigentia equus fluuiatilis, lutrix, castor, crocodilus: corticibus teguntur lacertus, salamandra, testudo, crocodilus, serpens. Hæc quoque senectutem exuunt præter crocodilum & testudinem. Bisulca equus, asinus, bos elephantus, capra, ouis, sus: multifida, ut homo, canis: planipeda, cycnus, anser: cuteis alis prædita vespertilio, uncinatis unguibus sunt, quibus incuruum est rostrum ut accipitres, aquilæ.

De chenolopece. CAP. XXXIIII.

PVllos suos chenolopis vehementer amat, eamdémque operam quam perdix in eis tuendis ponit, nam ante suos fœtus sese prouoluens aucupi spem sui capiendi ostendit: hi verò interea cum venator illuditur elabuntur, quibus fuga elapsis is sese

alis

alis alleuans discedit, ac sæpe vt pulli facilius elabantur capiendum se venatoribus præbet.

De accipitre. CAP. XXXV.

INterea accipiter quoad viuit, cùm apud Ægyptios egregie charus deo esse existimatur, tum post excessum è vita futura ostendere, ab eodémque somniorum significationes proficisci atque apud eosdem populos tripoda accipitris aliquando fuisse vnde oracula consulentibus diuino instinctu afflata funderentur.

De animalibus duplex membrum habentibus vt perdices, lepores, cerui & alia.

CAPVT XXXVI.


PErdices paphlagones duplici corde Theophrastus confirmat: in Bisaltia duplex iecur lepores Theopompus ait habere: Apion verò nisi nugatur, ceruos locis quibusdam quatuor renes habere: idémque affert Oeneo in Menide regnante bicipitem gruem apparuisse, túmque Aegyptum feracem extitisse, atque sub alio rege quadricipitem auem visam fuisse, & quanta antea nunquã. Nilum alluuione redundasse, frugúmque vbertatem mirificam fuisse, quadricornem ceruum Nicocreon Cyprius habuit, quem Pythio consecrauit: oues quadricornes & tricornes sunt in templo Iouis custodis vrbis. Ego cera fictum bouem quinq; præditum pedibus vidi sacrum & dedicatum deo qui colitur ad Alexandream in luco vbi perseæ arbores consitæ

sitæ perpulchra vmbra opacant. Pedem is in armis appensum habebat cum ad ingrediendum adiuuantem, tum absolute factum, & hæc non videbantur omnino naturæ consentire, ego tamen quæ ad meos oculos & aures peruenerunt, dixi.

AELIANI LIBER duodecimus historiæ animalium.

De orphis sacris piscibus Myrensium.

CAPVT I.



N Myrensi Lyciæ sinu Apollinis templum est, ad cuius sacerdotem vitulinas carunculas distrahentem orphi adnatant, & tanquam sane conuiuæ ad epulas inuitati, carnes comedunt: & verò immolantes ex eo magna voluptate afficiuntur, quòd pisces sua sacrificatione pascantur: quod quidē ipsum res suas bene & feliciter sibi casuras esse significare persuadent, idcircoq; propitium esse sibi deum dicunt, quòd suis cibis pisces expleantur. Quòd si caudis carnes in terram eÿciant, tanquam sordidas

à se

à se detestantes, inde sibi iram dei protedi arbitrantur. itémque huiuscemodi piscium genus sacerdotis vocem & agnoscit, & si ad eos à quibus appellatur, accesserit, sic incredibilem ipsis lætitiam affert, at si contrà fecerit, magnum dolorem eisdē inurit.

De Hieropolitanis piscibus. CAP. II.

AD Bambycem olim sic appellatam, nunc verò Hierapolim à Seleneo nuncupatam pisces & sacri habentur, & confertis turmis natant, duces item habent, & cibos quos eis vorandos obijciunt exedunt & conficiunt, maximéque ex omnibus piscibus amicitiam inter se seruant, perpetuáque pace deuinciuntur: siue quòd deus hunc animorum consensum eis afflat, siue etiam quia obiectis escis cum abunde expleantur necesse non habent aliorum attingere escas.

De agno Aegyptio habente duas caudas & duo capita octóque pedes. CAP. III.

DIcunt Aegyptij, quibus non assentior, octo pedibus & duabus caudis præditum tempore Bocchoris regis agnum fuisse, & vocem misisse, & duo capita decantant habuisse, & quatuor cornua. Homero igitur danti vocem Xantho equo ignoscere par est. Poëta enim erat.

De renascentibus pennis accipitrū. CA. IIII.

ILlud etiam de accipitribus scio me audiuisse, antequam Nilus Aegypto innatet & accipitres pennas iam senescētes amittere velut plantarū

ramos

ramos sicca folia & renasci nouas, molles, teneras, formosas velut florem ex arboribus. Genera accipitrum plura esse significare videtur Aristophanes, cùm ait, Sed misimus ter mille accipitres ex equo sagittas iaculantes. Omne genus accipitrum vngues aduncos habet. Ex genere eorum sunt tinnunculus, buteo, gypsi, cymnidis, aquila: separatim consecrati sunt multis dijs, perdicotheres & in acutum desinentes pennas habens, & celeriter volans, Apollinis minister esse dicitur: ossifragam & harpam Mineruæ attribuunt: columbarium Mercurio sacrum esse dicunt, Iunoni tanysipteron, buteonem Dianæ, matri deorum mermnon: ita legitur in Aeliano, & alibi inuenimus, morphnon genus aquilæ, & mermnon esse genus accipitris, item alios alijs dijs consecratos esse.

De mustella, quam Thebani in Bœothia adorant, & de muribus smynthijs. CAP. V.

AEgyptios quòd diuersa animalium genera in deos referant, & sacra religione colant, multiplex & varius risus consequitur. At Thebani, natione quidem Græci, risu obruendi, qui mustellam religiose venerentur & dicant, cum Herculem Alcmena parturiret, & parere non posset, hanc accurisse, & parturiendi vincula dissoluisse, eóque esse factum, in lucem vt Hercules expeditius exiret. Mures item adorant ij, qui Troadis Aniaxitum incolunt, vnde Apollinem, qui apud

eos magna religione est Smynthium appellant, murem enim Smynthium Aeoles & Troiani nominant, sicut Aeschylus in Sisypho testatur, cum ait, Sed agrestis quis est Smynthius. tum verò apud Smynthios cicures aluntur mures, eísque victus publicè præbetur, atque infra altare, vbi degant latibula habent. Apud etiam tripodem Apollinis mus manet, de cuius religione hanc accepi fabellam, permulta murium milia cum Aeolium & Troianorum segetes inuasissent, atque immaturas succidissent, & simul eis qui earum sementem fecissent infructuosas reddidissent, cúmque Delphicus deus de hac re consultus esset, respondisse: oportere significare Smynthio Apollini, eos quibus datum esset oraculum responsum secutos, ab hoc murium impetu liberatos fuisse, & frumentum eis ad solitas messes peruenisse. Huc etiam addunt Cretenses in coloniam domo missos Pythium rogasse, quempiam sibi locum ad habitandum appositum ostenderet, illum oraculum edidisse, vbi terra geniti bellum eis inferrent, ibi considendum, atq; vrbem excitandam esse: ita eos profectos in Amaxytum castra posuisse, vt illic quiescerent: murium verò incredibilem multitudinem erupisse, & clypeorum lora derosisse, & arcuum neruos deuorasse, ex quo coniecturam duxerunt illos esse terrigenas: proinde ad armorũ inopiam redactos, hunc locũ incoluisse, atq; Smynthio Apollini templũ excitasse.

Defunct

Defunctos sui generis delphini sepeliunt.

CAPVT VI.

Mortuorum etiam memoriam delphini tenent, & suos gregales extinctos non produnt: imò verò defunctos in imum delabentes, cum ex altitudine ad summam aquam alleuant, tum ad continentem velut funere illos efferentes, hominibus ipsos sepeliendos tradunt: pòst verò sequitur magna delphinorum multitudo, tanquam funeri operam dantium, atque in extinctos honorem conferentium, sanéque eos ab impetu aliarum beluarum ne deuorentur defendentium. Itaque homines rei musicæ intelligentes, reuerentia studij in delphinorum musicam adducti, humatione eos afficiunt. Vos verò inscitiæ veniam agrestibus hominibus qui à musis auersi sunt, delphini tribuite, quandoquidem vel ipsi Atheuienses Phocionem probum virum inhumatum proiecerunt: tum Olympias, quæ filium Iouis peperisset, vt ipsa gloriabatur, & ille profitebatur, insepulta iacuit. Pompeius magnus cum tot tantásque res præclaras gessisset, summis victorijs partis, de triplici orbis parte triumphasset, interfectoris sui patrem seruasset, & in regnum restituisset, Aegyptij non modò interfecerunt, sed capite mulctatum proiectum ad littus reliquerunt.

De leonibus Aegypti in deos relatis & de sphynge. CAP. VII.

LEonibus in Aegypto religiosus cultus non modò tribuitur, sed etiam ex ijs vrbs nomen traxit: quorum sanè vim ac naturam exponere non alienum videtur. Templa habent sibi consecrata, & sedes ad commorãdum amplas, & ad exercendum spatia & curricula laxa, tum eis bubulæ carnes quotidie præbentur, quas distractas, atque ab ossibus nudas cum interea exedunt & conficiunt ab Aegyptijs incantantur Aegyptia voce. Cantionis argumentum huiuscemodi est, ne ex aspicientibus quenquam fascinent: & videtur cantio pro amuleto esse. Neque verò eorum modò permulti diuinitatem & religionem apud ipsos habẽt: verùm etiam sedes eis dedicatæ, è regione contrarios auersósque aspectus habent, quarum fenestræ tam quæ ad solis exortum pertinent, tam etiam quæ ad occasum spectant, apertæ suauiorem viuendi rationem eis, & iucundius habitandi domicilium efficiunt, tum eis etiam sunt exercitationũ loca ad tuendam valetudinẽ, tum propinquæ palestræ, eos ideo Vulcano Aegyptij consecrarunt, quòd sint naturà vehementer ignita, atque adeo exteriorem ignem ob copiam ignis interioris ægerrimè intuentur, & fugiunt, tum leonem iccirco solis domicilium constituunt, quòd igneus sit, simul & solem cum est æstiuo tempore calidissimus, accedere ad leonem

cœlest

cœlestem dicunt, & ij quidem qui magnam Heliopolim incolunt in templi vestibulis eos diuinæ cuiusdam sortis, vt Aegyptij dicunt, participes alunt: nam ijs, quibus propitius est deus, somniorum significationibus secundum quietem futura non solum ostendunt, sed etiam à periuris quòd iusiurandum non conseruent, & fidem violent non longo interuallo atque adeo euestigiò deo eis iustum impetum afflante pœnas illorum fraudi debitas repetunt. Empedocles inquit, Si post excessum è vita homo de semetipso in bestiarum naturam demigrat, multo præstantißimam commutationem esse, quæ fit ex homine in leonem. Sin homines è natura sua in plantas commutantur, optimam esse conuersionem, & demigrationem ex humano genere in laurum. Quòd si Aegyptiorum, qui in notione naturæ versantur, rationem æstimatione dignandam ducimus, hæc etiam non leui momento æstimare oportet, cùm attribuunt igni huius animalis anteriora, aquæ verò posteriora. Sphingen Aegyptij, qui scalpturam exercent, & Thebanæ fabulæ duplici natura conformantes, biformem nobis conantur repræsentare, ipsum ex corpore virginis & leonis cum grauitate, & compositione architectantes. Hoc Euripides significare videtur, cùm ait, Caudam vertens sedebat in basi leonis pedes habenti. Iam verò Nemæum leonem ex luna excidisse dicunt, id quod

Epimenides designare videtur, cùm ait, Ego sum genus lunæ quæ leonem horrens excußi feram, leonem in Nemæa duces ipsum propter venerandam Iunonem. Sed hæc in fabellas reÿcienda nos leonum vim cùm antè, tum nunc abunde explicuimus.

De pyrausta. CAP. VIII.

EX ignis fulgore pyrausta, quòd vehementi afficitur voluptate, idcirco cùm flamma vel maxime viget, ad lucernas aduolat, atque nonnihil apprehendere videtur. At enim delapsus, viuus comburitur, huius Aechylus tragicus poëta meminit, cùm ait, Timui stultam mortem pyraustæ.

De cinclo aue, quam motacillam appellare possemus. CAP. IX.

CInclus auis, quòd posteriore parte debilis sit, ideo per se dicunt hanc non posse sibi nidum construere, sed in alieno parere, eámque ob rem pauperes in rusticorum prouerbio cincli appellari solent. Caudam mouet, vt apud Archilocum Ceryllus. Aristophanes etiam meminit cincli in Amphiarao, dicens, lumbos ex summo διακλισον, *id est, moueto more Cincli viri senioris. Celebrat autem bonam incantationem in comœdia inscripta Gera senus Obstipi* κλιτηλιόβοταυ ῥιθμὸν, *item in comœdia Tympanistis appellata, vt puellæ virgines lyræ amantes leniter saltantes, comam manibus*

bus reuocantes apud Dianam Ephesiam pulcherrime clunes sursum deorsum motitãtes more Cincli.

Quemadmodum sua sponte mures cum moriuntur eorum partes non generatim, sed sigillatim extinguntur. CAP. X.

MVres qui non ex insidijs, sed sua sponte moriuntur, defluentibus membris, è vita paulatim excedunt: vnde profectum id quod est in prouerbio, Iuxta muris interitum. Cuius Menander meminit in Thaide. Flagranti autem libidine dicunt mures esse, testémque Cratinum afferunt, dicentem in poemate inscripto, Fugitiuis: Age nunc tibi ex æthere murinam lasciuiam Xenophontis fulmine percutiam. Atque fœminam quoque murem maiore Veneris rabie flagrare dicunt. Et rursus apud Epicratem in poëmate quod inscribitur Chorus: Postremò subijt detestabilis leæna, deierans per Dianam esse vitulam, esse virginem, esse pullam indomitam: at illa murina erat.*

De tauro quem vocant Aegyptij onuphin.

CAPVT XI.

COlunt Aegyptij nigrum bouem & vocant onuphin, & loci nomen vbi nutritur, Aegyptij sermones vobis dicunt: maximus hic bos est & excedens chaonas quos Celerinos vocant Thesproti & Epirotæ, stirpis esse boum Geryonis narrantes: hic onuphis depascitur herbam medicam.

Omniũ velocissimi sunt delphini. CAP. XII.

NOn modo aquatilium bestiarum, sed etiam terrenarum omnium delphinus velocissimus, & ad saliendum præstantissimus est, nauium enim, sicut Aristoteles ait, malos transilit, & causam conatur afferre eiusmodi. Quemadmodũ enim vrinatores animam continent, sic ille primò spiritum comprimit, deinde corpus sicut sagittam neruo expulsam iaculatur, nã spiritus intus compressus, & illum & vrinatores impellit & iaculatur.

De physa pisce. CAP. XIII.

PHysa Aegyptius piscis admirabili natura præditus est, nam eum notionem habere ferunt, quando luna augeatur & diminuatur, eiusq; iecur cum luna pariter decrescere, pariterque recrescere, corporisque habitu modo esse opimo, modo gracili & tenui.

De glanide pisce. CAP. XIIII.

GLanis piscis incola Meãdri & Lyci Asianorum fluminum, & Europei Strymonis, speciem siluri similitudinémque gerit. Ex piscibus suorum fœtuum amantissimus est, nam simul vt fœmina peperit, cura quidem illa de partu suo liberatur, ac nimirum cubitans suorum tuitione exsoluitur: at verò assiduum se præstans mas custodem ad conseruationem eorum quæ procreauerit, aduigilat, & eos ab omnibus insidijs prohibet: atque sicut Aristoteles inquit, hamum deuorare potest.

De

De rana & de hydro & crocodilo. CAP. XV.

QVod natricem colubrum rana malè oderit, atque incredibiliter pertimescat ipsum ideo contra summa vocis contentione exterrere conatur. Ad comprehendendos homines aliásue bestias crocodilo hæc est malitia, & veteratoria, vt quæ nouerit eos in flumen descendere, vel ad aquationem, vel ad conscensionem in naues, viam ore quod quidem ipsum permulta compleuerit aqua, de nocte madefaciat, præcipitem efficere studens, quo faciliorem sibi captu prædam reddat: ij sane quoniam lubricum gradum sustinere non queant, præcipites aguntur, & crocodili impetu corripiuntur, & deuorantur. Iam tametsi non pauca sint trochilorum genera & nomina, quæ sane quidem quoniam dura sunt, & ab aure religiosa, & tereti auersa prætereo: haud quaquam cum ijs omnibus fœdere deuincitur amicitiámque colit crocodilus, sed cum solo nuncupato cladorynchο societatem atque amicitiam facit, enimuero nulla hic offensione hirudines ei legere potest.

Vbi crebrius abortus fiant. CAP. XVI.

IN austrinis vel regionibus vel tempestatibus partus magis relaxari atque adeo decidere Democritus ait, quàm septentrionibus, quod quidem ipsum cur fiat causam affert: quia ventrem ferentibus corpora austro laxentur, & dissoluantur, icirco receptaculo dilatato & lõge latéq; diffuso,

& male compacto partus errare vagari, eosdémque concalefactos huc & illuc dilabi & diffluere, ac iam locis disclusis & remissis facilius excidere. Contrà si tempestas sit frigida & septentriones venti sint locorum astrictione fœtus contrahi, & cõprimi vt de locis dimoueri ac depelli non queant, nec sane dissolutione & laxitate quasi tempestate quati, præsertim cùm à perturbatione cõquiescant, & firmissima sede distringantur vt facile ad pariendi tempus durare possint, in frigore consistit in calore excidit sæpe. necesse enim dicit Democritus calore redundanti venas & articulos laxari.

Cur ceruorũ cornua renascuntur. CAP. XVII.

CAusam cur cornua ceruis renascantur Democritus eam dicit, ventrem iis calidissimũ esse, & eorum venas per vniuersum corpus pertinentes esse rarissimas, & os quod cerebrum amplectitur membranæ instar tenuissimum & perrarum esse, indéque ad summum capitis verticẽ crassissimas atque opimas venas exoriri, itaque cibum & huius nutrimentum minime concoctum à natiuo calore in totum corpus eiúsque partes distrahi, idémque ait eis pinguitudinem extrinsecus circunfundi, simul & cibi vim per venas in caput retorqueri, & reflecti, ex eo cornua permulto humore irrigata enasci: continenter enim vicinis ad cadendum succrescentia & influentia summouent atq; expellunt priora, ac sane exortus humor extra corpus

pus durescit ab aëre eum ipsum consolidante, & in corneam duritatem confirmante, humor autem qui etiam nunc intra cutem subest mollis & tener partim ab exteriore refrigeratione durescit, partim ab interiore tepore tenerum manet, quocirca recens cornu enascens, & intrinsecus premens & prodire cupiens vetus tanquam alienum expellit, & sane humor concrescens ad depellendum antiquum infirmus est, at durescens priora extrudere potest, quorum pleraque interno robore extrahuntur, nonnulla arborum ramis circumplicata & feram ad cursum incitatam vi impedientia abrumpuntur, eo pacto vetera excidunt, recentia ad erumpendum parata naturæ munere proferuntur.

De genere bubulo castrato & non castrato.

CAPVT XVIII.

B*Vbulo pecori castrato Democritus ait tortuosa, gracilia, longa nasci cornua, contra testibus prædito enasci secundũ radicem crassa recta multóque minus prolixa, eosdémque latiori quàm alteros fronte esse, nam hic ibidem cum multæ venæ sint ab ijs ossa dilatantur, simul & cornuum eruptio quoniam crassior existat, frontem huic in latitudinem profert, castrato vero quod sede cornuum & initium enascendi perparuum habeat circulum minus dilatantur.*

De bobus cornuũ expertibus. CA. XIX.

B*Oum genus quoddam iccirco cornibus mutilum*

lum est, quod vniuersum caluariæ os nullas commissuras habeat, nihilque humorum confluentium propter duritiem resistentem capiat, & venæ per hoc ipsum os pertinentes propterea graciliores & debiliores sint, quia minus alantur, itemque eorundem, qui à cornibus nudi sunt eo sicciorē ceruicem ac minus fortem esse necesse est, quòd ipsorum pertenues venæ sint, vaccæ Arabicæ propter alētium humorum cōfluxum, qui permultum generosæ propagationis nutrimentum cornibus præstat eisdem excellunt: quæ verò cornibus carent, os humorem capere solitum solidius habent, & haudquaquam hunc ipsum cibi humorem recipere potest, quare vt breuiter dicam, incrementi causa cornibus existit influentia, quam sane plurimæ & craßißimæ venæ plenæ humore quātum ferre possunt infundunt.

Quemadmodum aquila puerum seruauit.

CAPVT XX.

AD animalium naturā pertinet etiam humanitas, & sermonem afferam testem eorum quæ proposui, Babylonijs regnāte Seuochoro, Chaldæi dixerunt filium qui nasceretur ex illius filia regnum ablaturum auo, auus hoc timuit, itaq; puellam diligentißime custodiendam curabat: sed fato quod rege Babyloniorum sapientius erat, parit grauidata ex quodam viro incognito. Hunc partum custodes regis proiecerunt ex arce vbi custodiebatur puella. Aquila cum pueri casum acutißime vidisset

dixisset antequam puer allideretur subijt ipsum, & tergum supposuit, & tulit in hortum quendam & deponit leniter. Horti procurator pulchrum puerum intuitus ipsum nutriuit & appellauit Gilgamum, & regnauit Persis. Quod si hoc fabulosum cuipiam videatur, addam aliud, Achemenē Persam, à quo proficiscitur Persarum nobilitas, aquilæ nutritium fuisse.

De canibus tēpli Dianæ Cretensis. CA. XXI.

IN Creta Rocceas est, ita enim appellatur Dianæ templum vbi canes vehementem in rabiem cadunt, in hanc vbi ceciderint, seipsos ex alto præcipites agunt in mare.

De leonibus cicuribus in templo Adonidis. CAPVT XXII.

IN Aelimæa regione tēplum est Adonidis, vbi leones tantopere cicures sunt, vt eos, qui intra templum ingrediuntur, amplexentur, & adulentur. atque etiam si quis edens appellet, ij tanquam inuitati conuiuæ, accedunt, & acceptis quæ eis præbuerit, moderate discedunt.

De maris rubri hygrophœnice pisce, de lacerto & charace & sagittario. CA. XXIII.

PIscem in mari rubro nasci ferunt, cui nomen hygrophœnix: is nigris lineis quas cæruleæ intersecant maculæ, distinguitur. Eiusdem maris lacertus est, cuius magnitudo ei qui nascitur apud nos, æqualis est, virgatus spectatur, lineis nimirum

aureolis

aureolis circundatur à branchijs ad caudam pertinentibus, quas media argentea distinguit. Ore est hianti, maxilla inferior eminet in superiorem, virides oculos habet, quos aureo fulgore palpebræ ambiunt. Eius item maris fœtura est Charax nuncupatus piscis, pinnas habet, & vtrinque & à tergo auri similitudinem speciémque gerit. Inferiores partes purpureis cingulis illustrātur, similiter eiusdem cauda auri colorem gerit. Purpureus color oculos pulchre adumbrat. Sagittarius in eo mari procreatur, & quoniam herinacei speciem & similitudinē habet, firmis & bene lōgis armatur aculeis.

De hystrice Libyca. CAP. XXIIII.

HYstrices Libycæ seipsas tangentem acerbe pungunt, & earum aculei acerbißimum dolorem faciunt, & cicatrices puncturæ ex earum aculeis apparere aiunt in mortuis.

De Simia maris rubri. CAP. XXV.

EST etiam in mari rubro Simia, non piscis quidem hæc, sed bestia cartilaginea, & velut squammarum expers, eáque ipsa non magna. Colore est terrestri similis, tum aspectu speciem similitudinémque eiusdem terrenæ Simiæ gerit. non pisceo tegmine reliquum corpus, circumuestitur, sed cuiusmodi testudinis inuolucrum est. eadem similiter atque terrestris resima est, eius reliquū corpus instar torpedinis latum est, vt dicas auem esse alas explicantē. Cum natat volare videtur. Cū terrestri

partim

partim conuenit, partim differt, maculis distinguitur, pars illa quæ pertinet ad collum & ad branchiarũ locũ ruffa est, os non habet in summo rostro.

De auibus cantum mutantibus & de thoe.

CAPVT XXVI.

Lvcinia colorem & vocem per æstatem in aliam speciem immutat, neque enim sic cantum variat, distinguit, inflectit, acuit, quemadmodum verno tempore merula æstate quidem canit, at enim hyeme strepit, & quasi vestis mutatione facta ex nigro colore in ruffum conuertitur, turdus vere inspicitur murino colore, æstate vero varietate circa collum coloris distinguitur: & vero pisces ex alio colore in alium mutabiles sunt, vt turdi, merulæ, phycides, menæ, item thoes sicut Aristoteles scribit, æstiuo tempore à pilis nudi, hyberno contrà hirti efficiuntur.

De siluris piscibus. CAPVT XXVII.

IN Bubasto Aegyptia lacus est vbi cicures permulti siluri aluntur & exultantes alij in alios saliunt, & obiecto ad se nutriendos pane pascuntur, ijdem etiam in fluminibus procreantur vt in Cydno Cyliciæ fluuio: sed ij quidem iccirco minuti proueniunt quòd eius confluens nitidus & frigidus sit, quo non ipsi delectantur, sed turbido potius ac plane limoso & gaudent & pinguescunt, & Pyramus quidem atque Sarus cilices fluuij eos longe pleniores ferunt, tum Orontes Syrorum fluuius eos

progig

progignit, Ptolemeus item fluuius & Apamiensis lacus maximos generant: permultis denique locis mansuefacti pisces & se appellantibus obtemperantes aluntur vt in Epiroticæ olim nuncupatæ Stephanepoleos templo, atque in Peloro Siculo olim Syracusiorum propugnaculo, tum in templo Iouis Labradei fons nitidus mansuetos pisces habet monilibus & aureolis inauribus ornatos, quod quidem templum septuaginta stadia ab vrbe Mylasa distat, & ex huius Iouis statua gladius nomine Carius appensus ideo venerationem habet, quod Cares primi officinas belli instituerunt, pecunia militarunt, loris clypeos appenderunt, cristas galeis accommodarunt. Cares sunt appellati à Care Ioue Cretensi, Iupiter Labradeus nominatus quod permultum pluisset in Chio ad portum nuncupatum γερόντων. *Cicurum magnus est piscium numerus, quos Chij ad solatium senectutis exacta ætate affectis alunt, inter Eufratem & Tigritem fons interesse prædicatur cuius aqua vsque ad imam sedem perlucida est, & fluuium nomine Bura aquam albam emittit, vbi piscium mansuetorum greges exultantes errant, addunt indigenæ sermonem sacrum, sermo talis est, Iuno postquam cum Ioue dormisset, hic lauabatur, vt dicunt etiam Syri & in hunc diem locus suauem odorem spirat, & aër in circuitu tali odore temperatur.*

De

De lupo. CAP. XXVIII.

ANimalium vim & naturam ne dij quidem à sua cognitione scientiáque aspernantur. Siquidem Euristenem & Proclem audio cum in matrimonium fœminas ducere constitutum haberent, profectos ad Delphicum oraculum, deum consuluisse, quo cum Græcorum barbarorúmue affinitate deuincti, pulchre & prudenter nuptijs alligati viderentur: ijs deum respondisse, qua venissent, in Lacedæmoniam reuerterentur. Vbicunque porrò terrarum summe ferum animal ferens mitissimum eis occurreret, inde ducendas vxores esse, sic enim feliciter ipsis & prospere processurum esse. Cui oraculo obtemperantes, cum in Cleoneorum regionem venissent, ipsis occurrit lupus, agnum quem alicunde diripuerat portans: ex eo illi coniecerunt, Apollinem de ijs animalibus oraculo significationem dedisse: proinde ipsos Thesandri Cleonymi probi viri filias vxores duxisse. Ergo si probe dij tenent quodnam animal sit mansuetissimum, quódque immanitate efferacissimum, non est nobis horum scientia negligenda.

De serpentibus Indiæ. CAP. XXIX.

INdia multa & varia fert, & eorum aliqua felicis & mirabilis copiæ sunt testimonia, aliqua verò quæ digna non sunt vt laudentur, aut desiderentur, nam multas & diuersas terra India serpentes profert, quæ non solum hominibus, verum-

etiam alijs animantibus perniciose incommodant: eadémque herbas defendentes à venenatorum mor suum pernicie,gignit: ad quarum vsum & scientiam tantopere periti sunt indigenæ, vt quodnam medicamentum cuique serpētium aduersetur, probe teneant: simul & ne acerrima veneni vis celerrime per corpus manet, néue idipsum conficiat, præsens sibi mutuo ferunt auxilium, quod necessarium regio ipsa abunde subministrat. **Iam porrò serpentem quæ hominem interfecerit, Indi vtentes permultis in hanc rem testibus Libycis & Aegyptijs Thebarum incolis dicunt, idcirco subterraneam latebram quia terra sua ipsa sedibus eam nō amplius recipiat, atque quasi gremio suo in exilium eijciat ingredi nequire, sed postea errare, vagari, & plurimis iactatam miserijs æstiuo ac hyberno sub dio ærumnosum omne ætatis tempus degere, neque amplius à coniugibus adiri, neq; ab ijs quos ex se procreauerit parentem agnosci, ergo pœnas diuina prouidentia vindice etiam rationis expertia ob cædes hominum factas dependunt, quod quidem ipsum à me commemoratur vir prudens, vt ex earū supplicio documentum, ne ipse humanam occisionem efficiat capere possit.**

De anseribus. CAP. XXX.

ANseres acrius quàm canes ad custodiā aduigilare Romani planè & explorate perceperunt. cum enim acerrimum bellū Galli eis intulissent

lissent, simul & vi, atque impressione intra vrbem irrupissent, Romámque, præter arcem capitolinam, ad quam difficilis ascensus erat, cepissent, quam etiam fidei suæ permissam custodiebat M. Manlius Consul, qui filium suum, etsi rebus praeclarè gestis & pugna strenuè pugnata, tamen quòd iniussu Imperatoris pugnasset, morte mulctauit. eam tum Galli vndique sibi inaccessam videntes & noctem intempestam ad inuadendos ex insidijs arctissime dormientes accommodatam rati, qua non custodiebatur, ac silentium à custodibus erat, non arbitrantibus inde Gallos inuasuros esse aggrediuntur, ac tum capta arx fuisset nisi anseres interfuissent: nam canes obiectum cibum silentio edebant. At enim anseres, cùm ex eorum natura sit ad obiecta cibaria clamores tollere, & minime ab strepitu conquiescere, editis clangoribus, M. Manlium, & circunfusas custodias è somno excitarunt. Ex quo factum est, vt nunc tam quotannis canes suæ fraudis pœnas Romanis dent, cum ad memoriam veteris eorum proditionis anser certis diebus in honore est apud Romanos, & magna pompa in foro incedit.

Quemadmodũ diuersæ rationes vario more bestiis vtuntur. CAP. XXXI.

H*Aec etiam non à cognitione scientiáque animalium abhorrent, Scythæ ligni inopia quæ dijs immolant eorundem ossibus succensis*

riftum no caudandu coquunt, apud Phryges si quis aratorem bouem occiderit, morte mulctatur. Sagareses quotannis summa aduersus Mineruam obseruantia ei celebrant camelorum certamen, enimuero velocissimi apud eos procreantur. Saracori asinis ad ferenda onera nec vtuntur, neque tamen otiosos, sed bellatores habent, & quemadmodum in equis Græci sedentes, sic asinis hi bellica pericula excipiunt, quod si quis eorum eminentiore, & tumidiore sit dorso, hunc Marti sacrificant. Clearchus peripateticus solos de Peloponensibus Argiuos dicit certis quibusdam diebus, quos illi Arneidas appellant, serpentem non interimere: sin canis in forum ingreditur, eum interficere, in Thessalia verò is qui vxorem ducturus est pro nuptijs sacrificans, equum bellatorē inducit frenatū, atque in omnibus armis instructum, deinde sacrificatione facta equum vxori habenis ducendum tradit, iam porrò id quam significationem habeat, Thessalis explicandum relinquo. Tenedij olim præstantissimā grauidam vaccam alunt, & ei cum peperit tanquam sane puerperæ inseruiunt, pullum recentem natum coturnis induti immolant, qui eum securi percusserit lapidatione facta appetitur, atque ad expiandam occisionem in mare fugit. Erythrienses Dianæ in loco appellato Myrintho sacrificant mutila.

De amore canis in dominū. CAP. XXXII.

Præter ea equidem quæ suprà dixi, intellexi Xanthip

Xanthippi canes domini perstudiosos fuisse eo tẽpore, cum ingenti bello Persarum in Græciam exardescente Athenienses ex oraculis instinctu diuino afflatúque editis,relicta patria, in classem demigrarunt, tum Xanthippi canes vnà cum domino transeunti se ipsi ex Attica in Salamina traiecerunt,hæc dicunt Aristoteles & Philochorus.

De potione fluuij Crathis quo pecora albescunt & de ouibus. CAP. XXXIII.

CONfluentem candidi coloris efficientem Crathis fluuius emittit, nam ouillum & bubulum pecus, & omnis grex quadrupes sicut Theophrastus ait, ex eo bibens, de nigro ruffóue albus fit,boues quoque in Eubœa ferè omnes albi nascuntur,poëtæ Eubœam boum principatum tenere testantur,ἀρχιβοίου appellantes.

De gallo qui vini ministrum amauit, itémque de graculo & apibus. CA. XXXIIII.

PHilo dicit eum, qui Nicomedi Bithyniæ regi pocula administraret à gallinaceo adamatum fuisse,tum graculo formosum puerum in amore fuisse, tum apes amatorio affectu flagrare, ob eámque causam à pungendis hominibus plerísque aculeos sustinere.

De sphinge & alato sue. CAP. XXXV.

SPhyngem alatum tum pingunt, tum fingunt omnes qui in ea arte quæ actionem manuum habet, operam ponunt. Sphingem Aegyptij qui

ſcalpturam exercent, ſuem alatū Clazomenis exortum fuiſſe auditum eſt, qui Clazomenios agros vaſtaret, quod quidem ipſum in Clazomeniorum finibus Artemon confirmat accidiſſe, vnde illic locus decantatus ſus alatus nominatur. Id quod ſi cuipiam fabula videatur, & ego hoc idem non ignorem, tamen de animali dictum facile patior. Agatharcides ait ſues in Aethiopia cornua habere.

De draconibus ophiogenum. CAP. XXXVI.

Aliati mulieri erranti circum lucum Dianæ (erat hic lucus in Phrygia) draco apparuit diurnus maximus aſpectu, & cum ipſa concubuit, vnde appellati Ophiogenes populi à prima origine profecti ſunt.

Quænam animalia apud quoſdam venerationem habeantur. CAP. XXXVII.

Lupum Delphi colunt, Samij ouem venerantur, leænam Ampraciotæ adorant. Cauſas autem cur huiuſcemodi beſtias diuini cultus honore proſequantur, non alienum eſt explicare. Delphis aurum ſacrum furto lectum, direptúmque, & in Parnaſo defoſſum, ſicut dicit Polemon, inueſtigauit lupus. Samijs item aurum furto ſublatum ouis inuenit, quare Mandrobulus Samius Iunoni ouem conſecrauit. Amphraciotæ leænam quòd tyrannū ſuum laceraſſet, & diſtraxiſſet iccirco vt ſuæ libertatis vindicē ſumma religione colunt, Miltiades treis equas Olympiæ occiſas ſepulturæ honore

in

in Seramico affecit, Euagoras, Lacon, idémq; Olympionices equos ad sepulturā magnificētissimè dedit.

De cetaceo genere Gangis. CAP. XXXVIII.

GAnges Indiæ fluuius initium ducens à fontibus, cum per se fluit, & nondum ad alios admissus est, altitudine est viginti passuum, latitudine vero octuaginta stadiorum, cum autem alij in eum influxerunt altus profluit sexagenos passus, dilatatur & diffunditur in quadraginta stadia. Insulas Lesbo, Cyrnoue efficit maiores. Cete procreat è quorum adipe farinæ cōficiuntur. In eo etiā testudines nascuntur, quarum testa non minori magnitudine sit quàm dolium capax viginti amphorarum: generat duo crocodilorū genera: horum alteri nihil nocent, alteri inexorabili atque immisericordi voragine voracissimi sunt cuiusuis carnis: in eorum summo rostro quiddam tanquam cornu eminet, ijs ipsis administris ad vlciscendos maleficos turpissimus indicijs conuictos Indi vtitur: nam eosdem rerum capitalium damnatos crocodilis obijciunt, neque ad percutiendos eos securi, aut ad frangendam gulam eorum carnifice egent.

Qua esca capiūtur nōnulli pisces. CA. XXXIX.

PEritos rei marinæ escam obijcere Leonides dicit coriamum & caron, quibus herbis facile capitur scarus, nam ad eas adnatat & earū suauitate tanquam præstigijs capitur: beta capit mullum. delectatur enim hoc olere.

Piſcandi variæ artes. CAP. XL.

PIſcationis genera dicunt eſſe quatuor rhetia, contos, naſſas, hamos, Retis ars diues eſt & ſimilis caſtrametationi eſt, & piſces eo capti ſimiles captiuis: eget vario inſtrumento ſparto, lino albo & nigro, cypero, ſuberibus, plumbo, pinu, loro, lapide, velo, cornu, naue, ſex remorum tabula, ſcytalide, tympano, ferro, lignis, pice. Rete capit varia piſcium genera, & greges varios & multos. Conti verò ars omnium robuſtiſsima eget piſcatore fortiſsimo, cui adeſſe oportet haſtam rectam, oleum, chordas, ex ſparto confectas, facem piceæ arboris, ſcapha, remigibus fortibus & bona brachia habentibus. Naſſæ piſcatio inſidioſiſsima eſt, & minimè conuenit ingenuis viris, eget iunco, vimine, ſaxo, ramis, lapide, alga marina, cupreſsi coma, ſuberibus, eſca, nauicula. Hamorum ratio ſapientiſsima eſt, & hominibus liberis digniſsima, eget equinis ſetis albis, nigris, ruffis, & medijs cuiuſdam caniciei quibus intertexunt albas aut purpureas: aliæ omnes nō bonæ ſunt, vtuntur etiam ſetis ſuillis & terminto planta, quæ eſt ſimilis lino, & ære plurimo & plumbo & ſparto & pennis præcipuè albis aut nigris & varijs: vtuntur etiam piſcatores rubris & purpureis & ſuberibus & lignis & ferro, & alijs egent, inter quæ eſt calamus ferula & virga cornea & capræ cornua & pellis & alius alio inſtrumento capitur piſcis.

De

De Indiæ elephãtis & equis Libycis. CA. XLI.

INdus & Libycus genere diuersi in hunc sermonem conueniunt, dicit Indus de regione sua, item Libycus quæ nouit quæ vterque decantat commoda ad hunc sermonem hæc sunt: Si apud Indos elephantus robore ætatis confirmatus capiatur, ex feritate ægrè traducitur ad mansuetudinem, & quòd desiderio libertatis teneatur, ideo cædes facit, ac si vinculis deuinciatur & constringatur, magis incitatur animo, neque vllam seruitutem perpetitur. At enim Indi varijs & multiplicibus cibariorum illecebris eum delinire student, ille tamen nihil de acerbitate sua remittens, nihilque ab ijs blanditijs mitescens ijs præclare contemptis pergit eisdem infestus esse. Quid igitur ij cõminiscuntur & machinantur? nempe instrumẽto quodam musico quod Indi scindapson vocant, vernaculam cantiunculam ei canunt, is animum attendit, auremq; ad audiendum erigit, & suauitate illius demulcetur: animi incitatio cõprimitur, tum paulatim in obiectum cibum respicit, & tametsi omnibus vinculis exsoluitur, tamen cantu deuinctus non amplius ad pristinos mores à mansuetudine deficit. Tibiæ quidem cantu vsque eo capiuntur Libycæ equæ vt huius blandimentis ad homines mansuescant & sæuire & insultare desinant, quocunque eas cantiuncularum blanditiæ inuitauerint, eò pastorem consequuntur, cum is insistit, illæ etiam à progrediendo sese

sustinent, quod si cantum contentius excitatum ad tibiam canat, ex eo tanta voluptate afficiuntur, vt lachrymas tenere non queant. Earum pastores rhododaphnæ arboris ramos excauantes pastoritiam fistulam conficiunt, cuius sonoro inflatu armentum antegredientes idipsum demulcent: & Euripides quidem ait, pastores ad fistulam cantitare quosdam hymenæos, qui huiuscemodi sunt vt ad Venerem equas incitent, equos vero ad ineundas fœminas incendant, ac nimirum ad hunc modum equinæ nuptiæ initiantur, & vero nuptiale carmen fistula præcinere videtur.

De amore & musicæ studio delphinorum.

CAPVT XLII.

DElphinorum nationem esse musicæ studiosam, testis amplus Arion Methymnæus, ex statua posita in oppido Tænaro, & Arionis inscriptione deorum immortalium triumphi sunt, Arionem Ciclei filium ex Siculo pelago seruauit hoc vehiculum. Arionis hymnus gratias agit Neptuno, & testimonium affert, quàm studiosi sint delphini musicæ, & velut præmium redemptionis soluit ex hac inscriptione, quæ talis est: Altißime deorum Neptune qui tridentem auream habes, & terram contines, circum te saltant feræ nauigantes, & veloces delphini studiosi musicæ, maris alumni, & Nereidum puellarum quas dea Amphitrita genuit qui me in Peloponesum ad Tænari littus traiecistis

vestris

vestris curuis dorsis inuiam secantes viam, homines marini me ex naue in fluctus purpureos proiecerunt.

Quemadmodum apri & cerui musica capiuntur. CAP. XLIII.

TYrrhenorum sermone peruagatum est apros & ceruos apud eos cum retibus & canibus vt venandi sane vsus ferre solet, tum multo maxime musicæ adiumento capi: quod quidem ipsum quemadmodum fiat, iam porrò dicam. Circuniectis retibus & cæteris instrumentis accommodatis ad faciendas bestijs insidias collocatis homo ad tibiam canēdi bene peritus quo ad eius fieri potest, omnem cantus cōtentionem remittit & relaxat, & quidlibet ad canendum suaue præclare vsurpat, & sensim pedetentimque progrediens in montium vertices, & conualles, atque vt breui explicē, in omnia lustra ferarum & cubilia tibiæ cantu influit, ac nimirum primò in eorum aures influentis soni insolentia ipsos exterret: deinde cùm impotenti volupta te aures tenentur, tum nullo negotio comprehendun tur: cantúsque suauitate permulsi & deliniti in eorum quæ procreauerint & domesticarum sedium obliuionem veniunt, etiamsi feræ bestiæ non à locis vbi versari assueuerunt aberrare solent. Sic igitur Tyrrhenæ bestiæ paulatim tanquā suadæ illecebra ducti tur, & quasi cātu præstrictæ in laqueos sese inserunt quibus illaqueatæ comprehenduntur.

Quid

Quid capti anthiæ piſces faciãt. CA. XLIIII.

Piſces anthiæ cum ſunt capti miſerabile præbent ſpectaculum: mortem ſuam lugere, & quodam modo ſupplicare videntur: ac nimirum quemadmodum homines qui in latrones immiſericordes & cædis auidos incurrerunt, aufugere conantur, ſic ſanè anthiæ retibus inſultantes inſidias tranſilire conantur: qui hoc genus mortis euadunt in terram piſcium hoſtem exiliunt, atque hîc ibidem mortem obire malunt, quàm gladio perire.



ÆLIANI LIBER
decimustertius hiſtoriæ animalium.

De aquila quæ Gordio regnum præſignificauit, & de lupo qui Gelonẽ Syracuſanum ſeruauit. CAPVT I.



Ex aquilæ ſignificatione filium ſuũ nomine Midam Gordius regem fore coniecit, cum ſupra Gordij caput arantis primò volauiſſet, deinde totum diem in iugo ſeſsitare nõ prius deſtitiſſet, quàm is ad veſperam

ram ratione dimisisset. Lupus item maxima magnitudine cum in ludum inuasisset, & de manibus Gelonis Syracusani pueri tabellas rapuisset, Gelon de sella surrexit, & sane quidem feram non timore perterrens, sed tamen acerrimè tabellarum suarum retinens eum insequebatur: postea autē quàm hic extra tabernam ludi literarij fuisset, hæc quidem ipsa labem fecit & repentina ruina concidens pueros vnà cum præceptore confecit, & opressit: solus Gelon diuinæ prouidentiæ munere sodalibus suis superfuit: quod ipsum non eum à lupo occisum, sed potius seruatum fuisse magnam profectò admirationem habet. Non igitur rationis expertia deus negligit: imò verò chara habet, cùm diuino instinctu partim ex his regnum præsignificarit, partim ex impendente periculo seruauerit: ergo bestiarum etiam hæc est vis in amore, vt sint diuino numini.

De sargorum piscatu. CAP. II.

SArgos hoc modo Cares capiūt: Cùm enim molles & remissas auras auster afflat, & ad harenas moderatè & leniter fluctus resonant, tum ad piscatum arundine piscator nihil eget: sed virga iuniperi bene robusta eget, ex qua summa lineam appendit, atque ad hamum accommodat piscem conditum, deinde in piscatorij nauigij puppe sedens insidias tendit, insidiásque in mare demissas leniter mouet simul & ei puer probe tenēs vt sensim pedetentímque nauis impellenda sit, ad terram versus remigat

migat: tum sargi permulti exultantes & gestiētes escam assequi sese ex suis latibulis incitāt, & prosiliunt, atque escæ illecebra allectati, in hamum congregantur, cúmque propius à terra sunt, cibi auiditate capti facile comprehenduntur.

Quemadmodum pisces diuersas sedes & cibos habent. CAP. III.

P*Ermultas sedes commorantium pisces habent, alij enim in saxis versantur, alij ad harenas adhærescunt, nonnulli ad herbas commorātur. nam permultæ herbæ marinæ & variæ habentur: earum quædam musci, quædā algæ appellantur, quædam ampeli, statilæ sunt etiam quæ vocentur, est quædam nomine braßica, nonnullæ vocantur triches, quarum aliæ alijs pastus ministrant, nec piscium quisquam aliam atque eam quam assueuerit depasci attingit.*

De callionymo pisce. CAP. IIII.

D*E rei piscatoriæ bene peritis audire potes ex piscibus quendam esse nomine callionymum, huic Aristoteles ait in iecore magnum fel situm esse, iecur autem ad dexterum latus situm esse: cui quidem rei testimonio est Menander in Mesenia, Facio, inquit, te habere fel callionymo copiosius. Anaxippus itē in Epidicazomeno, nisi moueas & sic vt Callionymi feruere efficias omne fel.*

De marina rana. CAP. V.

N*On animantos partus edit, sed similiter vt aues*

aues ex ſeſe rana marina ouium parit: cuiuſquidem fœtus, vel à partu recentes capite præditi ſunt, tum magno tum aſpero, eámque ob rem cum quippiam metuunt, ipſa intra ſe recipere non quit, nam illam etiam rurſus ſubeuntes, exulcerant non modo cum in aſpectu lucémque proferũtur in exeundo lædunt. Non ergo faciles partus habet, nec fœtibus bona perfugia præſtat. Huius ouum non naturæ ouatæ ſpeciem ſimilitudinémque proprie gerit, cum ſit ſquamoſum, aſperum, & ad tactum reſiſtens, & durum.

Quemadmodum polypi fiunt maximi & expugnatu difficiles. CAP. VI.

TEmporis longinquitate polypi adeò magni euadunt, vt ad ceti magnitudinem accedant, cetaceique generis numerum obtineant. Puteolis oppido Italiæ auditum eſt, polypum cum inuſitata ad corporis molem facta progreſsione ad maximam magnitudinem perueniſſet, egregie ſpreto & neglecto maritimo victu in continentem proceſsiſſe, & terrena pleraque vaſtaſſe & per ſubterraneam ſpecum Puteolanas ſordes in mare tranſmittentem in maritimam domum aſcendiſſe, vbi mercatorum res ſalſamentáque in magnis vaſis eſſent, brachiorum circumplexione primò vaſa ſtricte comprimentem corrupiſſe, deinde ſalſamenta depopulatum fuiſſe. Mercatores verò ingreſſos vbi dolia diſrupta inſpexiſſent, & permagnum earum rerum, quas naui

aduexiſſ

aduexissent numerũ exhaustum deprehendissent, stupuisse, ac nimirum cũ ab insidijs fores integras, tecta ab omni irruptione intacta, parietes non perfossos intuerentur: quisnam populator fuisset nulla coniectura assequi potuisse. At enim cũ reliquias conditorum piscium animaduerterent, eos constituisse ex domesticis audacissimum armatum intus in insidijs ponendum esse, polypum verò noctu ad epulas assuetas adrepẽtem reuertisse, & tanquam athletam aduersarium strictissimè correptum suffocat. Sic flagellis vasa circumplicantẽ perfregisse: eum porrò qui insidias moliretur, etiamsi lunæ fulgore domus illustraretur, omniáq; conspicua essent, non tamen quia solus esset bestiæ metu perterritum hanc aggressum fuisse, sed manè mercatoribus totam rem explicasse. Quod quidẽ ipsum ij audientes ei fidem enarratarum rerum non habebant, deinde ob tantum acceptum detrimentum periculi memoria deposita consenserunt simul ingredi, & congredi cum hoste. Tum alij inusitati & incredibilis spectaculi studio sua sponte, sese auxiliatores vnà in domum illam concluserunt: postea verò quàm sub vesperam in solita dolia fur inuasisset, ex eis partim cloacam obstruebant, partim armis tecti in hostem irruentes gladijs eius brachia abscindebant, cúmque vt frondatores arborum robustissimos ramos secant, sic ij ipsius membra circuncidissent, tandem vix non pauci eum ipsum confecerunt

cerunt

cerunt, atque oppresserunt, & quod quidem admirationem habet, in terra piscem mercatores fuerunt expiscati, huiusque beluæ propriam veteratoriam nobis ostenderunt.

Quemadmodum elephantorum vulnera Indi sanant. CAP. VII.

Eorum quos ceperint Indi elephantorum vulneribus ad hunc modum medicinã afferunt: Aqua primum tepida hæc alluunt, deinde si hæc ipsa luculenter sint alta, butyro vngunt, postea inflammationem leniunt, suillam carnem recenti sanguine madentem & calidam admouentes. Oculorum morbos ad hanc rationem sanant, vt bubulum lac tepefactum infundant, quo hi remedio oculos aperiunt, & magno cum voluptatis sensu sicut homines, vim medicinæ agnoscunt: cæteris quibus tentantur morbis, vinum nigrum medetur. quod si hac medicina ex morbo non liberantur, insanabiles sunt.

Differentia cibi elephantorum gregatiorum & certamini destinatorum. CA. VIII.

Elephantus quidẽ gregarius assuefactus aquæ vtitur potione, ei verò qui ad bellum certat, non ex vitibus confecti, sed ex oryza factitij vini vsus indulgetur, simul & calami & flores eis dantur, atque in prata ad legendos flores, quia suauitatem odorum amplexentur aguntur, ipso enim odoratu flores internoscentes colligunt, atq; etiam hos lectos in calathum inferunt, quem eorum rector

B

ſuſtinet, poſtquam hunc floribus compleuerunt tanquam vindemia facta lauatione ſimiliter atque homines lauti delectantur: vt vero eà vſi eò reuerterint vbi quaſillum floribus plenum reliquerint, expetunt, quod ſi rector afferre tardauerit barritum edunt, neque prius cibum ſumūt quàm ei quiſpiam quos collegerint flores attulerit, eos allatos de quaſillo tollentes ſui præſepis labra ornant, hanc nimirum cibo ſuauitatem ex his bene olentibus comparantes, ſtabulum vbi diuerſantur floribus permultis ſternunt. Indici elephanti nouem cubitorū altitudine, latitudine verò quinque habentur, maximi illic qui praſij appellantur, ſecundi vero ab his exiſtimantur taxilæ nuncupati. Militaris elephantus dorſo ſuo vel nudo tres bellatores fert, alterum dextra, alterum ſiniſtra pugnantem, tertium retro verſus bellantem, ac ſimul quartum manibus moderamina tenentem, ſicque illis animal dirigentem tanquam nauem clauo nauicularium rei nauticæ bene peritum.

Equi Indici ad domandū difficiles. CAP. IX.

INdicum equum exultantem & immoderatius excurrentem continere, & coercere, habenas adducere, vel remittere, non eſt cuiuſuis, ſed hominum qui à primis temporibus ætatis ad rerū equeſtrium ſcientiam inſtituti ſint. Hi freno ipſos ſuſtinere aſſueuerunt, ſimul & refractarium atque effrænè os lupatis refringere, quos quidem equinæ

tract

tractationis bene periti ex indomita effrenatione in exiguum gyrum compellunt, veruntamen ad hunc gyrum agendum atque conficiendum orbem manuum robore opus est, & summa rei equestris scientia: qui huius disciplinæ sunt experientißimi & callidißimi agitatores, currum versare in orbem norunt: quadrigariam facile versare certamen non est contemnendum, præsertim cum duos milites pugnantes ferre queat.

Quẽadmodũ pardales venãtur Mauri. CA. X.

P*Ardales cum Mauri venantur, tales insidias collocant, vt intra ædificatiunculam lapidibus quam primo struxerint, putrescentis iam carnis frustum ex longiore funiculo appendant, deinde ex viminibus & arundinibus ianuã rara structura imponant, vt per arundines fœtidæ carnis odor emanet, & longè latéque vagetur, hunc incensum fœtorem feræ bestiæ sentiunt. Nam quodammodo tetris odoribus delectantur: hunc odorẽ proponit venator vel in agrestibus montibus, vel in vallibus, itaque huius cibi appetitione huc illuc circunferuntur, & tanquam quadam amatoria illecebra attractæ & incidunt in laqueos & infelici esca constrictæ tenentur, & vero illaqueatæ pœnas dant liguritionis & helluationis importunæ.*

Quẽadmodũ à vulpibus lepores captãtur. C. XI.

L*Epores interdũ à vulpibus non tantùm cursu, sed etiam magis arte cõprehenduntur captiose*

enim circũuenire, inducere vulpes probe nouit. Cum enim noctu in leporis vestigiũ inciderit, & sensum ex eo perceperit, animam cõtinens, spiritúmq; comprimens, sensim & pedetẽtim vsque eò leporis vestigijs insistit, quoad in ipso cubili eum deprehendens, tanquam de insidijs securum animi & insperantem capere aggreditur. At enim non hic dissoluto & ignauiter remisso animo, sed suspenso & solicito somnum capit, simul ac primum vulpem aduentantem sensu comprehenderit, de cubili exilit, properans fugam capere, & cursum ad summam celeritatem facit: vulpes item vestigijs eum insequens ingreditur currere. Verùm longam viam vbi hic confecerit, vt qui iam longinquo abscessu contra vulpem superior factus sit, sub dumeta, aliáue fruteta densiora subiens, ex longo cursu, libẽti animo & prolixo se quieti dat: at vulpes euestigiò insequens, ei non concedit ex fuga vt consistat, & laboris requietem habeat, sed ad alterum cursum ex quiete eũ excitat, & agitat. Postea vero quàm incitato cursu is permultum viæ procedens, itinera non minora quàm prius fugerit, rursus vehementer quietem cupit capere: illa verò frutetum quò se is coniecerit vrget, ac radicitus excutiens, ab assiduo cursu non finit conquiescere: itaque is iterum excurrit, illa quoque non se ad insequendum tardans, currere insistit, cum autem continenter ex alio alius cursus hunc vigilijs diu multúmque fatigatum

gatum exceperit, currendo fessus, & laboribus succumbit, & longius procedere desistit: ipsa vero consecuta, eum ipsum non sane cursu, sed longinquitate temporis, & captiosa inuestigatione comprehendit. Iam porrò fœtus suos quum in plureis locos lepus dispergit, hoc pacto arbitrãs à rapinis tutiores esse, tum summo in eos amore flagrat, neque à venaticis modò insidijs de se timet, verum etiam vulpiũ incursiones perhorrescit, nec minus auium impetus extimescit, sed & coruorum, & aquilarũ vocem multo maxime metuit, atque horret: & sane quidem cum his auibus nulla pace cõiungitur, sed sese abstrudit in dumeta, in aliáue fruteta, aut cespites, aut cùm necessitate vrgetur, in quoduis aliud latibulum se abdens contegitur.

Quemadmodum mas lepus parit. CA. XII.

DE *viro rei venatoriæ bene perito, & cætera quàm bono, & à mendacijs alieno, auditione accepi, mares lepores vno eodémque tempore tum alios implere, tum ex sese parere, tum nutrire, nempe qui sint vtriusque sexus participes. Idémq; testabatur aliquando duos, aliquando tres parere: huc etiam addebat, marem semimortuum captum fuisse, ipsum autem prægnantem fuisse, atque in dissecti vtero treis lepusculos ad vuluam repertos fuisse eos primum extractos immobiles fuisse, deinde à sole intepescentes, reuixisse, & eorũ quendam postea respexisse, celeritérque & linguam*

porrexisse, & cibi desiderio os aperuisse: itaque lac ei admotum fuisse, & paulatim alitum fuisse.

Tempora & ventos lepus cognoscit. CA. XIII.

RAtionem tum ventorum, tum temporum lepus plane scit. hyeme apricis locis cubilia idcirco informat, atque imprimit, quòd apricationem vehementer appetit: frigus hostilem in modum declinat, æstate vero, alsioris sedis studio captus ad aquilonē cubitat: temporum commutationes nares ei indicant. Non oculos claudit cum somnum capit, imò verò cùm reliqua membra somnum accipiunt, interea tamen oculi vident. in pastionibus tum nocturnis tum longinquis pabulum inquirit, siue etiā quantum equidem intelligo, vt se exerceat, & pedum celeritatem firmet. viam retrouersus pertinentem cupide amplexatur, cōsuetam sedem omnibus locis antefert, eóque non parum sæpe capitur, quòd assuetum cubile relinquere non poßit.

De leporum velocitate mōtanorum & campestrium. CAP. XIIII.

LEpus quem canes & equi insectātur si campestris sit, celeriore & concitatiore cursu quàm montanus viā conficit propter corporis exiguitatem & tenuitatem: cum enim gracili habitu sit, ipsum celeritate præstare vero proximum est, primum igitur ex terra exiliens saltu fertur, & per dumeta aliáue dēsiora virgulta expeditus perlabitur: tū verò sicubi herbæ sint altæ, & frequentes

tes, ex eis facile sese explicat, atq; elabitur, ac quẽadmodum leonibus caudæ ad excitandas vires magno adiumento esse dicuntur, sic huic aures roboris numina, & vexilla, & cursus incitamenta existunt. Fugiens aures ad tergum retorquet, sicque ipsis tanquam stimulis torporem & ignauiam ne à currendo segnitia retardetur concitat. Iam porrò cursum nec vnum, nec rectum tenet, sed & huc illuc se versat, & vero de recto cursu deflectit, vt exterreat canes, & circunueniat, ad id quidẽ verticulum quo vult iter conuertere, de auribus alteram intorquet, atque inflectit, eáque quasi moderatrice cursum dirigit: neque verò improuidè vno eodémque tempore omneis suarum virium neruulos contendit, sed & impetum insequentis obseruat, & si ad insequendum tardus & segnis sit, nõ omnem suam celeritatem profundit, sed duntaxat canes antegredi maturãs sese integrum seruat, & viribus suis moderatur, ne omnẽ suam currendi facultatem vrgens ex incitato cursu viribus deficiatur: penitus enim cognoscit se ad cursum longè multúmque antecellere, & videt impensius laborare non esse necesse. Quòd si pedum celeritate canis ad conficiendum iter pollet, tum omnibus reuocatis viribus lepus quanto maximo potest cursu fertur cum autem longe multúmque canes anteuerterit, & longo sane interuallo venatores atq; equos reliquerit, tum certe in aliquem tumulum

ascendit, & in posteriores pedes sese erigens tanquam ex aliqua specula, & insectantium certamen prospicit, & quantum equidem existimo eos vt debiliores ridet: pòst ex eo loco intuens se omnia superiora habere, is nimirum quietem & tranquillitatem adeptus ex lassitudine gratè & libenter dormit. Montium incolæ non tam veloces quàm qui in planitie versantur, nisi quando sub montem subiectos habent tractus in planitiem explicatos quo ex montibus decurrant, vnde fit vt tametsi montes incolant, tamen in campis exerceantur, vnde sæpe campani homines eos excitant, atque insequuntur. Cùm autem proximi sunt vt capiantur, campestris viæ breuitatem declinãtes in altiores locos & montosos se conuertunt, in suas nimirum sedes festinantes, iccircóque euadunt, & insperatam salutem assequuntur, quòd canibus & equis montium itinera infesta, atque inimica pedes obterũt, & debilitant, sed eo acerbius canes vexantur, quòd carneos pedes, & minime ad perpetienda saxa resistentes quemadmodum equi vngulas habent, contra lepus conuestitos pilis pedes habet, & duritatis & asperitatis patiẽtes. Iam ex leporibus qui in crebris fruticetorũ & dumetorũ frequentia locis cõmorantur laboris inertia segnes non ad cursum velocitate valent, pedum tarditate ad fugiendum laborantes, nam huiuscemodi opimo habitu & cessatione torpentes currendi insueti sunt, & ad proficiscẽdum longissi-

me

mè ex dumosis locis perimbecilles, ipsorũ ratio venandorum talis est, Primum per frutices perparuulos & minime continenti crebritate densos permeant, densiores vero qui trãsiri nõ possunt transiliunt: veruntamen vbi fruticetum aliud ex alio nexum latißime continuatur ibi hoc ipsum facere coacti cum sint corporis grauitate ad saltum parum valentes, sanè quàm citò lorant, & succumbunt, canes vero ab eis ipsis primùm aberrant, quod non eos propter minutarum arbuscularum frequẽtiam vident, & vero per frutices saliunt, odoris sensu illecti, deinde tandem aliquando visos insequuntur, de contentione currendi nihil remittentes, illi autem ipsi ex continuatione salliendi ad capiendam fugam longiorem remollescunt, & viribus defecti comprehenduntur, atque etiam vt facile sursum versus feruntur, quòd posteriora membra longiora habent, sic sane deorsum versus ægrè ideo decurrũt, quia anteriora cum sint breuiora eos affligent.

De cuniculis. CAPVT XV.

Aliud etiam est genus leporum, natura perparuum, nec tamẽ augetur vnquam, ei cuniculus nomen est: quod quidem ipsum nouatum à me non est, at etiam in conscribenda historia Græci quidam vsi sunt, quod à principio Hispani imposuissent: color huic præter cæteros lepores niger est, caudam item cæteris breuiorem habet, cætera reliquis leporibus cõsimilis est, præter quàm quòd ma-

gnitudo capitis quippiam differt, quia exilius sit, & minima carne præditum, eius vniuersum corpus candidius quàm reliquorum leporum.

Quemadmodum thunnorum piscationem Itali & Siculi nuncupant. CAP. XVI.

THunnorum piscationem Itali & Siculi Cetiã appellare solent, tũ loca quo hi abdi soliti sunt tum magna retia: cæterúmque instrumentum quo captari assueuerunt, cetotheria ideo nominãt, quòd magnos thunnos in numerum reliquorum cetaceorum referre velint. Celtas audio, & Massilienses, atque omnem Aphricam maximis & firmissimis hamis ex ferro confectis thunnos comprehendere solere, de thunnis præter ea quæ antè diximus, iam hoc dixisse satis sit.

De pisce aulopio. CAP. XVII.

QVi circum insulas Tyrrhenicas nuncupatas in maritimis rebus versantur, cetaceum quempiã piscem aulopion appellant, cuius vim & naturam explicare non alienum est. Magnitudine maximum aulopion maximi thunni superãt, at robore aulopios cum illis collatus primas fert: quãuis thynnorum natio fortissima est, & aduersarij aulopij prompte repugnantis primum impetum vi sanguinis consistentis sustinet, quo celeriter dispulso, vincitur. Aulopios verò perdiu pugnam tolerat, ac nimirum contra piscatores decertat, & sæpissime victoriam reportat, sese vrgens, & caput in profundum

fundum deprimẽs. sua enim natura ore ac tanquam ceruice est robusta. Cùm est captus eximia forma spectatur, oculis est patulis, rotundis, magnis, cuiusmodi Homerus bubulos canit: dorso est cæruleo, & ventre candido: à capite ad caudam pertinens aurea quædam linea in orbẽ desinit. Iam quàm insidiosis captionibus comprehendatur mihi sicut auditione accepi exponendum est. Homines ad piscatum prudentes loca vbi domesticas sedes & commorationes arbitrantur aulopios tenere, speculatione præcipiunt & præsumunt, deinde postquam permagnum piscium coracinorum numerum ceperunt, & nauem suam anchorarijs inhibitionibus in stationem compulerunt, strepitum quendam more vespărum faciunt, & coracinos ad illiciendos eos prætendunt, vbi vero ij strepitum exaudierunt & esculentam illecebram animaduerterũt, alij aliunde eò ire pergunt, & gregatim circum piscatoriam errant, atq; eatenus plausu & cibo ad piscatores mansuescunt, siue meo iudicio escæ cupiditate capti, siue quemadmodum piscatores inquiunt suo permulto robore nitentes, vt non ab hominum contactu refugiant, nonnulli ex eis cicures sunt, quos sanè piscatores vt beneficos ab alijs internoscunt, fœdereque cum ijs deuinciuntur, pacẽmque seruant, eos tanquam duces sectantur: alij feri aulopij, quos vt piscatores & capiunt & occidunt, ita à captura masuetiorum qui similes sunt columbis domesticis allicientibus feros

ad

ad retia se abstinent, quasi fœdus quoddam cum ijs sancitum habentes. Nec verò piscator bene peritus quantalibet inopia prematur, mansuetum aulopion prudens & sciens comprehendit: quinimò si eum ipsum imprudens ceperit, non mediocri dolore afficitur. capitur aut hamo transfixus, aut mortifero vulnere ictus.

De psittacis Indicis & reliquis auibus.

CAPVT XVIII.

IN regijs ædibus Indiæ vbi regum maximus illic regna tenẽtium ætatem degit, cùm alia permulta, & magnam hominum admirationem, & nullam comparationem habent, quibuscum sane nec Memnonia Susa, neque tota eorum reip. administratio est conferenda, neque Ecbatanorum magnificentia cum his in cõparatione coniungenda est: etenim illa Persici fastus vanitas si cum ijs comparentur, videri possint, reliqua scriptione percurrere non huius est instituti, sed in hortis pauones & fasiani mansueti aluntur, & plantæ quidem summa regiorum procuratorum cura elaboratæ sunt: enimuero vmbrosa sunt nemora, & pastiones arboribus consitæ, & rami sapienti quadam frondatorum colligatione conserti & contexti: alij enim ex alijs nexi sunt, alij in alios implicati arbores semper virentes, nulla senectute folia amittunt, ex eisque partim sunt indigenæ, partim ex alijs locis Indiæ magno studio importatæ, quæ & regionem ornãt. Oliuam

terra

terra India non gignit, neque aliunde importatam fert. Sunt item aliæ aues ab nexu liberæ, nulláque seruitutis cõditione astrictæ, quæ sua sponte eo ventitantes nidos fingunt, & construunt, vbi etiam psittaci aluntur, & sursum deorsum, vltro citróq; circum regem versantur. Neque psittacum idcirco Indorum quisquam, & si eorũ sit magna illic multitudo, edit, quòd eos sacros putent, & Brachmanæ quidem ex auibus plurimi hunc existiment, quod quidem ipsum nõ abs re se facere profitentur, quòd solus psittacus humanam verborum appellationem explanata oris expreßione, & vocis conformatione imitando consequatur. Atque etiam in his hortis perbella stagna sunt manufacta, vbi maxima magnitudine pisces sicures æuum agitant, nec eos quisquam alius piscatur, quàm regis liberi, qui nondum ex pueris excessere, ipsi enim in aqua trãquilla & non periculosa ludentes & captant pisces, & vero natare discunt.

De capitonibus maris Ionij. CAP. XIX.

IN mari Ionio ad Leucadiũ, & Actium Epirotica loca capitones velut cõfertis turmis frequentes natant, ipsorum captura quæ ad hanc rationem fit, mirifica est, piscatores bini obseruato noctis tempore cum luna silet, nauem cœnati conscendũt, & à terra soluentes, modò mare à tempestate cõquiescat, silentio & moderate remigant, simul & eorum alteruter sensim ac leniter remo nauem impel-

lit

lit, alter recubans suam nauis partem vsque eo deprimit, quo ad eius labrum proxime ad aquam accesserit, capitones, horúmque speciem similitudinémque gerentes mugiles, siue quòd ex nocte lætitiam, & voluptatem percipiunt, siue etiam quia à tranquillitate maris delectantur cauernas & latebras relinquentes, sic ad summam aquam efferuntur, vt ex aqua summo rostro emineant, & natare vsque eo pergant donec ad littus propius accesserint, quod quidem ipsum piscatores postquam perspexerunt, sedata remigatione, & pedetentim accessu ad pisces facto nauigant, vbi vero ex piscatoriæ motione fluctus cieri ac agitari cepti sunt, à terra statim pisces refugiunt, & frequentes in par tem nauis inclinantem & præcipitantem sine retibus innatant, & vero sub potestatem piscantium cadunt.

De maximis cetis, quæ & rotæ appellantur.

CAPVT XX.

Cete immensa corporis mole exaggerata in altitudine maris versantur, & verò fuscinis feriuntur: inter huiuscemodi beluas numerātur quæ rotæ appellantur. hæc gregatim natant, præsertim in dextera Athonis Thraciј à sinu Sigeo nauigantes, in has beluas incidunt secundum cōtrariam continentem ad Artacei nuncupatum sepulchrum, & Achanthæum fretum, vbi Xerxis sectio qua dissecuit Athonem, cete hæc quæ appellantur rotæ,

non

non fortes esse ferunt, earum vertices apparent, longis sunt hirsutæ spinis, vt hæ extra mare emineāt cum remigationis strepitum perceperunt, tum circumuersantur, & conuoluuntur, vt quàm altißimè in profundum sese detrudant, rursusq; ex imò gurgite ad summum sese efferentes reuersiones in orbem faciunt, vnde nomen traxerunt.

De tritonibus. CAP. XXI.

ET si non admodum explicatam rationem ad demonstrãdam tritonum formam piscatores afferre posse dicuntur, magna tamen fama est in sermone hominum sane multorum cete quædam à capite ad medium corporis humanam speciem similitudinémque gerentia in mari nasci. Demostratus in libris quos de piscatu conscripsit, conditum tritonem in oppido Tanagra spectatum fuisse, cætera quidem sicut idem ait fictis & pictis similem, eius vero caput quod vetustate obscuratum esset, & euanuisset non facile intelligentia comprehendi, & percipi potuisse, sed ad solam Demostrati tactionẽ squamas illius asperas & duras dilapsas fuisse. Idémque affert quempiam ex magistratibus Græciæ qui sortitione facta annuum magistratũ gerunt, cum eius naturã exquirere expeririquevellet, paulum quiddam de corio detraxisse, atque in succensum ignem iniecisse, idque ambustum in circunstantium nares teterrimum odorem immisisse: neque verò, quemadmodum inquit, terrenúmne an marinum

num esset animal, coniectura assequi potuimus: sed experientia non bonam mercedem ei reddidit. Is enim paucis post diebus mortuus est, cum transiret strictum fretum & breue. Demostratus dicit Tanagræos illum propter ea mortuum quæ impiè gessisset in tritonem, idque Tanagræos collegisse, ex eo quòd ex mari mortuus relatus saniem emitteret similem odorem redolentem ei, quem pellis tritonis ab ipso combusta retulisset, sed vnde aberrasset, & quo modo illuc expulsus fuisset triton, Tanagræi dicant & Demonstratus post quos reuereor deum dignũ cui credatur. Is est Apollo, qui omnia conijcere potest. Hic dicit tritonem esse alumnum maris monstrum, quare si deus omnia sciens tritones esse dicit, nos de tritonibus dubitare nõ oportet.

De astantibus elephantis Indorum regi.

CAPVT XXII.

ELephantus Indorum regẽ ad forum euntem, primus adorat. huic præest rector, qui illum huius instituti commonefacit, ipsique memoriam disciplinæ instrumenti quo illum moderatur pulsu, atque voce Indorum propria renouat, cuius natura quadam admirabili recondita elephanti intelligentes sunt, tum etiam motus quosdam bellicos edit, velut ostendens, quòd hanc etiam disciplinam seruat. Viginti quatuor elephanti huic regi permanent custodes alternis vigilijs, alij alijs in stationem succedentes tanquã cæteri custodes homines. Sapientia

item

item quadam Indica ad vigiliarum disciplinam erudiuntur, ne inter custodias somnum capiant. Hi igitur ad vigilias agendas præstantissimi excubitores, & à somno inuictissimi, & secundum homines fidissimi illic sunt.

De scolopendra. CAP. XXIII.

Scolopendræ vim & naturam quanto equidem maximo potui studio cum multum, ac diu perscrutatus essem, sic mihi persuasi quoddam etiam maximũ cetum marinum scolopẽdram esse, quam de mari tempestatibus in littus expulsam nemo est tam malè sanus & audax, quin aspicere horreat. Ij qui res maritimas percallent, eas inquiunt spectari flutas, eminentésque è mari, & narium pilos magna excelsitate apparere, & eius cauda similiter atque locustæ lata perspicitur, reliquúmq; corpus conferri potest cum triremi iustæ magnitudinis, non intra aquam abditum, sed per summum mare innatans perspicuum est, atque permultis pedibus vtrinque ordine tanquam ex scalmis appensis natat, quibus remigãs fluctus ciet leniter sonãtes.

Vt sint ducendi canes. CAP. XXIIII.

Xenophon de canibus hæc ait: Per mõtes eos agitari oportere. Sic enim minus libidine incenditur: limites transuersos cultorum locorum, & in liras digestorum eis negotium exhibere, pedúmque offensiones inferre. multo enim idem præstare ait. Per aspera canes agitare: robustioribus

enim fieri pedibus, & ad cursum præstantiores, corpora exercentes: tum verò ad meridiē hos æstiuo tempore agitandos esse. Hyeme per totum diem, autumno post meridiem, vere autem ad vesperam: itémque leporis vestigia multum hyemis tempore procedere, propter longiores noctes, parum autem æstate, quia sint tum noctes contractiores.

Quàm studiosè curat Persarū rex pabulum equorum & elephantorū. CAP. XXV.

EQuos & elephantos animalia ad bellum vtilia Indi æstimant, & fœni fasciculos, quos præsepibus portant, prius regi monstrant esse recentes & salutares, qui si tales sunt, laudat rex; sin minus acerbè punit elephantorum & equorum curatores, neque præterea reliqua parua animalia contemnit: imò verò illa libenter excipit, sibi dono data. Nam Indi nullum contemnunt animal siue mansuetum siue ferum: itaque subditi dono dant eis, quos honoratos habent vt grues, anseres, gallinas, anates, turtures, attagenas, perdices, ficedulas, & appellatas cenchridas, alis explicatis ipsas demonstrant, vt quàm sint pingues ostendant: neque modò in auibus pinguitudinem monstrant, sed etiam in elephantis, bubalis dorcadibus & orygibus & asinis vnum cornu habentibus, quorum suprà mentionem feci, & præterea piscium varia genera donant.

De marinis cicadis. CAP. XXVI.

Est etiam cicadarum genus marinum, quarum maxima paruæ locustæ similitudinem speciémque gerit: veruntamen cornua non similiter atque ille magna, nec aculeos habet: alæ ipsius exiguæ sub oculis existunt similes alis terrestrium. Hominum plerique à cicada marina iccirco se abstinent, quòd sacram existiment. Seriphij in retia vel fortuito delapsam non sanè retinent, sed mari reddunt, atque etiam mortuam flentes, & sordidati humatione afficiunt, quòd eam dicant Perseo Iouis filio, quem ipsi summa religione colunt, consecratam esse.

De hyena, trachuro, thunno torpedine & pulmone piscibus. CAP. XXVII.

Si hyenæ piscis marini, qui hyenæ terrestri gentilis est, pinnam dextram ad hominem somno consopitum admoueas, sane quàm eum ipsum perturbabis: etenim formidolosa secundū quietem spectra videbit acerbáq; insomnia perpetietur. Item si posteaquā trachuri caudā abscideris, ipsumq; in mari liberū remiseris, eam equæ ventrē ferenti appendas, non multò certè post abortū pariet. Iam verò si quis qui nōdū excesserit ex extrema pueritia, thunni sanguine illinatur, non pubescet, hoc idē torpedo, & marinus pulmo efficiunt, nam in aceto putrefactæ eorū carnes & mento aspersæ fugam pilorū facere dicitur. Quid ad hæc Tarētini & Tyrrheni

ſophiſtæ malorum inueſtigatores, conãtes pilorum euulſione ex viris mulieres facere.

De aurata piſce. CAP. XXVIII.

Aurata omniũ piſcium timidus eſt: nam ſub arcturi tempus cum maris acceſſus & receſſus maximè fiunt, & eo altius exaggerata arena ad littus relinquitur, vt naues ſæpe ex omnibus aquis nudæ in terra iaceant, tum piſcatores poſtquam alnorum ramos frondibus conueſtitos paxillorum modo in mucronem acutos in arenam defixere, diſcedunt: pòſt autem rurſus accedens mare ſecum imbellem auratarum multitudinẽ attrahit, quæ vbi æſtus reciprocauit, & receßit in exigua aqua concauis locis retenta relinquuntur, & verò ramorum metu quieſcunt, adeò nimirũ ramos vento agitatos exhorrent, vt ne loco quidem ſe commouere audeant, quamobrem primò cuique magnum meticuloſorum piſcium numerũ capere, & ferire licet, neq; modò ab vſu & doctrina piſcandi instructi, ſed etiam totius piſcationis rudes, atque adeò pueri & fœminæ capere poſſunt.

AELIANI LIBER decimusquartus historiæ animalium.

De scombris piscibus. CAP. I.



N mari Ionio prope Epidamnum vbi Taulātij prope habitant, insula est quæ Athenas appellatur, eam piscatores incolunt, & lacus est vbi scombrorū qui ad consuetudinem piscatorum assueuerunt, & mansuefacti sunt, greges aluntur ijs sane cibaria edenda piscatores iccirco obijciunt, quòd cùm ijsdem fœdus quoddam sanctum habent, atque adeò firma pace deuinciuntur. nam hoc piscium genus ab omni captura tum liberum est, atque ad errandum sine vlla exceptione solutum: tum verò eatenus ætate procedit, vt viuat ibidem ad summam senectutem, nec tamen ætatis tempus ignauiter traducit, neque in suos altores ingratum est. At enim de piscatoribus pastum cum mas acceperit, piscationem capessit, vt se nutricantibus præmium pro nutrimento persoluat, quare ex portu soluentes ad feros scombros gentiles suos natare contendit: ac simul vt ad

eos peruenit, cum ipsis ita continuo tanquam cum aliqua phalange suorum popularium errat, & nimirum cum eiusdem generis sint, non inter se fugiunt: sed simul natant: pòst autem sicures circum feros concursantes in orbem consistunt, & suorum corporum obstructione eos fugari, exitúque intercludentes suorum nutritiorum vt pro ijs quibus expleti cibis fuerint illos remunerentur. Aduentum acerrimè tandiu expectant, dum piscatores eò profecti captorum permultas cædes effecerint, deinde cicures properantes ad portum regrediuntur, atque ibidem intra cauernas abditi à piscatoribus cibaria expectant, quæ quidem ipsa eis quotidie largiutur, si ipsos ad piscatum adiutores, atque amicos fidos habere velint, quod si hominibus ex iecore laborantibus atque ex arcuato morbo ægrotantibus scombrum edendum dederis, ij quemadmodum rei piscatoriæ bene periti docent, ad sanitatem redibunt.

Quemadmodum in finibus vadosis pisces capiuntur. CAP. II.

Sine naßis, hamis, euerriculis hoc pacto pisces comprehenduntur vt homines in piscatorio artificio callidi ad maris sinus vadosos & minimè inaccessos eo tempore cum ij à procellis & tempestatibus conquiescunt: multos mortales adducant, eósque iubent arenam eatenus proterere, & conculcare, quoad ex vehementi pedum impreßione bene alta vestigia faciant, sed ita vt ne ipsa vestigia

gia concidens arena confundat, néue ventorum perturbatione aqua concitetur, non longo interuallo eò ingreßi, in vestigijs impreßis amplos pisces consopitos passeres, rhombos, torpedines, & plerosque alios eiusmodi capiunt.

Quibus rebus commodus sit echinus marinus & terrestris. CAP. III.

AD stomachum hebetantem non parum proficit echinus marinus. etenim eum vel omniũ ciborum fastidio laborantem in pristinæ valetudinis statum restituit, atque vesicam, quemadmodum harum rerum bene periti affirmant, vacuam facit, etsi corpus scabie infectum eo perungatur, ad sanitatem redit, vulnerum sordes cum testis crematus extergit. Cinis terreni herinacei cremati ad piscem admistus, & locis à pilo nudis illitus pilum vt sic dicam à suis sedibus fugitiuum reducit, in vini autem potione sumptus remedium ad dolores renum adhibetur, ad aquam inter cutem datus medicinam efficit, ex eiusdem iecore ad assum solem exsiccato elephantiasis morbi sanatio efficitur.

Vtra maris an fœminæ cornua in genere elephantorũ pretiosiora sint. CA. IIII.

EX elephantino genere cornua fœminæ maius pretiũ quàm maris habere, huiuscemodi rerũ scientia instructi & prædicant, & illa nos docẽt: nimirũ in Mauritania queadmodum quotannis ceruis, sic decimoquoq; anno cornua elephãtis excidere

ſolere: itaque hi in cornua incumbentes vſque adeo ea impellunt & defigunt in terram expoſitam in planiciem, quoad illa ipſa occultauerint: nam præ cæteris camporum patentium æquora & paluſtria amant, deinde locum in quem abſtruſerunt, & repoſuerunt eiuſmodi theſaurum pedibus exæquant & complanant: terra autem quòd ſit feraciſſima, poſt paulum herbam proferens abditorum cornuum aſpectum viatoribus adumbrat. Eorum perueſtigatores, qui ſane ad illorum inſidias & aſtus prudentes ſunt, in eum locum in quē cornua defoſſa ſuſpicantur, vtribus aquam deportant, & verum alium alio ex vtribus diſpertiunt, & diſponunt, atq; ibi commorantur, alius quidem dormiens, alius potans, alius cantiunculam canens ſuam amicam meditatur: quòd ſi ſit iuuenis puer ſocius huius inueſtigationis formoſus, ne mirere, ſi quis eius pudicitiam interea tentet. Sunt enim Maurisij formoſi & magni, & virili aſpectu, & venationi dant operam, & puerorum amore flagrant. Quòd ſi cornua ſint alicubi prope defoſſa, quadam mirabili illecebra ex vtribus ſic aquam eliciunt, vt & vaſa exſiccent & exinaniant, ij autem qui cornua exquirunt, ſtatim ſine canibus ſagaciſſime prædam odorati, locum illum perfodiunt, & optatum conſequuntur: ſi verò vtres permanſerint pleni, eos inde transferentes aliò ſe conferunt.

Eleph

Elephantus duplex cor habere dicitur. CA. V.

DVplici tum corde tum sensu animi elephantus esse dicitur, & altero quidem ira incendi, altero mitigari, & leniri Maurorum sermonibus peruagatum est, iidémque celebrant lynces, & ipsas dicunt magis esse simas quàm pardalim, & summas aures habere hirsutas & saltu maxime valere, & quæ cōprehenderint fortißime cōtinere.

De magna struthione. CAP. VI.

IN struthionis ventre cum is à sordibus expiatur, lapides inueniuntur, quos hæc posteaquam deuorauit in omaso prope reticulum diu asseruatos concoquit. Ii sane ad efficiendam oculorum medicinam salutares sunt, atque illius adeps & nerui auxilium & salutem neruis hominum afferunt: eadémque in cursu deficiens laßitudine comprehenditur ab equitibus. Etenim in orbem currenti ei orbem præcidentes equites currendo defessam ipsam assequuntur. Ad hunc etiam modum capitur, pedibus sanè sabulum architectans in solo humilem nidum fingit & construit, cuius medium concauum efficit, labra nidum ambientia altè exaggerat, ac tanquam muro circumunit, vt munitio eminens pluuiam in nidum influere, & pullos etiam nunc teneros alluere prohibeat, amplius octoginta oua ex sese parit, non tamen vno eodémque tempore ex ouis pullos excludit, sed ex his partim iam in lucem proferuntur, partim intra oua informantur,

& cōglutinantur, partim etiam fouentur: cum autem ipsam sic incubantem, vir eius venationis bene peritus animaduerterit, peracutos ex ferro cuspides, spiculorum more rectas circum nidum defigit, & alicubi prope in occulto latens ex insidijs rei euentum acerrime expectat: struthio verò quoniā amore quem erga fœtus suos acerrimum habet, flagrans, sitienter cum eis versari cupiat ex inquisitione pastus reuertitur, ac nimirum priusquam in nidum introeat, huc illuc versans oculos circunspectat, quòd metuat ne quis sese speculetur, deinde ardentißimo pullorum studio victa, etsi ferrum splendescit, ita tamen alis paßis tanquam velis contento fune explicatis intra nidum miserabiliter ingreditur, nam cuspidato ferro transfixa acerba morte afficitur, venator vero repentinus eò accedit, & simul cum matre pullos capit.

Quemadmodum in flumine Eretæno Vicentinorum anguillæ capiuntur. CAP. VII.

Oppidum est Patauium pertinens ad loca Italiæ ad occasum vergentia: Antenoris Troiani opus esse dicunt, quod condidit ex interitu patriæ seruatus, cùm Ilio capto Antenoris periclitantis Græci rationem habuissent, & incolumen dimisissent: quòd Menelaum cum Vlysse Helenæ causa legationem obeuntes contra Antimachi consilium ipsos necandos ducentis seruasset. Huic igitur oppido vicina est Vicētia quam alluit Eretænus fluuius

fluuius, & decurso non paruo terræ spatio influit in Eridanum. In illo Vicentinorum Eretæno maximæ anguillæ nascuntur, pinguiores aliis quæ alibi sunt, & capiuntur ad hanc rationem, Homo piscandarum anguillarum vsu peritus ad sinuosum locum vbi latius confluens dilatatur in saxis ex aqua eminentibus, vel in arbore radicitus ventorum turbinibus extirpata & iam putrescenti, sedens perpinguis intestini ex agno recenter occiso tria aut quatuor cubita patentis alterum caput in aquam deiicit, quod aquæ vorticibus agitatũ voluitatur, idémque illius alterum extremũ manibus tenet, in quod quidem ipsum arundinis frustum perinde longum atque gladii capulum insertum est: neque vero diu anguillas esca latet, quin continuo earum prima quæque fame stimulata, hianti ore atque imminenti hamatos ac vncinatos dentes suos in idipsum intestinum defigit, atque hoc idem crebra insultatione detrahere conatur: at enim piscator anguillam intelligens ad fluctuans intestinum inhærescere, arundinem ad quam alligatum est intestinum, ori suo admouet, & quoad potest intestinum inflat, quod quidem ipsum defluenti hominis aspiratione & impletur, & penitus intumescit, & ventus in anguillam illapsus ipsius fauces opplet, atque anhelitum eatenus obstruit, vt ea non queat respirare, neque infixos dentes retrahere, quare suffocatur & captiua subtrahitur.

De leone marino. CAP. VIII.

Leo marinus similis est locustæ, sed tenuiori est habitu: eius partes nonnullæ extra crustam eminentes cæruleo colore distinguntur: forcipes eius maximæ sunt, & cancrorum speciem similitudinémque gerunt. A piscatoribus bene peritis membranas quasdam habere dicitur appensas ex crustis & colligatas, sub quas subiectæ sunt molles carunculæ, & teneræ, quæ leonis adeps appellantur. Is ad hoc ipsum homines adiuuat, vt squalidam, atque horridam faciem ad nitorem adducat, rosaceo delibutus & in vnguentum conformatus formæ pulchritudinem conciliat, & candorem enitere facit. Id etiam auditione accepi, terrenum leonẽ summe timere marini aspectum inusitatum, neque eiusdem odorem ferre: itémque leonem terrestrem dicunt marini leonis extritarum crustarum puluerem in aquam infusum bibentem à ventris morbo liberatum iri.

De asinis Mauritaniæ. CAP. IX.

Maurisij asini primum vt se in viam dederunt, incredibiliter incitata celeritate iter conficiunt, vt euolare non excurrere videantur: deinde eos citò fessos de via & pedes & spiritus deficiunt, & pedum tarditate ad currendum cõstricti insistunt, & acerrimas profundunt lachrymas, non tantopere (meo iudicio) ob futuram mortem, quàm ob pedum infirmitatem, quare vt captiui ad

equos

equos alligati trahuntur.

De Libycis bobus. CAP. X.

Libycorum boum tanta est innumerabilitas, tanta item celeritas, vt vnum insequentes venatores interdum fallantur, quòd nimirum in alios feros incidat, & ille interim sub dumeta, saltúsue subiens se subducat: alij autẽ similes exoriantur, & venatorum oculos fallant, quorum quempiam si quis ingrediatur insequi, ne equo quidẽ, sed fessum longinquitate temporis comprehendet: conficiuntur tamen, quotannis multi & moriuntur, sed eorum soboles permulta restat. Promiscuè errãt cum vitulis tauri, & vaccæ tam grauidæ, quàm non grauidæ. Quòd si quis vitulum adhuc tenerum ceperit, & non statim occiderit, ex eo duplici commodo afficietur: nam præterquam quòd & ipse commoditatem affert, matrem suam in captiuitatem inducit: postea enim quàm venator vitulum fune alligauit, ab eo secedit, illa filij desiderio inflammata, tanquam asylo stimulata fertur, cupiens dissoluta reste eum adducere, ac nimirum cornua compingit, vt vinculũ laxet, & distrahat: at enim cornibus in funis complicationem insertis vnà cum vitulo constricta tenetur, cuius iecur & vbera adhuc ob copiam lactis extensa cum venator excidit, & pellem detraxit, carnes relinquit auibus & feris, vitulum domum portat: est enim suauis cibi.

De

De dracone marino. CAP. XI.

DRaco marinus alijs piscibus reliquo corpore assimilis est: at similis est draconi terreno capite & oculorum magnitudine. Magni enim sunt & pulchri. Maxillæ etiam illius formam similem quandam habent cum terrestribus. Habet squammas sed duras: adeò vt palpanti non videantur longe abesse à pelle draconis terreni, simul & aculeis armatus est grauibus & venenatis & tangentibus perniciosis.

Quæ bellaria edit rex Indorum. CAP. XII.

VT Græci pro bellarijs comedunt palmas humiles, ita rex Indorũ in vltima mensa prandij loco bellariorum edit vermẽ quendam in planta natum, leuiter tostum, suauißimum vt Indi dicunt, & magnam voluptatem regi afferre aiunt. Iam verò quod addunt regem Indorum edere etiam oua struthiocamelorum & anserum nõ improbo, quod autem oua edit cycnorum Apollini seruientium, & cantu valentium vt fama est: non amplius mihi sunt amici Indi insidiantes cycnorum soboli, dum illorum oua perdunt.

De dorcadibus & cemadibus. CAP. XIII.

DE Libycis dorcadibus & cemadibus animus est mihi nunc dicere. Dorcades quanquam velocitate sunt mirabili, tamen inferiores sunt in currendo equis Libycis, capiuntur etiam retibus: earum aluus nigris vittis distinguitur, reliqui

qui corporis color rubet, & pedes quidem eis longi sunt: cornibus caput ornatur, oculi sunt nigri, longissimæ aures habentur. Cemas à Poëtis nuncupata turbinis instar celerrimè fertur, flauis pilis spectatur: cauda est tum pilosissima, tum exalbens, eius oculi cyaneo colore tincti videntur, aures peraltis pilis refertæ, neque modo in terra pedum celeritatem ostendit, sed etiam cum in fluuij confluentem inciderit, vngulis pedum remigans fluctus perrumpit, & verò in lacubus natare gaudet, vnde sibi pastum cōparat, virides iuncos, & cyperū depascitur.

De myrone pisce. CAP. XIIII.

PIscem esse accepi nomine myronem; vnde nomen duxerit haud equidem scio, dicunt ipsum esse marinum serpentem: ac si illius vtercunq; oculus erutus pro amuleto gestetur, liberat hominem à sicca ophthalmia, ac alterum oculum huic renasci loco eruti aiunt, sed oportet viuum dimittere, vel frustra illius oculum geris amuletum.

De feris capris. CAP. XV.

CApræ feræ ad summos Libycorum montium vertices commorantur, ad boum magnitudinem accedunt, mētum ipsarum, armi & crura luxuriosis pilis diffluunt & redundant, tibijs paruis, frontibus rotundis, oculis raris, & concauis, non valde proiectis sunt, cornibus post primū exortum vtrisque ab alteris longe auersis, & aberrantibus, & incuruis: non enim similiter atque aliarum caprarum

prarum recta existunt, sed eatenus retorquentur, vt ad armos pertingant. Ex capris longè maxima ad saliendum habilitate sunt: nam ex cacumine in aliud longe distans cacumen transiliunt, & tametsi sæpe earum quæpiam dum est in vno vertice, in alterum saltare contendit, ob nimiam interuallorum distantiam, per prærupta saxa præceps agitur, nihil tamen læditur: sic est aduersus saxorum duritiem membrorum resistenti firmitate, vt nec cornua frangat, nec caput diminuat. In summis montibus plurimas solertia quadam captandi caprarŭ generis nimirum vel iaculis, vel retibus, vel laqueis à doctrina artis venaticæ instructi comprehendunt. Iam in patentium camporum æquoribus quilibet vel tardus pedibus eas, quòd ibidem non valent ad fugiendum, capere queat. Earum pelles & cornua aliquot commoditates habent: nam in frigidis tempestatibus ad vim frigorum, atque hyemem excipiendam pastoribus & fabris materiariis pelles mirificè prosunt: cornua ad hauriendam de præterfluentium riuorum confluentibus, aut è fontibus potionem ad depellendam sitim non minori vsui habentur, quàm vel calices ipsi: tanta enim capacitate sunt, vt in bibendo respirare sit necesse: ab homine expoliendi bene perito purganda intus sunt cornua, quorum alterum treis mensuras capere potest.

De montana testudine. CAP. XVI.

TEstudines Libycorum montiŭ incolæ testam habent

habent ad conficiendos barbitos commodam.

De hippomane. CAP. XVII.

CAruneulam vnà cum pullo enatam alij in fronte insitam esse, alij ad lumbos, alij ad genitalia adhærescere aiunt, eam sane nuncupatam hippomanes primum vt ex sese equa peperit, continuò deuorat, & dei benignitate misericordi in equinam stirpem occultat, ne si vt ferunt, idipsum vsq; ad extremum vitæ diem pullus semper insitum in se perseueraret habere, ad effrenationem impotentis veneris tam mas quàm fœmina rueret. At si hoc hippij Neptuni & Mineruæ hippiæ donum equis datum, vt equinum genus permaneat, & ne libidinis rabie funditus pereat, quod quidem ipsum penitus cognitum pastores habent, ac si quando ad moliendas alicui amatorias insidias egeat, vt ipsum ad cupidinem veneris inflamment, diligenter obseruant quando equa ventrem ferens pariat, atq; statim à partu pulum à pullo abscindunt, & in equæ vngulam inijciunt: nam in hanc abditum, & cōditum optimè seruatur, simul & pullum quoniam ipsum postea nō lactaret mater illa insigni & propria beneuolentiæ nota carentem exorienti soli immolant, nam ideo pullum vehementer amare ingreditur, quòd illam deuorarit carunculam. Iam quicunque per insidias carnem illam gustauerit, effrenata & præcipite amatoria libidine cōstrictus tenetur, furit, & perbacchatur, & vociferatur, atq;

effrenatus ad omnem muliebris ſexus ætatem cupiditatis adijcit oculos, ac morbum teſtans obuijs omnibus quemadmodum conflagret amoris flamma exponit, tum ex eo illius corpus diffluit, & extabeſcit, quod veneris inſania animus exagitetur. Equam olympiæ ex ære excitatam eſſe accepi, ad cuius conſpectũ equi amatores adhinniant, ac amoris furore incitati cum ea geſtiant venereo complexu implicari, quod abſtruſa quadam artificis machinatione hippomanes reconditum intra æream ſtatuam equos alliciat, neque enim eſt tam diligens fabrica vt ex ea equi eatenus fallantur, & inducantur, vt tantopere ad illius conſpectum in venerem ſtimulari debeant.

De piſcibus qui viuunt in feruente aqua.

CAPVT XVIII.

IN Aphrica feruentis aquæ lacus eſſe dicitur, in quo piſces & viuere, & natare dicuntur, & ad obiectum cibum adſilire: ac ſi quis in frigidam eos iniecerit, auditione accepi ipſos interire.

De hippocampo. CAP. XIX.

REi piſcatoriæ bene periti homines dicũt hippocampi ventrẽ in vino decoctum & liquefactum ſi quis dederit cuipiam bibere, eum primò ex ea potione acerrimo ſingultu affici, deinde tuſſire, & ſicca quidem tuſſi vehementer torqueri: at enim nihil excreare, ſed & ſuperiorem ei ventrem intumeſcere, & calidas fluxiones in ſummũ caput

caput efferri, & verò per nares minutatim deflue re, ac pisculentum odorem reddere, simul & oculos eius sanguine suffusos ignei coloris flagrantia laborare, & eorundem oculorum genas inflari, & vomendi quidem cupiditate ardere ferunt: verùm nihil emittere: quod si natura euicerit, hunc tamen periclitata prius morte in obliuionem & dementiam incurrere: sin in ventrem inferiorem delapsum fuerit, ipsum omnibus iam membris captum è vita excedere, ex morte verò qui euadunt, mente capti aquam summo studio persequuntur. **Hanc** *enim ipsam iccirco expetunt aspicere, tum stillantem & scaturientem audire, quod sane eis ægritudinis leuationem afferat, & somnum conciliet. Itaque ad perennes fluuios, aut ad littora, aut iuges fontes, aut lacus commorationes eis gratæ sunt, & iucundæ: cùm tamen non magnopere desiderent bibere, sed & ipsum natare, & pedes aqua alluere eis plurimum iucunditatis affert. Sunt qui non hæc mala dicant huius bestiæ ventrem creare, sed hippocampum algam quandã acerbißimã ex qua ita afficiatur depasci: veruntamen solertia veterani piscatoris, & ad res maritimas bene prudentis salutaris étiam repertus est hippocampus: is & Cretensis erat, & filios admodũ adolescentes piscatores etiam habebat. Accidit igitur vt hic piscator hippocampos simul cum aliis piscibus caperet, & adolescentes à rabida canicula morderentur, cum*

eorum in Methyna Cretensi ad littus iacentium vicem dolentes spectatores interficiendam caniculam censerent, & illius iecur medicamentum ad rabiem edendum iuuenibus dandum esse: alij consulerent à Diana Roccæa salutem petendam: senex piscator eos de consilijs quæ afferrent laudatos dimisit, & hippocamporum exenteratorũ alios assos eis comedendos dedit, alios in acetum & mel contriuit, ijsque morsus vlcera obligauit, atque hominum adolescentium rabiem vicit, eósque ad incolumitatem tandem restituit.

De caniculis fluuiatilibus. CAP. XX.

MVlta ante de canibus marinis diximus. Fluuiatiles caniculæ terrestrium canum paruulorum speciem similitudinémque gerunt, hirsuta sunt cauda, earum sanguis aquæ & aceto mistus intumescentes hominum neruos lenire existimatur, atque ex pelle ipsorum calcei conficiuntur, qui neruis salutares esse dicuntur.

De thymalo pisce. CAP. XXI.

PIscem thymalum sic nuncupatum Ticinus fluuius Italiæ procreat. Is ad cubiti magnitudinem accedit, & lupi & mugilis communem & mediam speciem similitudinémque gerit, eius capti odor non indignam admirationem habet: non enim vt cæteri pisces pisculentum quendam mittit odorem: imò verò existimes te eius gentilem herbam nuper ex terra lectam manibus tenere: tanta odoris

suauitate

suauitate flagrat, vt qui eum ipsum non videt gratissimam apibus herbam vnde nomen duxit intus esse putet. Reti facile capi potest, vt esca & hamo non facile ipsum capies: non suillo adipe, non chamis, non alterius piscis intestinis, non strombis, sed solo culice bestia noctes & dies homini infesta, quòd hac sola delectetur comprehensibilis est.

De xiphia & aliis piscibus Danubij. CA. XXII.

INitium Europeorum fluminum maximi Danubij ad septentriones ventos sub alpium radices subiectum contra solis exortum à non magno fonte nascitur: deinde simul permulti tanquam stipantes indigenarum fluminum regem exoriuntur, & eorum confluens cõtinuatus, & perennis est, quorum nomina qui eiusmodi fluuios accolunt, plane sciunt. Ij postquam in Danubium influxerunt primigenio nomine appellari desistentes, Europæ fluuiorum regi de suo nomine decedunt, atque ex eo nominati simul in Euxinum defluunt. In hoc flumine piscium diuersa sunt genera, coracini, myali, antacæi, cyprini nigri, hi quidem, & porci, & hesychi aspectu albi, percæ, & xiphiæ, qui conuenientissimum nomẽ habent, cum enim omni corpore teneri sunt, & tactu suaues, & grati, tum omnino nec obliqui dentes, neque immanes spectantur, nec sic horret spina in dorso quemadmodum delphinorum, nec in cauda, sed quod magnam vel audientium vel legentium admirationem moueat, sub naso

ex quo respirat, & fluctus ipsi diffluit in brãchias in mucronem rostrum procedit, & rectum porrigitur, sensimque & leuiter in longitudinem & crassitudinem augetur, & cùm ad cetaceam magnitudinem peruenit, illius mucro triremis rostro similis est: neque modò cum cibi inopia vrgetur, mucronati rostri incursu pisces interficit, atque exest & conficit, sed etiam maxima cete propellit, & vlciscitur, non quidem armis ex ferro confectis, sed natura comparatis, vt ij qui magnitudine processerunt, contra nauem mucronem in eam defigẽtes venire audeant. Quidam gloriantur se spectauisse nauem Bithyniæ in littus expulsam atque eiectam vetustate aut vacuitate oneris, atque in eam gladij caput. infixum inspexisse, cuius cum in nauem mucronem suum defixisset, & nullis viribus ipsum retrahere quiuisset, corpus colli neruis retentum fuit, & rostrum infixum vt à principio inciderat remansit. Capitur in mari & Danubio, quòd & salsa, & dulci aqua delectetur.

De canicula pisce. CAP. XXIII.

S*Vmma æstate caniculæ & cæteræ maris bestiæ quibus innata audacia est, ad prærupta maris littora accedunt, & in angustos & profundos sinus & freta innatant, & pelagias sedes & commorationes fugiunt, & pelagiam pabulationem contemnunt, in saxis in imam maris sedem inhærescentibus phycos nascitur, cuius magnitudo instar*

instar miricæ est, similem fert papaueri fructum: alio anni tempore conclusus manet, hic fructus & durus est testæ modo, post tamen solstitium æstiuum panditur, vt in rosarijs calices & ambiens inuolucrum testaceum id quod custodit intus ruberrimum est, at eius tunicula cærulea, & laxa, vt inflata vesica, ex hoc inuolucro perniciosum pharmacum manans, noctu igneum splendorem & scintillas quasdam iaculatur, sub caniculæ exortum huius pharmaci malitia magis magísque ingrauescit, ad eius floris speciem flammeam marinæ caniculæ noctu incurrentes partim huius pharmaco epoto, partim alluenti, partim in branchias influenti moriuntur, ac quàm mox in summa aqua fluitant. Qui bene periti sunt in hoc inuestigando pharmaco, ex ijs cetaceis aliud ex reliquis membris, aliud ex ore piscis colligunt, & id quidem perniciosum, huic frutici cynospaston nomen terrestris aglaophotidis imposuerunt.

Quemadmodum Istrianus silurus capitur.

CAPVT XXIIII.

M*ysi non ij qui Telephi Pergamum incolunt, sed inferiores qui ad pontu prope Scythiam accedunt, quíque munitis natura locis Scytharum incursiones propulsant, prope Heracleã & Tonin*

intelligo vbi Medæam indigenæ celebrant, illud facinus Apsyrtum fratrum sceleratis manibus ausam fuisse. Mysi igitur talem piscandi rationem tenent, vt Istrianus piscator ad Istri ripam boum par impellat, non ad arandum: nam vt in sermonem ho minũ venit, nulla boui cõmunitas cum delphino intercedit: sic piscatoris manibus vnde amicitia cum aratro? sed ad piscandum potius, iugatos boues aut equos in ea loca primum impellit, vbi commodam piscationẽ arbitratur, atque ad ripam iumentis pabulũ apponit, vnde interea hac complentur, postea funis bene robusti alterũ caput ad medium iugum alligat, ex altero capite hamũ appendit, quem asso tauri pulmone instructum ad illiciendum silurum deijcit, ex linea ad quam hamus alligatus est, quantum satis est plumbi ad moderandum tractum appendit, vbi silurus bubulæ escæ sensum percepit, statim imminenti ore escam appetens hamum incaute deuorat: quo transfixus ex eo euadere cupiẽs, omnibus viribus funem exagitat, & affligit: quod quidem ipsum animaduertens piscator, cum summo gaudio quàm mox à sessione exsurgit, vt histrio in comœdia, ita ille aratoris deposita persona, se transfert ad piscandi munus, & boues equósue admotis stimulis incitat, ac iumentis cum cetaceo bene robusto luctatio est: nam hic Istri alumnus omni virium contentione in altitudinem deprimit, illa contrà retrahunt, sed piscis vincitur ex amborũ tractu, atq;

in

in ripam boum iugo expellitur. Homeri studiosus diceret roboris truncum trahere mulos quosdam, vt in Patrocli sepultura canit Homerus. hæc sane alicubi decantata.

Quemadmodũ ex Istro conglaciante pisces capiuntur & de natura antaceorũ. CAP. XXV.

Est etiã Istro sinus adeò profundus & latus, vt mare esse videatur, in quẽ onerariæ naues mare transmittentes ad vsum accolẽtium insinuantur, atque appelluntur: itaque tempestatibus cum is quatitur, quemadmodum mare inhorrescit. Sunt etiam in eo insulæ & recessus quidam in quos refugere licet, & crepidines riparum bene eminentes quibus cum æstus reciprocatur, fluctus refringuntur, atque eodem velut in angustias compulsi in mare retunduntur: hoc ipsum ineunte hyeme fieri solet, tum enim hunc augescẽtem boreas impellit & concitat, hic adeo duram glaciẽ defert, vt hæc vecturas omneis sustineat: contrà acerrimus boreas flans huic resistit, & sic in altitudinem deprimit vt bene penitus conglaciet, & eius confluens vijs occultis infra delabatur, glacies campi patentis æquor esse videatur, ac nimirum homines vel equis insidientes, vel iugata iumenta agẽtes iter faciunt. Qua ratione experitur & deprehendit glaciem Thracij Strymonis scelerata bestia & vulpes, antè dixi. Glacies Istri nauem onerariam in confluente versantem tantopere circũligat, vt nec passa vela,

nec gubernatores opus sint, quòd ea glaciei vinculo constricta tenentur, nec sane nauis esse videtur: non enim amplius fluctibus verberatur, sed in magna planicie tumuli, aut cuiusdam speculæ similitudinem speciémque gerit. Vbi nautæ exsiliunt in flumine excurrentes, plaustrísque onera transuehunt, tum glaciem in orbem perfodientes puteum excauant, vt vel putei, vel maximi dolij os esse videatur: permulti pisces lucis desiderio ex glacie tanquam ex tecto effugere cupientes in apertum os innatant, eodémque frequentes congregantur, vt inter se trudãt, vbi vt in stricto scrobe cùm permulti alij pisces facile capiuntur, tum plurimi cyprini, & coracini, & percæ, & xiphiæ, qui necdum confirmata ætate, nec mucronato rostro existunt, & antacei & ij quidem teneri: nam qui ætate processerunt ad maximi thunni magnitudinem accedunt, ij sane pinguissimo abdomine sunt, vt eius ventrem lactantis scrofæ suos fœtus vbera dicas. Pellem habet asperã, & hac poliunt hastas fabri hastarum. Ab illius capitis vertice ad caudam mollis & stricta membrana pertinet, quam ad assum solem exsiccatam flagellum ad concitanda iumenta efficere possis. Cùm est iusta magnitudine, sub glaciem subiens nunquam ad caueam peruenit, sed aut sub saxa subijcitur, aut in imam harenam ad vitandum frigus abditur: nam id temporis cum gelidum est flumen, & perfrigida tempestas nullis nec herbis, nec

piscibus

piscibus vesci necesse habet, tantum inertia laboris gaudet, & alitur ex pingui suo succo. Et quemadmodum polypi cùm præda destituuntur, brachia sua circunrodunt, sic is suam pinguitudinem exedens viuit. Ineunte vere iam liberè fluente Istro odit ignauiam, itaque sese ex latibulis ad summam aquam incitans, aquæ spuma expletur, quæ multa esse solet vbi fluxus & magno murmure rapidus fertur. A piscatoribus ad hunc modum insidias ei molientibus facile ibidem capitur, vt hamus cum linea in spumam demissus sub alborem occultetur, & ferri splendor minime perspicuus sit, is tum ore hiante atque imminente liguriens insidiosam escam deuorat, ex eóque perit vnde prius alebaur.

Quomodo canis opera extrahunt herbã appellatam cynospastum & aglaophotida.

CAPVT XXVI.

Nomen plantæ cynospastos est, eadem etiam aglaophotis appellatur, volo exponere, eius vim recordatus eam esse hac natura præditam: interdiu enim inter alias herbas latet, omninóque non est conspicua, noctu apparet & enitescit vt stella: flammeo enim colore similis est igni, cuius radicibus signum aliquod vbi defixerunt, discedunt. Colorem de die non vident, neque eius speciem: at postquam nox abijt, ad locum accedunt vbi signum reliquerunt, quod conspicati & agnoscẽtes id esse quo egẽt: nam alioqui nihil differt de die ab alijs herbis:

non

non extrahunt ipsi hanc plane neque effodiunt: nam aiunt eum qui primus propter imperitiam ipsam attigisset, quàm mox mortuum fuisse. Itaque canem illuc ducunt aliquot dies nullo cibo pastum & valde esurientem, eúmque simul & aglaophotidis scapum longo fune alligant, & cani carnes multas assas olentes apponunt, canis fame flagrans & nidore carnis impulsus ad propositas carnes radicitus plantam subtrahit: ac si radices eius sol aspexerit, statim canis moritur, ipsúmque sepeliunt in ipso loco, & arcanis sacris quibusdam factis cadauer canis, vt qui pro ipsis mortuus fuerit honorant, deinde tangere plantam audent prædictam, & domum apportant, & vt aiunt cum ad multa vtiliter vtuntur, tum lunaticos sanare illam aiunt, & oculorum morbum qui humore redundante visum oculis eripit.

De nerite cohlea marina. CAP. XXVII.

Cochlea marina magnitudine exigua, formæ pulchritudine eximia spectatur, eo maris vbi sordium vacuitas est, & tranquillitas viget, & in saxis ad imam sedem maris adhærescẽtibus nascitur, hæc nerites appellatur. De ea duplex est sermo, & vterque mihi cognitus est, exigua quædam fabulosa narrare in longa historia, nihil aliud est, quàm recreare auditorem. Nereum marinũ quinquaginta filias sustulisse ex Doride Oceani filia canit Hesiodus, vnúmq; filiũ inter tot filias habuisse

Neriten

Neriten appellatum, deorum hominúmque formosissimum: Venerem autem in mari simul viuentem delectatam fuisse hoc Nerite, amicúmq; habuisse, cum tempus fato definitum venisset, quo oportuit inter Olympios inscribi, hanc deam audio patre accersente ascendisse in Olympum, & amasium & collusorem suũ Venerem voluisse ducere, at hunc non paruisse Veneri in sermonem hominum venit, Olympo anteponentem cum sororibus & parentibus commorationem recusatis alis, quas ei Venus dare volebat: itaque dea irata illum in cochleam conuertit: ipsa vero elegit ministrum pro illo Cupidinem, & iuuenem & pulchrum, ei alas illius dedit. Alius sermo exclamat Neriten amatũ fuisse à Neptuno, & redamatum fuisse Neptunum. Redamantis hinc initium extitisse, simul versatum alias fuisse amatum cum amante audio, tum Neptuno currum per fluctus agente delphinos & tritonas ex penetralibus maris exsiluisse & saltasse circa currum: quod Homerus in Iliade dicit nobis, omnésque cessisse celeritati equorum solum Neriten prope secutum fuisse Neptunum, vndásq; ei viam strauisse, & cessisse reuerentiæ Neptuni, voluisse dei amasium clarum haberi, & habitu excellere. At Solem inuidisse celeritati pueri fabula dicit, & mutasse corpus in cochleam. Sed vnde Sol hanc inuidiam sumpserit dicere nescio, neque fabula dicit: nisi coniectare quiddam oportet de rebus quæ

nulla nota deprehendi possunt. Dicuntur fuisse riuales Neptunus & Sol, & fortasse Solem indignatum fuisse, & noluisse eum inter cetacea numerari, sed inter ostrea: sed fabulis sit finis, & dij propitij sint his quæ dixi, sin audacius quiddam fabulis illorum crimen attribuatur.

Quemadmodum in Eridano & Tenaro pisces capiuntur. CAP. XXVIII.

VBi insignis Eridanus, & ignobilis Tenarus coitionem faciunt, ibi hoc piscandi genus, quod accepi ex versibus viri Mitylenæi, accolæ exercent, vt hiberno quidem tempore arationibus & sementibus faciendis operam dent: deinde ineunte vere nondum confluente frigoribus conglaciare desinēte, qui antea agricolæ essent, nunc piscatores facti sinuosum locum deligunt, quem peracutis securibus circuncidant, & quiddam lacui simile efficiant, non tamen glaciem prope ripam secant, sed in suo statu consistere sinunt, atque locum à glacie nudatum circundant amplo verriculo, quod quidem ipsum piscatores in ripa consistentes trahunt, ac nimirum permulti etiam piscatoriæ artis imperiti, piscium captionem animi causa spectant: cùm autem ij qui adducunt prope ripam venerunt, tum piscatores extrinsecus glaciem ripæ continentem frangunt, atque in prædam incumbentes in rete pisces extrinsecus retrudunt: quo facto rete piscibus plenum circuncisam glaciem impellit, supra quam


piscat

piscatores consistentes videntur ferri supra insulam natatilem. Quod genus piscandi illic proprium alibi inusitatum. Ex quo fit vt duplicem fructum percipientes, alterum ex terra, alterum ex flumine, & nautæ, & agricolæ censendi sint.



AELIANI LIBER decimusquintus historiæ animalium.

Quemadmodum in Macedonia non admodum vsitatè pisces capiuntur CAP. I.



Huiuscemodi Macedonicã piscandi rationem auditione comprehensam habeo in fluuio nomine Astræo, qui inter Beroeam & Thessalonicem medius fluit, distincti varijs coloribus pisces gignitur, qui Macedones appellantur, & indigenis muscis in fluuio volitantibus pastum sibi comparant. Eæ nec simile de specie quicquam aliarum muscarum habent, quæ vbique sunt, nec ad apum similitudinem accedunt, nec vesparum speciem gerunt: harum tamen aliquam cuiusque propriam particulam referunt, tum in auda-

cia quiddam simile cæterarum muscarum habent, tum magnitudine apibus similes sunt, tum vesparũ colorem reddunt, & similiter quidem atque apes bombitatione strepunt: eas hipp︎uros appellant indigenæ. Et ad summam aquam versantes piscium nationem non latent: nam vt ex his quispiam earum aliquam per summa apparentem conspexit, silentio sub aquas subiens, ne prædam aquæ agitatione loco moueat, proxime ad illius vmbram accedit, & quemadmodum vel de grege ouem lupus, vel anserem ex cohorte aquila rapit, sic is ore hianti atque imminenti eam deuorat: quod quidem ipsum etsi piscatores haudquaquam ignorant, non ijs tamen muscis ad inescandos pisces vtuntur. Simul enim ac hominis manu continguntur, & natiuum colorem perdunt, & pennæ euanescunt, & inepti ad escam piscium omnino redduntur, quæ causa est, cur earum odio incensi ipsas à se detestentur, veruntamen qui piscandi scientiam cognitionémque præclare tenent, captiosa quadam machinatione, atque solertia, eiusmodi pisces circunueniunt. Purpurascente enim lana hamum circunuestiunt, & ad eandem lanam gallinacei pennas duas sub barbæ appendiculis natas cerei coloris speciem similitudinémque gerentes accommodant, & conglutinant, quaternum cubitorum est arundo, ad quam alligatum est ferrum, totidem est linea, atque has abstrusas insidias in flumen deijciunt. Pisces colore illecti

cupidè

cupidè pergunt contrà venire, ac nimirum lautum cibum se habituros ex pulchro aspectu arbitrantes hamatis escis configuntur, iisdémque acerbis captiui fruuntur.

De marinis arietibus. CAP. II.

MArini arietes, quorum quidem nomẽ apud multos peruagatum est, sed non tamen histo ria omnino explicata, nisi ex ea parte, quatenus à pictoribus, & fictoribus ostenditur, circa Corsicum & Sardoum fretum hibernant, atque ex summa aqua eminentes spectantur, simul & maximi delphini circum eos natant. Mas aries frontem alba vitta redimitam habet, vt vel hanc Lysimachi, vel Antigoni, vel alterius cuiuspiam regum Macedoniæ diadema dicas: aries verò fœmina, quemadmodum barbæ appendiculas gallinacei quasdam possident, sic ipsa cirros ex imò collo pendentes habet: neque modò eorum vterque mortua, sed & viua corpora exest & conficit, in natando magnos fluctus facit tempestate quam ex sua agitatione ciet: naues funditus euertit, ac eos qui secundum mare versantur, rapit. Iam porrò qui Corsicam incolunt, dicunt virum ex tempestate qui naufragium fecisset, natandi bene peritum, vbi permultum maris natando transmisisset, circa Corsicam crepidinem quandam assecutum ascendisse, ibique constitisse tanquam tutum ab omni periculo: post verò quàm aries eum oculis comprehendisset, posteriore sui

parte plurimum mare concitasse, deinde ab intumescente æstu elatum instar procellæ & turbinis hominem corripuisse, hunc Corsicum raptum, & venationem arietis eatenus qui ad Occeanum habitant fabulosè exaggerant, vt dicant Atlantidis reges ex Neptuni semine ferre in capite arietum masculorum tænias, indicia principatus, illorúmque vxores crines ferre, fœminarum piscium arietum indices principatus, itémque tanto narium robore prædita est huiuscemodi belua, spiritum vt vehementem & permultum anhelet, & immensum aëra respiratione ad se attrahat, eáque aspiratione marinos vitulos ad hanc rationem comprehendat, cum enim arietem nouerunt vicinum esse ad moliendas sibi ipsis insidias, in terram celerrime enatantes in subterranea saxa conduntur. Is cognita fuga insequitur, & contra antrum stans, ex corporis odore prædam intus esse percipit, & narium illecebra quadam acri aëra inter se, & vitulos intermedium attrahit, hi tanquam vel sagittam vel spiculum, sic sane illius appulsum declinant, & refugiunt, tandem tamen violentissimo anhelitus ductu inuiti, & tanquam loris quibusdam, aut funibus constricti ex latebra extrahuntur, & ab ariete deuorantur: ex arietis naribus enatos pilos harum rerum periti magnos vsus afferre testantur.

De

De thynnis Bubonicis. CAP. III.

AD promontorium Bubonicũ innumeræ thynnorum gentes versantur, eorum maximi similiter vt sues, soli & separatim natant, alij more luporum bini proficiscuntur, alij gregatim eunt, quemadmodum capræ, quæ in latis pastionibus pascuntur, exoriẽte canicula & ingrauescente æstiuo calore in Euxinum natare contendunt, & marinis fluctibus ab feruidè radiato sole calescentibus inter se velut conserti contextíque confertis turmis natant, & corporum coniunctione ad perfruendam opacitatem colligantur.

De pisce nuncupato luna. CAP. IIII.

DEmostratus vir à piscandi scientia eatenus instructus, vt probè rem piscatoriam interpretetur, piscem formæ pulchritudine eximium dicit appellari lunã, exigua magnitudine, lata figura, idémque affert cyanei coloris speciem similitudinémq; gerere, in dorso pinnas habere, non duras, neque asperas, sed molles & lenes, easdémque in natando explicare, & ad similitudinem lunæ semicirculum efficere, idémque Demostratus tradit Cyprios piscatores dicere, piscem hunc luna plena ipsum impleri, & implere arbores, si ex his illum appenderis. At decrescente luna, si illum ad plantas admoueris, eas marcescere, & euanescere, si iam plena luna in id aquæ quod in perfossis puteis

reperitur quis hunc piscem iniecerit, aquam iugem & perennem fore: sin extrema luna aquam exarescere: quòd si hunc eundem in fontem scaturientem conieceris, quomodò dixi de puteo, is ad rationem lunæ modò euanescet, modò implebitur.

De thynnis. CAP. V.

QVemadmodum in propontidem thynni innatant & enatant, suprà scripsi, iam porrò qui Heracliam, Tion, Amasiam ponticas vrbes incolunt, planè sciunt quo anni tempore eiusmodi pisces eò accedant, quare permulta contra eos instrumenta comparant, naues, retia, speculam in excelsum excitatam quam in littoris eminenti loco & circunspectum facilem habenti defigunt: cuius conficiendi rationem molestum mihi non erit explicare: Tigna bina abiegna alta eriguntur intercepta, & iuncta inter se trabibus latis, & crebris immissis, & facilem ascensum speculatori præstantibus, singulæ naues vtrinque sex iuuenes expediti remigantes habent, retia bene longa sunt. Itaque verno sole illucente, ventis placide & tranquillè flantibus, cœlo læto, & quasi ridenti, conquiescente à tempestatibus mari, frequentes thynnorum piscium greges in pontum innatant, quod quidem ipsum, simul vt ex specula prudẽter & acute speculator prospexit, piscatoribus vnde veniant denuntiat: hi ad vocis significationem retia tendunt, ac si intra retia ingrediantur, sicut dux exercitus

hoc

hoc ipsum signo dato edocet: cùm thynnorum cohortes in altū sese incitauerint, is qui ex specula acerrima oculorum acie horum actiones obseruat, contenta voce exclamat, recta ad altum remigationem contendendam, illúcque insequendos esse: hi porrò alligato ad alterutrum tignum quod speculam fusti net perlongo retium fune naues ordine remis propellunt. Postquam enim singulis nauibus rete distentum est, prima nauis vbi suam retis partem eiecit, discēdit, hoc idem facit deinceps secunda, & tertia, & quarta, qui quintam remis impellunt, adhuc iccirco contantur, quòd hi nunquam laxare debent, deinde alij aliò remigant, & pro se quisque retis partem trahit, postea quiescunt: segnes thynni nullum facinus audax tentare audentes, quiescunt, remiges vt vrbe capta capiunt piscium, vt poëta quidam diceret, gentem.

Cur vota nuncupant Neptuno thynnorum piscatores. CAP. VI.

CVm thynni circunretiti tenentur, Neptuno malorum depulsori piscatores vota faciunt, ne gladius piscis, neue delphinus in captiuorum numero sit: nam sæpe gladius qui iam sit ætate confirmata, lacerato reti thynnorum gregi irretito ad se exuendum ex laqueis facultatem dedit, dephinus etiam ad moliendas retibus insidias acerrimus ijs perniciem affert.

Quemadmodum apud Indos lac dulcescit.

CAPVT VII.

IN India, & maxime in Præsiorum regione liquido melle pluit, quod in herbas ac palustrium arundinũ comas decidens mirificas pastiones ouillo, & bubulo pecori præstat, quod quidem ipsum à pastoribus eo vbi dulcis plus roris de cœlo delapsum est agitur, & sic illis pastionibus tanquam epulis iucundè accipitur, pastorésque vicissim prolixo epulo compensat, nam ex pecore suauissimum lac exprimunt, neque sicut Græci faciunt mel miscere, & temperare habent necesse.

De Indica margarita. CAP. VIII.

INdica vrbs est nomine Perimuda, cui eo tẽpore cũ in Bactris Eucratides regnaret, Soras ex generis regij stirpe profectus, imperauit. Hanc quidem ipsam Ichthyophagi incolẽtes margaritas retibus comprehendunt: margaritiferæ conchæ magnorum turbinum similitudinem gerentes gregatim natant: & quemadmodum apum examina duces, sic eæ reges habent, tum formæ pulchritudine, tum magnitudine præstantes. Summa autem contentione vrinatores ideo certant ad capiendum gregis ducem, quòd eo capto cunctum gregem rectore orbatum non loco se mouentem assequuntur, quandiu rex fugiendo elabi potest, sapienter eas regit & conseruat, iam captas in paruulis dolijs sale condiunt, cum erosa caro fuerit, & diffluxerit vi-

no relinquitur optimus Indicus, & in mari rubro procreatus existimatur, itémque in occiduo occeano, vbi existit Britãnia nascitur, videtur quodam modo auro similis, & fulgorem habet hebetiorem & obscuriorem, quàm Indicus aut Herytriensis. Iubas in Bospori freto nasci tradit margaritam, sed Britannica inferiorem. Indicus terrenus dicitur naturam habere non propriam, sed fœturam esse crystalli non gelu concrescentis, sed fossitij.

De marina grue. CAP. IX.

DE gruibus auibus antè scripsisse me plane scio, gruem piscem marinum audio alumnũ esse Corinthiaci pelagi, quod vergit ad Histhmi pelagus Athenas spectans: is ad quindecim pedum iusta mensura dimetitorũ magnitudinem procedit, craßitudine est anguillæ non maximæ, eius os & caput speciem similitudinémque alitis gruis gerunt, squammæ gentilis auis pinnis similes esse videntur, natare ingreditur non flexuose vt pisces gregatim natantes, sed tanto robore saliendi est, vt tanquam emissum à contento neruo telum feratur. In sermonem Epidaurorum venit hoc animal ex nullo pisce generari: sed cum volucres grues Thracium frigus fugientes, tum fœminæ ad coitum exardescentes, tum mares veneris libidine conflagrantes inter se complexu venereo iungi cuperent, fœminas suspensum coitum

ſustinere non poſſe, iccircóque ſemẽ emittere, quòd voti compotes fieri non poßint, ac ſi ſupra terram volent, id ipſum ad nihilum recidere: ſin ſupra mare eò delapſum tanquam theſaurum per manus traditum ſic amari hunc fœtum, aſſeruari, animantémque effici, neque velut aluum ſterilem illapſum perire. Demoſtratus, cuius antè mentionem feci, hunc, inquit, piſcem vidi, & magnopere admiratus ſum, cúmque vt aliis oſtendere poſſem ſale condire vellem, coquis ipſum ſecantibus & viſcera intuerer, tum ex vtroque latere ſpinas coeuntes & earum fines inclinantes inter ſe & ſimiliter atque tabulas legum triangulas eſſe, tum eius iecur in longitudinem procedere aſpexi, tum iecori ſubiectum fel habere longum follem tanquam ſcorteum, vt faba recens videretur: vbi verò primum iecur & epar exempta fuiſſent ambo ſtatim intumuiſſe, vt iecur inſtar epatis maximi piſcis videretur, fel verò lapidem ſuper quem fortè poſitum fuerat, conſumpſiſſe.

De captura pelamidum. CAP. X.

RAtionem piſcãdi pelamides haud ſane peruulgatam non à ſeria conſideratione alienũ eſt explicare. Decem iuuenes ad ſummum ætatis vigorem floreſcentes expeditam nauem, & celerem conſcendunt, & ſimul atque ſe cibo expleuerint pariter æqualitérque in vtrunque nauis latus diſtributi remigare contendunt, atque huc illuc

errant

errant : eorum vnus aliquis ad puppim ſedens armatas hamis lineas ad vtranque nauis partem demittit, tum ad ſingulos hamos eſca ex purpura piſce confecta ſtrictè religat, tum lari marinæ auis pennam ad hamum quēque alligat, vt ab occurrente aqua ſenſim, & leniter agitetur : pelamides autem eſcæ ſic inſtructæ illecebra delinitæ, in hamos innatant, cum autem ex ijs aliqua liguritione apprime ſtimulata os in eſcam impegerit, tum reliquæ conſequentes hamis configuntur, vt hami ob multitudinem vno eodémque tempore transfixorum piſcium vexentur: iuuenes verò remigare deſiſtentes de tranſtris ſurgunt ad ſubtrahendas lineas multitudine piſcium onuſtas: quos poſteaquam in nauem ſubduxerunt, ſecundiſsima piſcatio ex permagno piſcium numero apertè oſtenditur.

De muſtela terreſtri & marina. CAP. XI.

Terreſtrem muſtelam ita appellatam incantatricem, & veneficam, libidinoſam, & veneris illegitimæ conciliatricem audio cōuerſam in hoc animal fuiſſe ira Hecatæ : at Hecate propitia relinquo alijs fabulam. Quòd autem ſit fera inſidioſiſsima, & quòd inuadat homines mortuos, & niſi arceatur eorum oculos diripiat, & exſorbeat, manifeſtum eſt. Ferunt autem muſtelæ teſticulos per inſidias alligatos mulieri parturienti retinere partum : item viſcera muſtelæ certo modo præparata quem nouerunt harum rerum periti, & in vinum

ex insidijs coniecta amicitiam diuidere, & coniunctam antea beneuolentiam distrahere. Est etiam mustela piscis ita nuncupatus paruus, qui nullam communitatem habet cum galeis, id est mustelis: nam hi quidem cartilaginei sunt & pelagij, & magni, & caniculis similes, at mustelam diceres esse hepatum. Illa enim piscis est breuis, oculos coniuentes habet, pupillis est cyaneis, mentum hepato maius habet, & chremete minus, est etiam saxatilis, algas depascitur, atque similiter vt terrena omnium cadauerum in quæ incurrit, oculos exest & conficit. Vtuntur piscatores aquatili mustela ad ea veneficia ad quæ vtuntur terrestri homines in continenti viuentes. Cæterùm cùm piscium genus sit carniuorum, piscatores altißimas vrinationes obituri nigrore inficiunt plantas pedum, & volas manuum occultare conantes illorum candorem: nam hæ partes ex membris humanis maxime in aqua splendent, & alliciunt piscium genus.

De chamis. CAP. XII.

CHamæ marinæ & variæ & multiplices sunt, nam aliæ asperæ, aliæ valde lenes: & hæ quidem digitorum compressu confringuntur, illæ verò vel ægerrimè saxo conteruntur: quædam ipsarum nigerrimæ sunt, nonnullæ argentei coloris similitudinem gerere videntur, aliæ temperatione omnium prædictorum colorũ ornatæ sunt: ac quemadmodum earum est varium & multiplex genus,

sic multas & diuersas sedes habent. Quædã enim in littoribus dispersæ iacent in arena, nonnullæ sub algam subijciuntur, aliæ in limo commorantur, aliæ in saxis & stabulantur & præfulciuntur, ac præmuniuntur. Æstiuo tempore cũ sit messis in Istrico mari gregatim natant: Euri & Austri iccirco fugientes sunt, quòd eos ventos ferre non possint: contrà ex tranquillo mari mirifica voluptate afficiuntur, & Fauonij mollibus auris afflari gaudẽt, eámque ob rem in latebras abditæ cùm à tempestatibus mare sentiunt conquiescere, & Fauoniũ flare, tum relictis sedibus ad summam maris aquam natant, & explicatis testis sic tanquam vel sponsæ prodeunt, vel rosæ ad Solis radios exporrectæ ex inuolucris erumpunt, alteram concham substernentes, alteram erigentes, simul & altera pro velo, altera pro naui ad nauigandum vtuntur, vt si eas procul videas classem nauium existimes: quòd si nauem ad se accedere sentiunt, aut beluæ impetum, aut valentioris piscis natationem, metu perculsæ contractis testis frequentes delabuntur, & occultantur.

De hæmorrhoo genere viperarũ. CA. XIII.

H*Æmorrhous è genere viperarum in saxorum cauernis domesticam sedem habet, pedem vnum tum longus est, tum à lato capite ad caudam in tenuitatem eius corporis habitus procedit: colore est partim flammeo, partim nigro: eius caput tanquam*

tanquam cornibus quibusdam inhorrescit, sensim & pigre serpit, ventris squamis terram premens tortuosa non recta via progreditur, gradiendo leniter substrepit, vnde eius segnicies ostenditur. Primum vt momordit, statim punctus cyanei coloris exoritur, percussus stomachi doloribus affligitur, venter celeriter exhauritur, caligine offunditur, sanguis per nares & aures cũ bilioso veneno mittitur, vesica sanguineam vrinam reddit, cicatrices si quæ sint in percussi corpore, etiamsi cõsenuerint, tamen recrudescunt. Hæmorrhoi fœminæ quodam impulsu venenum ex summis tunicis dẽtium emittunt, quod ad extremas gingiuas accedit, & sanguis effunditur multus, gingiuarum dentes eliduntur. In hanc ferã incidisse in Ægypto ferunt Menelai gubernatorem Canopum Thonide regnante, Helenámque serpentis vim intelligentem eius spinam fregisse, pharmacúmque extraxisse, sed in quos vsus Helena festinarit, hunc thesaurum capere nescio.

De simiis. CAP. XIIII.

Tigres domitos, cicures pantheras, oryges quadricornes & boues duorum generum cursores & agrestes, columbas pallidas, quas negant man suefieri posse, ad suum regẽ Indi afferunt, & aues quas cercuronos solent appellare: tum generosos canes, de quibus suprà scripsi, tum simias nonnullas albas, alias nigras: nam ruffas ideo in vrbes non adducunt

ducunt, quòd Veneris libidine inflammatæ in muliebrem sexum furentes sint, ac si quando deprehendunt eas tanquam adulteros odio persequentes interficiunt.

De cornigeris apud Indos certantibus bestiis, vbi de tauris. CAP. XV.

MAgnus Indorũ rex quotannis diem vnum proponit hominum cursibus & pugillationibus, tum luctationibus bestiarum, quæ sane inter se cornibus appetentes mirabili natura quadam eatenus strenue decertant, quoad aduersarium funditus vicerint, sicque omni neruorum contentione quemadmodum athletæ, vt aut maximo afficiantur præmio, aut gloriam capiāt certaminis, nituntur: rationes quidem expertes sunt feri tauri, arietes mansueti, asini vno armati cornu, hyenæ quas quidem damis minores esse aiunt, sed ceruis audaciores. Postremi in certamen veniunt elephanti, hi inter se vulnerant, & alter sæpe alterum vincit, atque adeò interimit, sæpe etiam vterque vulneribus confectus simul decumbit.

Quid Theophrastus sentit de partu viperarum. CAPVT XVI.

VIperæ catulos Theophrastus scribit parentis vterum non exedere atque conficere, neque sane vt quiddam ludens dicam foribus effractis obstructum exitum perrumpere, sed fœminam vteri angustijs cõpulsam non parere, sed disrumpi. Cuius senten

sententia ita rem habere mihi ad veritatem planè persuadet, siquidem marinæ acus, quia tenues sint, & haudquaquã sinuosam & capacem aluum habeant, iccirco similiter à suis fœtibus afficiuntur, etsi iam antè fabulosè viperarum partus descripsi, tamen ne mihi Herodotus succenseat, quales ipse conscripsit.

De naturali affinitate leonis cum delphino.

CAPVT XVII.

IN media natura quædam communitas retrusa leoni est, & affinitas cum delphino: non ex ea parte solum quòd vterque imperat, ille quidẽ terrenis bestijs, hic verò aquatilibus: sed quòd senectute ambo tabescunt, & cum sunt in ægritudine, illi terrestris simia medetur, huic quoque marina simia remedio est. Nam vt in terra, sic etiam in mari aliquod est simiarum genus, quod similiter huic, vt illi, medicinam illa ipsa morbi affert.

De sepedone serpente. CAP. XVIII.

INest in sepedone serpente immanis infinitáque pernicies. Eodem colore & figura quibus est hæmorrhous sepedonem esse tradit Nicander, sed celerius graditur, & gyros & flexiones persequens, non rectà progreditur: quod quidem ipsum causa est, quamobrem inspectantes nesciant de eius magnitudine iudicare. Vulnus quod infert acerbitatis plurimum habet, & bene penitus intrat, & putrefacit, qua ex vi nomen traxit: inexpiabili celeritate

leritate ipsius ueneni in vniuersum corpus transitionem facit, capillus vulnerati putrescit, & funditus interit, tum superciliorum, & palpebrarum pili defluunt, oculi offusi tenebris obscurantur, & marcescunt.

De libidine testudinis terrestris. CAP. XIX.

E*X terrenis testudinibus mas ad venerem inflammatissimus est, fœminam humi ad coitum stratam Demostratus ait supinam iacere deinde expleto coitu propter testæ magnitudinẽ cum se conuertere non queat, escam paratam à marito relinqui cùm alijs animalibus, tum aquilæ: vnde fit vt mares eas ad coitum ideo illicere non possint, quòd fœminæ magna moderatione libidines contineant, & salutem voluptati anteponant. At enim mares mirabili quadam natura illecebram amatoriam, & omnis metus obliuionem afferentem fœminis inijciant, neque tamen huiuscemodi illecebræ sunt cantiunculæ quales Theocritus pastoritiæ lusionis compositor nugatur: sed occulta herba, cuius neque ille nomen se scire dicit, neque aliud cognoscere confitetur: itaque mares eam ore continentes ad libidinem fœminas alliciunt, & quæ antea fugiebant, nunc exardescunt ad coitum, & nullo de se timore afficiuntur.*

De gallis mutis. CAP. XX.

T*Hessalonicæ Macedonicæ locus vicinus est nũcupatus Nibas, vbi galli gallinacei sui cantus*

tus naturalis expertes sunt, & silent omnino: adeò vt vulgò circunferatur prouerbium in rebus factu difficillimis, quod tale est, tunc illud haberi poterit cùm Nibas gallus cantabit.

De dracone quem in India inuenit Alexander Macedo. CAP. XXI.

ALexander cùm alia pleraque animalia apud Indos inuenit, tum draconem quem, quia sacrum in antro quodam Indi existimarent, & summa religione colerent, idcirco precibus Alexandrum obsecrarunt, ne in illũ ipsum inuaderet: quod quidem ipsum ille annuit. At enim draco cũ exercitus strepitum sensit, (quòd sit animal tum audiendi, tum videndi acerrimo, atque acutißimo sensu præditum) maximo sibillo, & summo afflatu edito omnes exterruit, & perturbauit, septuaginta cubita longus esse existimabatur: neque enim eis totus apparuit, sed illius solum caput ex antro eminuit, eius oculi ad magni clypei Macedonici magnitudinem accessisse dicuntur.

De contentione aquilæ & cornicis. CA. XXII.

ETsi aquilas conflictatiunculis cornices eludere student, has tamen illæ præclare contemnunt, & deorsum ferri sinunt, ipsæ vero sursum subuolantes æthereum locum secant: quod quidem ipsum non cornicum timore agunt. Quis nam hoc dicat, qui planè sciat aquilarum vim, sed potius propria quadam animi magnitudine earum infra se vol

se volantium lapsus facile patiuntur.

De pompylis piscibus. CAP. XXIII.

POmpylum piscem dicunt non modò Neptuno, sed etiam incolis Samothraciæ dijs sacrum & charum esse, ob eámque causam piscatorem nomine (sicut dicitur) Epopeum, ex Icaro insula profectum ætate iam affectum, quod aliquãdo cum nihil aliud piscium præter pompylos cœpisset, protinus huic pisci meritas pœnas persoluisse. Etenim cete facto in eius piscatoriam impetu ipsum deuorauit. Pompylum hostili odio delphini persequuntur: neq; hoc ipsum tamen impunè faciunt: cùm enim gustauerunt, inefficaces stupidíque continuo redduntur, & quòd furore inflammati consistere non queunt, iccirco in littora expelluntur, atque fluctu eiecti à marinis cornicibus, gauijs, cæterisque maritimis auibus exeduntur, & conficiuntur. Apollonius Rhodius siue Naucratites dicit hunc aliquando hominem fuisse portitorem, qui cùm puellæ Apollo amore teneretur, qua cum etiam complexu venereo iungi conaretur, hæc autem effugiens Miletum venisset, & Pompylum precibus obsecrasset vt se trajceret, is quidem paruit: at vero Apollo sese ostendens, hanc quidem rapuit, nauem autem in lapidem, Pompylum vero in piscem conuertit.

De certamine Indicorum boum qui cursu valent. CAP. XXIIII.

IN bubulo pecore quòd incitato cursu valet, cu-

ram Indi ponunt, & simul de eorũ velocitate rex, & permulti principes decertant, neq; turpe ducunt pro huiuscemodi animalium genere auro, argentóue spõsionẽ facere, currẽdi meta bobus hæc cõstituitur vt inter se nexi, & iugati triginta stadia currant æquales & pares boues equis currũt: neq; velocitate boues ab equis internoscas: ac si quando rex de suis bobus cum quopiam sponsionẽ fecerit, in tantum contentionis studium procedit, vt is ipse in curru sequatur, atque adeò aurigam incitet is qui sane quidem equos stimulis cruentat: à bubus verò manus abstinet, si quidem boues nullis admotis stimulis incitatissimo cursu ferũtur. Ac nimirum tam ambitiosa est bibuli certaminis contentio, vt non diuites modò & domini, sed etiam aurigæ, sed inferioris status homines eiuscemodi cõcertationibus permultũ contendant, vt Idomenæus & Aiax apud Homerum. Sunt item apud Indos alij boues qui maximos hircos magnitudine non superare vidẽtur, ij coniugati velocissimè currunt, nec minus strenuè quàm Getici equi cursum conficiunt.

Quemadmodũ equi rabie incitantur bibentes ex Cossinito flumine, & fonte Potinæ. CAP. XXV.

EQuos efferari & rabie inflãmari ferũt bibẽtes ex Cossinito flumine Thraciæ, qui defluit in agrum Abderitanũ, & denique consumitur in Bistonicũ stagnũ, vbi Diomedis Thracis qui immanes equos habebat, quos Hercules expugnauit, regia olim

olim fuit. Ex eodem morbo laborare dicunt equos bibentes de fonte. Potinæ, qui nõ longe ab vrbe Thebis abest, itémque Herotas & Gedrusios fama est tanquam fœnum pisces equis edendos obijcere: Celtas etiam audio boues & equos piscibus alere: & nonnulli quoque testantur Macedones, & Lydos piscibus equos suos pascere, ac nimirum oues Lydiæ & Macedonicæ ex eisdem pinguescere dicuntur, apud Mysos cum equinum genus coit, quidam velut hymenæum quendam nuptijs præcinunt, & cantus suauitate permulsæ equæ celeriter grauidæ fiunt, & formæ pulchritudine eximios pullos ex sese pariunt. Iam verò equos ætate affectos aiunt pullos cùm cæteris in rebus debiles, tum pedibus infirmos procreare solere. Aristoteles tradit equos ad triginta quinque annos procedere, & quidam equum septuaginta vixisse.

De scorpiis qui nascuntur inter Mediam & Susidem. CAP. XXVI.

IN itinere secundi diei eorum qui à Persicis Susis in Mediam proficiscuntur, quòd permagna scorpiorum multitudo nasci dicitur, idcirco Persarum rex quum eò suscipit iter, triduò antè omnibus imperat, vt eos venentur, & ci qui plurimos confecerit, donat munera. Nisi hoc fiat, locus transiri non potest: nam subter omnem lapidem & cespitem abditus scorpius manet. Dicunt Rhysienses populos expulsos fuisse à multitndine

ſcolopendrarum, in Cyrene diuerſa tum colore, tum forma murium genera naſci ferunt: ac quoſdam ipſorum quemadmodum muſtelas ita lata facie eſſe, alios viperæ ſpeciem ſimilitudinémque gerentes acutas ſpinas habere, quos indigenæ Echenatas vocant, in Aegypto audio bipedes mures eſſe maximos, & prioribus pedibus tanquam manibus vti, vicini illis Libyci mures ſunt, qui recti gradiuntur duobus pedibus nitentes, cum ab inſequentibus vrgentur ſalliunt, hæc Theophraſtus.

Quemadmodū libertatem in volando amāt attagenes aues. CAPVT XXVII.

ATtagenas aues ferunt ex Lydia in Aegyptum deportatas, & in ſyluam dimiſſas primò coturnicis vocem miſiſſe, poſt cùm fluminis alluuione cœlum peſtilens factum eſſet, quo multi paſſim mortales perierunt, eiuſmodi aues non intermiſiſſe maiori oris expreſſione, quàm quemuis explanatiſſimæ linguæ puerum loqui, & dicere, τρὶς τοῖς κακοῖς τὰ κακά, id eſt, Ter mala malis. Itémque aiunt eas captas neque manſueſcere, neque iccirco amplius priſtinas voces edere, quòd ſeruitute conticeſcunt, & obmuteſcunt. Quòd ſi ex poteſtate in libertatem volandi dimittantur, & in ſuas ſedes perueniant, rurſum loqui, pariterque cum libertate vocem recipere.

Scopes, quos Theodorus vertit aſiones, ſaltatione capiuntur. CAP. XXVIII.

Scopes aues, quarum Homerus in Odyssæa mentionem facit, cum eas circum Calypsus antrum versari scribit, viri saltandi bene periti dicunt cum saltatione comprehendi; tum genus quoddam saltationis esse: quæ si adhibenda ijs fides sit, scops appelletur: nam quòd ijs auibus iucundissimum sit quosdam ridicule imitari, ex eo profectum est verbum σκώπτω, *quod significat effingere, & nō aberrare ab eis imitandis, quos ludicra assimulatione imitantur. Dicitur scops hic minor semper esse quàm noctua, plumbei coloris speciem similitudinémque eius pennæ gerunt, & albis maculis distinguntur, à supercilijs secundum vtraque tempora duæ plumæ existunt. Callymachus duo genera ponit, scopas & aiscopas, id est, semper asiones, quorum alterum vocale sit, alterum mutum. Alexander Myndius dicit apud Homerum, non scopas per sigma, sed copas legi oportere. Aiscopes omnibus anni temporibus patent: eæ sanæ esculentæ non sunt propter carnis vitium, scopes aliquando apparent, neque tamen vno aut altero plus die commorantur, quæ esui accommodatæ sunt, & valde probantur, & differunt à perennibus illis velocitate, & turturibus & palumbis similes sunt.*

De Pigmæis populis. CAP. XXIX.

Pigmæorum gentem audio solitam habere reges suæ nationis, & deficientibus regibus reginam

nomine Geranon, id est, gruẽ illis imperasse, quam deam facientes Pigmæi, & amplioribus honoribus eam afficientes quàm deceret hominem, in eam arrogantem insolentiam adduxerunt, vt deas contemneret: sed maximè Iunonem, & Mineruam, & Dianam, & Venerem, adeò vt diceret Cupidinem aberrare ab scopo, qui suam pulchritudinem non illis anteponeret: vnde Iuno irata in auem deformẽ Geranon cõuertit, & est nunc Geranos pugnans contra Pigmæos, quòd ab illis de mente diuinis honoribus deducta esset & perdita.

AELIANI LIBER decimussextus historiæ animalium.

De purpura. CAPVT I.



Vrpurarius infector, si postquam purpuram non in hominum cibum, sed ad tingendas lanas comprehenderit, inexaustum velit fieri colorem, & perfecte tinctum, vno saxi ictu purpuram interimit: quòd si leuior plaga inferatur, & etiam nunc spirans relinquatur, atque iterum lapide percutiatur, ad tincturam fit inutilis: nam ex eo dolore tincturam amittit. Quod quidem ipsum præclarè Homerum intellexisse dicunt: iccircóque vno ictu celeriter morientes purpuræ morte affici ait, peruulgatum suis versibus illud canens, Cœpit hunc purpurea mors, & fortis parca.

De psittacis & pauonibus Liuiis. CAP. II.

A Pud Indos intelligo psittacos nasci, quorum etiam antè mentionē feci: quæ nondum dixi, hæc mihi nunc dicenda videntur. Ex tribus

Indiæ psittacorum generibus quemadmodum pueri erudiuntur, sic ij omnes humanæ vocis vsum addiscunt. In syluis incõditam vocem cuiusmodi aues indoctæ edere solent, mittunt, non autẽ expressum os & explanatum habent, nascuntur pauones in India omnium pauonum qui vbique sunt multo maximi. In India Liuiæ columbæ virides pennas habent, vt is primo aspectu qui sit rudis in scientia auium psittacum non columbam dicat, earum labra & crura colore perdicibus Græciæ sunt similia. In India gallinacei nascuntur maximi, non rubram habent cristam vt nostri, sed ita variam & floridam quemadmodum coronam ex floribus contextum, pennas posteriores non inflexas habent, neque in orbem reuolutas, sed latas, quas cùm non erigunt, vt pauones trahunt, eorũ pennæ smaragdi colorem gerunt.

De aue quam Indi vocant cercionẽ, eam Latini motacillã appellare possent. CA. III.

IN India auis ad sturni magnitudinem accedens varijs coloribus picta nascitur, quæ & humanam vocem effingit, & psittacis vocalior, & maiore est docilitate, & ingenio, nõ tamen humanum victum æquo animo sustinet, sed libertatis desiderio inediam potiusquam seruitutem cibis refertam amplectitur, ipsum Macedonum coloni qui habitant in vrbe Bucephalis & Cyropoli, & alijs vrbibus quas Alexander in India excitauit, ideo

cercio

cercionem appellant, quòd similiter caudam atque cinclus mouet.

De aue quam Indi celam vocant. CAP. IIII.

AVem in India nasci accepi magnitudine triplo maiorem otide, ore permagno, & longis cruribus absonum quiddam sonare, eiúsque summas alas pallidas: cæteras verò pennas cineritias esse.

De vpupa Indica. CAP. V.

INdicam vpupam duplo maiorem nostra & formosiorem Indorum rex amores & delitias suas circumgestat, & eius venustatem, summa admiratione frequenter intuens magnã lætitiam voluptatémque capit. Huic aui succinunt fabulam Brachmanes. Fabula hæc est, Indorum regi filius fuit: is fratres habuit, qui viri facti iniustissimi & audacissimi euaserunt, illúmque vt puerum contẽpserunt, & patrẽ irriserunt, & matrẽ, senectutem ipsorum spernentes, & recusarunt cum illis habitare, itaque puer & parentes senes fugerunt, & longo & laborioso itinere fessi animúmque despondentes mortui sunt: filius eos non neglexit, imo verò intra se ipsos sepeliuit gladio dissecans caput, cuius pietatem maximã aiunt intuentem solem illum in auem mutasse aspectu pulcherrimam, & longa vi præditam, ex eiúsque vertice apicem excitasse velut monumentum rerum gestarum in fuga. Talia quædam etiam Athenienses de alauda fabulose narrant, quos secutus fuisse mihi videtur Aristo-

phanes comicus poëta in auibus dicens, Indoctus sum non curiosus, neque Aesopum contriui, qui dicit, alaudam omnium primam auem natam esse, & quidem priorem terra ipsa, cuius pater cùm morbo ægrotasset, mortuus est, & cùm iam quintum diẽ iaceret inhumatus, filia præ rei difficultate dubia patrem suum in capite sepeliuit, videtur fabula & si de alia aue ab Indis manasse ad Græcos: nã Brachmanes longo temporis interuallo ante regis Indorum filium dicunt, in vpupam mutatũ fuisse, quàm illam in alaudam.

De phattage Indica. CAP. VI.

IN Indis nascitur bestia quæ crocodili speciem similitudinémque gerit: magnitudine est Melitensis canis: eius pellis adeò asperis squamis quibusdam squatet, vt more serræ æs dissecet, & ferrum exedat, & conficiat, eam Indi phattagen vocant.

De syroperdice Phrygio. CAP. VII.

SYroperdix in Antiochia Pisidiæ lapides exest & conficit, perdice minor est, niger item est excepto rostro, quod ruffum spectatur, non mansuescit, sed semper perseuerat ferus esse, eius carnes & densiores sunt quàm cæterorum, & suauiorem cibi vsum præstant.

De marinis hydris & serpentibus Indicis.
CAPVT VIII.

INdicum mare hydros marinos parit latas caudas habentes, item stagna pariunt maximos hydros

dros, serpentes marinæ videntur dentibus serratis, grauius vulnus inferre, nimirum venenatum.

De ruffis mulis Indiæ. CAP. IX.

IN India equarum & asinorum greges sunt, & asinos equæ facillime admittunt, & mulos rubros pariunt ad currendum præstantissimos, quos compedibus captos ad Prasiorum regem adducunt, ex ijs qui biennium agentes comprehenduntur, domari possunt, contra vetuli ab immanissimis, & carniuoris feris nihil differunt.

De simiis Prasiorum Indiæ. CAP. X.

IN Prasijs Indijs simiarum genus esse ferunt humanis sensibus, & magnitudine Hircanorum canum, tum earum comam etsi naturalem, artificio tamen veritatis imperito elaboratam videri, tum barbam ipsarum speciem satyricæ similitudinémq; gerere, caudámque leoninæ similem spectari, reliquo corpore albas, capite & extrema cauda flauas esse: neque verò quod viuendi ratione, & genere ipso syluestres sint: montanis enim rebus & agrestibus pascuntur, propterea feras esse, imò natura cicures, ad suburbium Latageæ vrbis frequentes proficiscuntur, quibus coctam oryzam rex comedendam obijcit, ac quotidie cibaria eis proijciuntur, expletæ in domesticas sedes syluestres cum magna moderatione redire, neque obuium quicquam lædere dicuntur.

De

De poephagis animalibus Indiæ pulcherrimam caudam habentibus. CAP. XI.

INdicum animal poephagus duplo quàm equus maior, spißißima cauda & nigerrima præditus est: humani pili subtilitatem eius setæ vincunt, permagni eas idcirco Indiæ mulieres æstimant, quòd eis ipsis crines suos pulcherrimè implicent, & deuinciant: ad bina cubita singulæ ipsius setæ longitudine procedunt. Ex vna radice triginta simul exoriuntur. Omnium animalium timidißimus est: nam si à quopiam se inspectum sentit, euestigiò quanta maxima potest celeritate sese properat conijcere in fugam: in quam magis studiose quàm celeriter se impellit, ac si cum insequentibus canibus, & equis ad currendum promptißimis vrgetur, intelligat se appropinquare vt comprehendatur, prius occultata cauda contrà stans venatores intuetur, simul & ex magno timore colligit se, & quadam fiducia nititur: neque enim iam cauda abdita vllius pretij putat se amplius visum iri: quòd præclare scit in causa caudam esse quamobrem tantopere appetatur. Veruntamen interea quispiam præstanti telo illum ferit, & ab occiso caudam præmium prædæ abscindit, & pelle, quæ vtilis est, ex toto corpore detracta cadauer abijcit, quòd eiusmodi carnium vsum nullum Indi habent.

De Indicis cetis & lupis, & amiis, & auratis. CAPVT XII.

In

IN mari Indico cete quincuplo maximis elephantis maiora naſcuntur, vt & cetacea lateris coſta in vicena cubita longitudine procedat, & teſtudinis tegmentum quindecim cubita longum, & ſeptem latum ſit, & buccinæ & purpuræ eò vſq; augeantur, vt facilè capiant heminam. Echinorum teſtæ tantundem capere poſſunt. Auditione item accepi ibidem inuſitata magnitudine lupos, amias, auratas eo maxime tempore cum fluuij imbribus aucti rapidi feruntur, & terras inundant, in agros expelli, & in tenui aqua errare: atque poſtquam aqua pluuia deſtiterit, fluuios redundanter explere, ijdémque ad ſuos alueos reuerterint in æquoribus camporum vbi breuis conſiſtit aqua agricolas piſces debili natatione ob receſſum fluminum vtentes, comprehendere ſolere.

De raia & ſquilla Indicis. CAP. XIII.

NOn maiores Argolico clypeo raiæ gignuntur in India, itémq; ſquillæ locuſtis maiores Indicæ ſunt: quæ autem ex mari veniunt in Gangem forcipes maximos, & tangentibus aſperos habent, quæ verò ex mari rubro in Indum excidunt, lenes audio habere ſpinas, ſed longis & piloſis diſtinctas eſſe, helicibus & forcipibus carere.

De Indica & fluuiatili & terrena teſtudine. CAPVT XIIII.

TEſtudinis Indicæ, & fluuiatilis teſta non minor eſt, quàm ſcapha iuſtæ magnitudinis. decē enim

enim leguminum modios capit: ac illic quoque terrenæ testudines gignuntur magnitudine maximarũ glebarum, quæ in altis arationibus terræ non difficilis excitantur, bene penitus intrante aratro, & sulcum facillime proscindente, & glebas in excelsum excitante, eiusmodi testudinum genus aiunt testas exuere, ac sane easdem ab agricolis sic ligonibus abstrahi, quemadmodum vermeis ex verminosis locis, eædemque non amaræ vt marinæ sunt, sed & suaues & pingues habentur earum carnes.

De formica. CAP. XV.

SVa sponte prudentia non aliena institutione valent etiam apud nos animalia, non totidem tamen quot sunt in India, illic enim eiusmodi sunt elephantus, psittacus, sphynges & nuncupati satyri. Nostrates formicæ cauernas quidem, & latibula quædam effodiunt, sub terra habitantes, at Indicæ singulari sapientia præditæ domunculas commodas in excelsis locis construunt, non in deuexis & planis, qui facile inundari queant, in eis ambitus & vt ita dicam, fossas Aegyptias, & Creticos labyrinthos magna sapientia effodientes domesticas sedes constituunt, non rectas quidem & peruias, aut in quas quippiam influere posit, sed sinuosis foraminibus obliquas, in quarum superficie foramen vnum relinquunt, per quod quidẽ ipsum ingrediantur ipsæ, & semina quæ colligunt in suos thesauros inferant, in excelsis quidem locis latibula machinant

nantur, vt fluminum alluuiones effugiant, ac sua sapientia assequuntur vt tanquam in speculis quibusdam aut in insulis habitent: nam cum circa formicariam domum aqua restagnat, adeò tamen exaggerata est illarum domus vt non alluatur, neque euellatur, imò verò stabiliatur primò à rore matutino, vnde tunicam quandam tenuem sed tamen fortem induit, & in ima sua parte alligatur cortice algosa limi fluuiatilis. Sed de formicis Indicis postea dicā: nunc satis fuerit id quod de eis locutus sum.

De animalibus quæ in Plutonis hiatum deiiciuntur. CAP. XVI.

Apud Arianos Indos hiatus Plutonis est, in cuius profundo occultæ cauernæ, & recessus immensi & hominibus incogniti: quemadmodum autem sit in tantam altitudinem depressus, neque Indi explicant, neque id cognoscere admodum laboro. Amplius tria milia diuersorum animalium ouium, caprarum, boum eò agunt Indi, ac nimirum secundum quietem quicunque perniciosæ rei metu perculsus fuerit, maliue auspicij auem inspexerit, pro facultatibus suis se redimens deijcienda curat animalia, quæ quidem ipsa nec constricta vinculis, sed sua sponte viam conficiunt, tanquam illecebris quibusdam allecta: postea verò quàm ad barathri fauces accesserunt, non inuita desiliunt, neque sanè postquam in hiatum immensum, & cæcum inciderunt amplius hominibus comparent, boum tamen

mugitus

mugitus, ouium balatus, caprarum vox, equorum hinnitus exaudiuntur, ac si quis aures illius faucibus admouerit, diutissimè eiuscemodi audiet, neque enim sanè promiscuus sonus cessat resonare, quòd eò quotidie præcipites bestiæ aguntur: an ne verò solæ recentes deiectæ exaudiantur, an etiam ex primis quædam, haud equidem scio.

De testudinibus maris magni. CAP. XVII.

IN nuncupato mari magno insulam esse longam & excelsam nomine Taprobanem peruagatum est, longitudine septem mil. stadiorũ, latitudine verò quinque mil. vrbes autem non habere sed quinquaginta & septingentos vicos, tecta ex ligno facta non esse, sed ex integumentis maximarum testudinum, quæ in eo mari procreãtur. Vniuscuiusq; superficies integrum tectum præstare potest: nam singulæ testæ ad quindecim cubitorum magnitudinem procedunt, vt sub eis nõ pauci habitare queãt, ac nimirum vehementissimos solis ardores defendunt, & prolixam vmbram efficiunt, sicque ad perferẽdos imbres resistunt, vt meliusquam omnes tegulæ pluuiarum vim repellant: neque enim sic eas habitatores quemadmodum tegulas fractas sarcire, habent necesse, nam totum tectum ex solida testa constat, & suffoso saxo & cauernoso, & natiuum tectum efficienti, similis esse videtur. In Gange Indiæ fluuio testudines nascuntur, quarum

testa non minori magnitudine est, quàm dolium capax viginti amphorarum.

De elephantis Taprobanæ insulæ & cetis & monstrosis piscibus. CAP. XVIII.

IN magni maris insula Taprobane palmeta in ordinem sic mirifice plantatur, quemadmodum in elaboratis hortis opacantes arbores feritur, itémq; permultorum & valde grandium elephantorum pastiones in ea insula vigent, ac nimirum ij insulani elephanti animi robore & virtutis indole, & corporis magnitudine eis qui in continēti degunt præstantiores existimantur, eos magnis manibus in continentem transportantes Calingarum regi vendunt. Eius quidem insulæ mediterranei mare incognitū habent, maritimi verò elephantorum venationem nisi auditione, & fama haudquaquam acceperunt, omne studium, atque operam ad piscationem conferunt, id mare magnum eam insulam ambiens infinitos pisces procreare ferunt, habentes capita leonum, pantherarum, & arietum, aliorúmque animalium, & quod magnam admirationem habet, satyrorum speciem similitudinémque pisces nonnullos gerere, ac cete existere muliebri facie, eisq; pro crinibus spinas esse. Prætertea dicunt id mare alias formas procreare monstrosas, quarum genera ne describēdi quidē periti exactè explicare queunt, ac in eodem mari beluas caudam longam habentes, & pedes crurum flexu intortos & vngulis præ-

ditos, in vtraque ſede viuentes audio, & noctu ſegetes, & herbas depaſci, quódque palmarum fructu iam matureſcenti gaudeant. Iccirco eas arbores amplexu ſuo concutere, & excuſſos violento impetu exedere, & conficere, eaſdémque cum iam incipit diluceſcere, in mare abdi, tum etiam permultas balenas delphinis inſidiantes ibidem eſſe aiunt, tum duo delphinorum genera illic naſci, alterum ferum, & inexpiabili immanitate piſcatoribus infeſtum, alterum natura manſuetum circum homines natare, & more canum blandiri, & ſe contrectari ſuſtinere, atque obiectum cibum libenter ſumere.

De marino lepore magni maris. CAP. XIX.

M*Agni maris lepus (nam alterum qui in alio mari naſcitur antè dixi) ex omni parte ad terreni ſimilitudinẽ accedit, præter pilos, nam terreſtris pili & molles ſunt, & ad tactum haudquaquam reſiſtentes: contrà illius ſpinoſi & erecti, eum qui contigerit lædunt, eum quidem ipſum in ſumma aqua maris natare non in altitudinem demergi dicunt, celeri autem & concitata natatione vti, ex animalibus eo difficillimum ad capiendum eſſe, quòd neq; in rete incidit, neque ad lineæ eſcam accedit: cùm ægritudine afficitur natare non quit, ſimul & funditus expellitur, atq; eijcitur, quiſquis tum manum ad eum admouet, niſi medicina adhibetur perit, ac ſi hunc bacillo tetigerit, hoc idem*

peric

periculum ei procreatur quod basiliscus baculo tactus affert. Radicem ad idē mare nasci ferūt, haud quaquam in vulgus ignotam, quæ animi defectionibus illius qui sic affectus fuerit, medicatur, ea enim animo deficienti naribus admota facit vt is reuiuiscat, & recreetur, sin negligitur, tam sane robusta pernicie hic præditus est, vt ad mortem vsque homini morbus procedat.

De monocerote ab Indis nūcupato cartazono.

CAPVT XX.

M*ontes esse dicuntur in intimis regionibus Indiæ, ad quos difficulter eatur, vbi quæ apud nos bestiæ domesticæ sunt feras aiunt esse, vt oues, capras, boues & per se & sua sponte errare, & canes feros ab omni cura pastoritia exsolutos esse, earū quidem ferarum innumerabilitatē infinitatēq; & historicorū & Indorū sermones testantur, inter quos Brachmanes numerādi, qui hoc idē sentiūt, in ijs monocerotē quem vocāt cartazonon, numerāt, eúmq; magnitudine ad confirmatæ ætatis equū accedere dicunt, iubáq; & pilis fuluū esse, pedū bonitate & totius corporis celeritate excellere, atq; similiter vt elephātos pedū digitis indiuisis esse apri caudā habere, inter supercilia cornu vno eodēq; nigro non leui quidē, sed versuras quasdā naturales habente, atq; in acutissimū mucronē desinēte ornatum existere, omniúmq; maximè animalium absonam vocē & contētam mittere, & ad alias quidē*

bestias ad se accedentes mansuescere, cum verò gregalibus suis pugnare, neque modò cum maribus naturali quadam cõtentione dissidere, sed contra etiã fœminas certare, pugnámque vsque ad mortem ingrauescere, nam & maximo robore præditus, & inexpugnabili cornu armatus est, desertissimas regiones persequitur, simul & solitarius errat, coitus tempore ad fœminam mansuete assuescit, & gregalis fit, cũ hoc tempus transierit, & ventrem fœmina ferre cœperit, rursus efferatur, & solus vagatur, Prasiorum regi illius pullos etiam nunc teneros aiunt deportari, eosdémque festis diebus ad pugnam committi, ad robur ostendendum, nam integræ ætatis & perfectæ nullum vnquam quisquam meminit captum fuisse.

De Indicis animalibus satyrorum similibus.

CAPVT XXI.

F*Initimos Indiæ montes transmittenti ad intimum latus densissimas conualles videri aiunt, & Corudam locum nominari, vbi bestiæ satyrorũ similitudinem formámque gerentes, & toto corpore hirsutæ versantur, atque equina cauda præditæ dicuntur, eæ cum non à venatoribus agitantur, in opacis & spissis syluis solent viuere, cum autem venantium strepitum sentiunt, & canum latratus exaudiunt in montium vertices incredibili celeritate recurrunt: nam per montes iter cõficere assuetæ sunt, contra eos qui se insequuntur pugnant, de*

summis

ſummis montibus ſaxa deuoluentes: ex ijs nonnullæ ſed ægerrimè tandem aut ægrotantes, aut grauidæ comprehendũtur, illæ quidem propter morbum, hæ verò ob grauiditatem.

De ſerpentibus Scyratarum gentium Indiæ.

CAPVT XXII.

A*Pud Scyratas Indiæ populos qui naribus ſimis ſunt, inuſitata magnitudine ſerpentes naſcuntur, quæ armenta rapiunt, & deuorant, ſanguinémque exſorbent.*

De equorum docilitate. CAP. XXIII.

E*Sſe equum docilem vel illud argumento ſit, Sybaritas Italiæ populos audio delitijs ſupra modum ſtudere, cæterarúmq; rerum omiſſa cura totam vitam conſumere in luxu inertiæ pleno: ſed narrare per partes eorum ſingularem inertiam, longum eſſet, illud teſtatur immenſas delitias equos docebant ſaltare ad tibiam tempore conuiuij, quod intelligentes Crotoniatæ bellum Sybaritis intulerunt, tubam quidem canentem bellicum non ſumpſerũt, ſed tibias & tibicines, qui commiſſo iam prælio cecinerunt cantilenam ſaltatoriam, quam audientes Sybaritarũ equi memores domeſticæ diſciplinæ excuſſerunt equites, & exultantes & ſaltantes ordinẽ perturbarunt, & victoriam hoſtibus dederunt.*

De lycoſpadibus equis. CAP. XXIIII.

E*Qui lycoſpades nuncupati, Græcorum hominum cum ſtudioſi eſſe dicũtur, tum de huiuſ-*

cemodi hominum genere mirificam notionem habere, vt naturali quodam sensu ad eos amandos afficiantur: neq; enim palpantibus se offenduntur: neq; resiliunt: sed tanquam constricti tenerentur, totum diem cum ijs traducunt, atque somnum prope eosdem capiunt: sin ad ipsos barbarus accedit, quemadmodum ex vestigijs sagaciter odorantes canes feras percipiunt, sic eos equi cognoscunt, & clamorē tollunt, & tanquam sanè feram bestiam extimescentes dant se in fugam. Iam porrò ijs, ad quos assueuerunt, & pabulum obijcientibus mirificè delectantur, maximè aurigis formosis videri student, quod quidem ipsum cū natant ostendunt: tum enim in aquam bene penitus procedunt vt & nitidum os efficiant, & ne sordidum quippiam ex præsepi aut de via illitum deformet speciosum nitorem, ac adorati vnguenti suauitatem in amore & delitijs habere existimantur. Homerus testatur eos vnctionibus delectari, cùm ait, aurigæ qui equis sæpe liquidum oleum iubis infundebat, & aqua nitida lauabat. item Simonides ex omnibus feris dicens, mulieres compositas, scribit eas mundi & vnguenti studiosas esse more equorū. Quæ dicit hæc sunt, Hanc equus iubatus genuit, seruilia opera ipsam insanire cogunt: nunquam molam attingere vult, neque cribrum versare studet, neque stercus ex domo exportaret, neque equum sordidū curaret. necessitas virum facit amicum: sed lauatur ipsa quotidie bis, aut

ter

ter & vnguentis vngitur, semper fert comam vnguentis delibutam, pulchrum igitur spectaculum mulier alijs, sed habenti malum spectaculum est, quo nullus neque tyrannus, neque princeps mentem suam oblectare possit.

Quemadmodũ Persæ equos audaces & bellicosos efficiunt. CAP. XXV.

NE armorum fremitum, & gladiorũ ad clypeos resonantium crepitu equi extimescant, eos ad strepitum & sonitum assuescere cogunt, armatáque cadauerum simulacra sub ipsum fœnum subijciunt, vt cæsorũ conspectum in bello ferre consuescant, ne rerum terribilium metu affecti ad rem militarem inutiles sint: quod quidem ipsum Homerus haud sanè ignorauit, cùm Diomedem in Iliade scripsit Thraces iugulare, Vlyssem autem pedibus interfectos subtrahere, ne in cadauera incurrentes Thraces equi formidine perterrerentur, atque ad hæc ipsa insueti, vt per formidolosa quædam ingredientes præcipites effrenatione efferrẽtur, ij etiam ad discendum dociles sunt, neque rerum memoriam quas perceperunt vlla obliuio delet.

In gelidis locis oues fellis expertes sunt.

CAPVT XXVI.

IN regionibus perfrigidis, cùm niue & hyeme vehementi anni tẽpus infestum est, fellis expers est ouillum pecus, intra enim ouilia cõpulsum nouo pabulo non vtitur: deinde ineunte vere cum ad

pastiones proficiscitur, felle impletur, quod ipsum Scythicis ouibus vsu maximè euenire solere aiunt.

De Psyllis Africis & de cerastis. CA. XXVII.

AGatharcides dicit in Africa Psyllorum gentem esse, & nihil quidem ad viuendi rationem à reliquis hominibus differre: verùm tamen, cum alijs nationibus peregrinum eorum corpus comparatum admirationem habere: non enim venenatas eis bestias quicquam nocere posse, neq; phalangiorum mortiferis vulneribus vt cæteros homines affici, neque scorpionum aculeis lædi solere. Cùm enim venenatum quiddam ad eos accesserit, & vel eorum corpus attigerit, vel aliquem odorem exhauserit, veluti soporiferam bibisset potionem sopitur, & tandiu debilitatur quo ab eo Psyllus recesserit. Vt verò filios suos examinent an legitimi sint an illegitimi, eos in serpentum multitudinem cõijcientes, & probantes vt aurum artifices, antè dixi.

Quomodo Psylli auxiliantur eis qui serpentibus sint icti. CAP. XXVIII.

CAllias libro decimo historiæ quam conscripsit de Syracusano Agathocle, cerastas inquit, pestiferũ morsum infligere solere; etenim & bestias ratione carentes, & homines interficere, nisi Libycus vir natione Psyllus ad curãdum accesserit: hic sanè siue euocatus, siue fortuitò aduenerit, & plagam adhuc tolerabiliter dolentem viderit, sola saliua dolorem mitigat, & præstringit: sin percussum

cussum offenderit ægerrimè dolentem, intra dentes permultam aquam haurit, & os suum primò ex ea colluit, post verò eam in poculum eiectam vulnerato exsorbendam tradit, quod veneni acerbitas acrius inualescit, hic ægrotanti nudo nudus accumbit, & proprio suo corpore morbi vim frangit, & malo hominem liberat. Ad quod probandum amplius testis est Nicander Colophonius, qui testatur Psyllorum gentem quam Syrtis pascit, non modo non lædi ictibus serpentum, sed etiam alijs mortalibus ictis auxiliari.

De animalibus habentibus duplicia mēbra.
CAPUT XXIX.

Empedocles physicus cum loquitur de animalium vi quædam simul genita diuersa coniunctione coniugi. Quæ dicit hæc sunt, Multa quidem duplicem faciē & duplex pectus habere, quædam ex boue genita vultum humanum habere, quædam ex homine genita aspectum bouis gerere, alia muliebri, & virili forma adumbrata esse.

De capris Lyciæ. CAP. XXX.

Callisthenes Olynthius capras scribit in Lycia densißimo & prolixißimo hirsutas esse pilo, vt muliebres crines esse videantur, & passim tanquam oues tonderi, ex eisdémque nauium fabros rudentes contexere.

De bobus Phœniciæ & Lyciæ. CA. XXXI.

Phœnicum libri testantur indigenas vaccas ea

esse magnitudine, vt vel procerißimi pastores, cũ mulgent stare, atque adeò in scabellum ascendere habeant necesse, vbera vt poßint pertingere. In Libya Indis finitima retrouersus pascẽtium boum esse armenta auditione accepi. Causa cur sic pascantur est, quòd ante oculos cornua habent, & quæ ante pedes sunt, videre non queant, ex quo fit vt ingressionem ad caudam retorquentes herbam depascantur. Aristoteles ait Leutricorũ boum cornua atq; aures ex vna stirpe cognata, & simul cõtexta esse: idem dicit Libycorũ capras ex pectore appensa habere. Aristotelis filius Nicomachus ait in regione Budianorum albam ouem nullam nasci, sed nigras omnes.

De canibus Cynamolgorũ Indiæ populorũ.

CAPVT XXXII.

IN his libris, quos Cnidius Ctesias de rebus Indicis conscripsit, Cynamolgorum gẽtem, ait canes permultos, magnitudine Hircanis canibus pares alere solere. Quamobrem sit hæc natio tam canum studiosa, causam idem affert, cùm ab æstiuo solstitio ad mediam hyemem, tanquam apum examina, quæ ad alueos frequentes versantur, sic armenta numero ampliora boum ferorum eos cornibus vehementer incitata appetant & noceant, hi non aliter hæc retundere valentes, canes quos magna cura aluerunt, in ipsos immittunt, qui facile boues debellant, & interimunt. Deinde antè commemorati homi-

nes, quas esculentas carnes existimāt, sibi auferunt, reliquas canibus impertiunt, libentérque communicant. Reliquo anni tempore cùm non amplius eò boues accedunt, ad venandas alias feras secum ducunt. Iccircóque Cynamologi appellantur, quòd à canibus lac exprimunt mulctra, tum verò sic idipsum quemadmodum nos vel ouillum vel caprinum bibunt.

De ouibus Ciorum. CAP. XXXIII.

AEschylides in libris de re rustica in agris Ciorum dicit paucas oues esse vnicuique rusticorum, propterea quòd Ciorum terra sit permacra, & quòd pastiones non habeat, sed ouibus obijciunt cytisum & fici folia, & folia oliuæ, & leguminū scapos varios, & spinas, quibus pabulis nutritæ lac procreant: ex quo caseus optimus fit appellatus cynthius, qui carißimè venditur, agníq; illis procreantur pulcherrimi, qui non eo pretio quo cæteri venduntur: imò verò longe carius.

De capris Sardiniæ. CAP. XXXIIII.

SArdiniam pecudum optimam esse parentem Nymphodorus scribit, caprásque procreare, quarum pellibus pro vestimētis indigenæ vtantur: támque mirifica vi esse, vt hyberno tempore calfaciant, æstiuo refrigerent, símulque ijs ipsis pellibus cubiti magnitudine pilos innasci, atque ei qui ijs indutus fuerit, si commodum videatur, cùm est frigida tempestas, pilos ad corpus conuertit, vt ab ijs calescat

lescat, cùm autem est æstas, inuertit, ne calore vexetur.

De capris pagi nuncupati Coythe. CA. XXXV.

NOn silētio prætcribo Orthagoram: is in libris quos conscripsit de rebus Indicis inquit, in Coytha vico sic nuncupato, ab indigenis pisces capris comedendos obijci.

De elephantorum cum suibus dissidio.

CAPVT XXXVI.

ELephantum à suillo pecore timere antè dixi: nunc explicare placet quod ad Megaram accidit: cùm ab Antipatro Megarenses circunsederentur, acerriméque Macedones incumberent, primò in sues pice oblitos incendium Megarei excitarunt, deinde sic incensos in hostes immiserunt. Ij itaque furore inflammati, cùm in elephantorũ agmina incurrerunt, tum clamantes, nempe igni flagrantes, quasi quibusdam furijs elephantos incitarunt, & grauiter perturbarunt. Hi enim nullum neque ordinem tenebant, neque amplius, quamuis à primo ætatis tempore domiti fuissent, mansuefacti erant: siue quòd sua quadam recondita natura à suillo pecore longè abhorreant, grauique in id odio sint: siue etiam quia horum absonum vocis acumen perhorreant. Cuius rei non ignari educatores generis elephantini, vnà cum suibus pullos alunt, ex consuetudine eos vt minus horreant. Sic Romanos (quoniam non cornua modo arietis, sed etiam suilli peco-

ris

ris grunnitum oderunt) Pyrrhi Epirotarum regis elephantos in fugam vertisse homines dicunt, victoriámque amplam ex eo bello retulisse.

De Indicorum Psyllorũ equis, ouibus & reliquis bestiis quantula magnitudine sint, & vt suillum pecus non nascitur in India.
CAPVT XXXVII.

Apud Indos Psyllos (nã sunt etiã alteri Africi) arietibus nõ maiores equi gignuntur, oues non magnitudine agnos nostros superant, asini paruuli sunt, & similiter muli, boues, & quòd illic cúmque bestiarum perparuulum est, apud Indos nullum suem neque ferum neq; cicurem nasci Ctesias Cnidius ait, & suilli generis vsum Indos à se detestari, & tantopere ab eo vescendo quàm ab humanis carnibus abhorrere, in Macedonia sues muti esse dicuntur.

De metropoleos Ephesiæ cancris hostibus serpentium. CAP. XXXVIII.

Ad paludem quæ iuxta Ephesiam metropolim existit, aiunt cauernam esse maxima magnitudine serpentium plenam, quæ vt magnum acerbitatis virus habent in mordendo, ita tametsi ex cauerna prodeuntes vsque ad circumiectam paludem serpunt, tamen natare conantes ad primam aquam consistunt, cancrorum qui eas extensis forcipibus comprehensas interficiunt metu deterritæ, itaq; cõquiescunt, atq; à transmittendo se sustinẽt,

cancr

cancrorum custodias formidantes, & pœnarũ metum exhorrescentes, ac nisi mirabili naturæ dono paludis fauces cancri incolerent, & tuta illic omnia præstarent, dudum pestiferis serpentium morsibus incolæ perissent.

De diuersorum locorum draconibus & aspidibus. CAPVT XXXIX.

O*Nesicritus Astypaleus duos in India scribit dracones fuisse: alterum sex & quadraginta: alterum octoginta cubitorum, eosdémque Alexandrũ ardenter videre expetiuisse. Regnante Philadelpho, duos itẽ ex Aethiopia dracones in Alexandriam deportatos fuisse, apud Aegyptios peruagatum est, alterum magnitudine quatuordecim, alterum tredecim cubitorum. Euergetis regis temporibus tres etiam fuisse: vnum nouem, alterum septem cubitorum, tertium magna cura in Aesculapij templo nutritum fuisse, atque etiam aspides quatuor cubitorum Aegyptij apparuisse afferunt. Iam qui de Chiorum rebus historiam conscripserunt, ad quandam Pellæi montis vallem proceris arboribus frequentem, atque opacam, maxima magnitudine draconem inquiunt procreatum fuisse, cuius sibillum Chij vehementer perhorrescerent, cuius magnitudinem nulli, neque agricolæ, neq; pastores accedendo propius considerare auderent, sed ex solo sibilo ingentem quandam, & formidolosam feram bestiam esse suspicarentur, eius tamen magnitud*

gnitudinem tandem mirabili quadam machinatione, atque solertia cognitam fuisse, vento nimirum vehementissimo vallis arbores concussas, & violenter collisos ramos ignem peperisse, & simul inde ingens incendium excitatum locum omnem comprehendisse, & feram circundedisse, atque interceptam cum elabi non posset, ardore flammæ confla grasse, itaque nudato loco omnia conspicua facta fuisse, & verò Chios metu liberatos, cum spectatum venissent inusitata magnitudine, ossa, & immane caput offendisse, vt ex ijs quantus viuus ille fuisset conijci posset.

Qua vi & natura sit præditus seps serpens.

CAPVT XL.

Seps è genere serpentum ex eo magnam admirationem excitat, quòd colorem in eorum quæ contingit similitudinem immutat, eius imos quatuor dentes tunicula quædam occultant: ex ijs venenum emittens, celeriter & putrefacit, & interimit.

De Aegypti scorpionibus alatis, & duplici aculeo præditis, & de serpẽtibus. CAP. XLI.

Pammenes in eo opere quod de venenatis conscripsit, alatos tradit scorpiones in Aegypto nasci duplici aculeo armatos, & id quidem ipsum ait se non auditione accepisse, sed ex sese hanc historiam profiteri, bicipites serpentes binis pedibus ad caudam præditas esse in flumine nomine Argade, quod ad Persicam Psittacem est, Ctesias inquit, serpentes

pentes capite albas, reliquo corpore nigras quatuor cubitorum magnitudinem habere, & quos percusserint interimere, interdiu eas haudquaquam natare solere, sed noctu vel aquantibus, vel lintea lauantibus perniciem inferre.

De alatis scorpionibus Indiæ, & serpẽtibus & lacertis. CAP. XLII.

Megasthenes in India scorpiones dicit maximos procreari, & similiter aculeis atque europeos pungere. Alatas in India serpentes noctu proficisci ait Megasthenes non interdiu, tum eam vrinam reddere, quæ id statim corpus in quod deflu xerit putrefacit. Polictetus maximos ait lacertos in India tam valde vario colore nasci, vt pellis floridis quibusdam picturis maxime distincta, & ad tactum mollis & tenera sit. In Arabia lacerti, sicut inquit Aristoteles, ad duorum cubitorum magnitudinem accedunt.

AELIANI LIBER decimusseptimus historiæ animalium.

De serpentibus ab Alexandro spectatis.

CAPVT I.



N nauigatione maris Rubri Alexander dicit se serpentes vidisse longitudine quadraginta cubitorũ, & crassitudine pro rata longitudinis portione, & Cancrorum genus quorum crusta quoquo versum pedem haberet & maximi forcipes appensi essent: atque iccirco eis non insidias quenquam moliri, quòd Neptuno sacri esse dicerentur.

De serpentibus Indicis. CAP. II.

CLitarchus inquit in India serpentem sexdecim cubitorum gigni, atque etiam aliud serpentium genus non speciem similitudinémque aliorum gerere, sed magnitudine multo inferiores esse, tanquámque pigmentis distinctos sic versicolores spectari. Vittas enim à capite ad caudam pertinentes habere alias æreas alias argenteas, nonnullas rubras, alias aureas, easdémque pestifero morsu ce-

lerrimè interimere posse.

De viperis. CAP. III.

NYmphes librorum quos conscripsit de Ptolomeis nono, viperas dicit in Troglodityde si cum aliis conferantur ingenti nasci magnitudine: decem enim & septem cubitorum existere. Testudinum tegmenta ea esse magnitudine vt sex modios Atticos singula capiant.

De prestere serpente. CAP IIII.

PRimùm vt morsum prester è genere serpentium effecit, statim stuporem infert & immo bilem reddit: post menti obliuio & tenebræ offunduntur, vt neque notionem habeat, neque respirare, neque meiere queat, simul & percussum à pilis nudum iam morsu factū suffocatio sequitur cū conuulsionibus, & morte acerrimis doloribus referta.

Quemadmodū Aspides ab Aegyptiis mansuefiunt. CAPVT V.

PHilarchus libro duodecimo in vulgus edidit Aspides ab Aegyptiis vehementer coli, easdémque ex eo cultu mansuescere, cibóque cicures fieri, neque simul cum pueris infantibus viuentes eis quippiam nocere, & verò appellatas ex caueis prodire, atque ad appellantem accedere: digitorum autem crepitu vocantur. Aegyptii in Aspidum nationem hospitalissimi primùm vt pransi sunt statim temperatas vino & melle farinas in mensam in qua pransi sunt exponunt, postea plausu dato

eas tanquã conuiuas ad prandium vocant, illæ verò velut ad condictam cœnam inuitatæ, aliæ aliunde erumpentes accedunt, & mensam circunstant, ac reliqua omni spira in solo terræ relicta caput alleuantes circunlambunt, sensímque atque moderatè explentur: cùm autem Aegyptij de nocte habent necesse surgere ne ipsas in tenebris conculcent iterum percussione digitorum vtuntur, eis vt de via decedant signum dantes: illæ sanè sonitus discrimen intelligentes confestim in latibula abstruduntur, itaq; is qui de lecto surgit, postea in nullas ipsarum incurrit.

De crocodilis & de cetorum magnitudine.

CAPVT VI.

IN tam valde magnam sæpe magnitudinem excrescit crocodilus vt Psamnitici Aegyptiorum regis tempore Philarchus viginti quinque cubitorum dicit visum fuisse. Regnante Amaside sex & viginti cubita excessisse. Amonetus in quadam Libyca vrbe dicit sacerdotes ex lacu quodam cantionum illecebris præstrictos crocodilos decem & septem cubitorum educere. In Lacedæmonico mari accepi ingentia cete gigni, eámque ob causam quidam Critici Homerum dicunt Lacedæmonem cetosam appellasse. Circa Citheram insulam cete prædicant maiori granditate generari, eorúmque neruos accommodatos esse ad conficiendas non solùm psalteriorum & musicorum

aliorum organorum fidiculas, sed ad bellica etiam instrumenta, atque ex ijs confectæ arcuum chordæ censentur. Optimè Theocles libro quarto ad Syrtim ait cete procreari triremibus maiores. Circa Gedrosiam Indiæ regionem non ignobilis Onesicritus atque Orthagoras scripserunt, cete longitudine dimidiati stadij, & latitudine pro rata longitudinis portione nasci, tantóque robore septa esse, vt sæpe cùm naribus respirarint, tantopere in sublime marinos fluctus iactent, vt hæc imperitis maximæ maris tempestates esse videantur. In mari rubro sunt scorpij pisces & cobij duorum, ac nonnulli trium cubitorum.

De pastu & potione elephanti. CAP. VII.

ELephanti nouem ordei modios Macedonicos exedunt, & metretas Lacedæmonicas quatuordecim bibere possunt, & rursus ad eiusdē diei vesperam octo, ducentos autem atque eorum nonnulli trecentos annos viuunt. Claræ aquæ potio elephanto inimicissima est, turbulentam & sordidam suauissimè bibit, ac si ad flumen aut ad lacum accesserit, non priusquam cœnum pedibus perturbarit, & pulchritudinem aquæ deformarit ad hauriendā aquam incumbit. Sine potione octo dies fert.

De animali Cepo nuncupato. CAP. VIII.

TErrenum quoddam animal Pythagoras scribit secundum mare rubrum procreari & Cepum hoc est hortū apposite iccirco nominari, quòd

tanq

tanquam hortus varijs coloribus distingatur. Cum existit confirmata ætate, pari magnitudine est cum Herythriensibus canibus. Iam porrò eius colorum varietatem sicut ille scribit, animus nobis est explicare. Eius caput & posticæ partes ad caudã vsque prorsus valde igneo colore sunt, tum aurei quidam pili disseminati spectantur, tum album rostrum, inde ad collum aureæ vittæ pertinent, colli inferiores partes ad pectus, & anteriores pedes omnino albi, mammæ duæ manum implentes cæruleo colore visuntur, venter candidus, pedes posteriores nigri sunt, rostri forma cynocephalo recte comparari potest.

De onocentauro. CAP. IX.

ONocentaurum quisquis vidit non incredibile ducit, quod fama peruagatum est, centauros fuisse, neque fictores atque pictores in eorum descriptione errasse: verùm siue reuera fuerint, siue omni cera flexibilior & ad fingendum habilior illos finxerit, prætereo. De onocentauro quidem mihi nunc est animus explicare, quæ auditione, & fama accepi, eum ipsum homini ore & promissa barba similem esse, simul & collum & pectus humanam speciem similitudinémque gerere, mammas distantes ex pectore pendere, humeros, brachia humanam figuram habere, dorsum, ventrem, posteriores pedes asino persimiles esse, & quemadmodum asinum, sic cinereo colore esse,

imum ventrem leuiter exalbescere, duplicem vsum & manus præstare, nam celeritate vbi sit opus, ex manus præcurrunt ante posteriores pedes, ex quo fit vt non cæterorum quadrupedum cursu superetur. ac vbi rursus habet necesse, vel cibum capere, vel aliud quiddam tollere, qui antea pedes essent, manus efficiuntur, túmque non graditur, sed in sessione quiescit. Animal est graui animi acerbitate; nam si capiatur, non ferens seruitutem libertatis desiderio ab omni cibo abhorret, & fame sibi mortem consciscit. Hæc de Onocentauro Pythagoram narrare testatur Crates ex Mysio Pergamo profectus.

Quæ animalia quibus locis non sint. CAP. X.

BOeotiæ terræ solum talpis caret: iisdem Lebadia non foditur, ac si importentur aliunde moriuntur, ad eius vicinam Orchomenem permultæ procreantur, & arua subruunt, in Africa nulli sunt, neque apri, neque cerui, in Ponto neque mollia neque testacea nisi rarò & perpauca gignuntur. Dinon vnicornes aues inquit in Aethiopia esse, & sues quadricornes, itémque ouillum pecus à lana quidem inops, veruntamen pilis Camelorum hirsutum existere.

De Phalangiis Zacynthi. CAP. XI.

IN Zacyntho Phalangiorum morsu percussis bene periti dicunt, non ea modo accedere, quæ alibi

alibi ictus vsu euenire solent, sed eadem ipsa etiam omnia acerbiora fieri, primum enim vt morsus sit, totum corpus obtorpescere, & debilitari, post tremore affici, & frigidißimum esse, & vomitum cum conuulsione subsequi. Iam porrò quòd audientibus terrorem iniicit, & videntibus admirationem mouet, exponam, cum ab eorum morsu quidam integri, atque intacti balneas, quarum lauatione Phalangio vulnerati fuissent vsi, subiissent, & pedes abluissent, omnibus doloribus quibus torquentur morsu preßi exarserunt.

De rubeta rana. CAP. XII.

Est rubetarum genus, cuius facta non modò perniciosa, sed illius aspectus aspicientibus infestißimus existit: nam si quis ex iis qui malas artes ingeniose factitare sciunt, eam primò contriuerit, deinde eius sanguinem siue ad vinum siue ad aliam potionem admistum cuipiam per insidias bibendum dederit, is sane sine mora perit. Eius aspectus hanc improbitatem habet, vt eam aduersam si quis acriter intueatur, & illa contrà improbo obtutu suo respiciat ac suam respirationem humano colori hostilem anhelauerit, hominem eo pallore afficit, vt ægrotanti similis esse videatur, ac pallor per aliquot dies manet, deinde euanescit.

De charadrio siue galgulo. CAP. XIII.

CHaradrius aute eximio naturæ beneficio affecta est, nam si quis ictericus in eam acerrime intueatur, illa contrà sine nictatione ex animo respiciat, sic affectum hominem suo obtutu ad sanitatem reducit.

De perdicibus & rubetis. CAP. XIIII.

ARistoteles dicit, si perdices fœminæ aduersæ maribus steterint, ventúsque inde afflet, vbi mares stant, concipere natura quadam mirabili. Præterea perdix septem diebus nidum contexit, septem parit, totidem pullos nutricatur. Timæus & Heracles & Meocles medicus dicunt rubetas ranas duo habere iecinora, & alterũ quidem occidere, alterum alteri contrarium afferre salutem.

De monedulis CAP. XV.

THeopompus Venetos inquit Adriam accolentes, cum sementes faciunt, monedulis farinas oleo temperatas muneri iccirco mittere, vt eos permulceant, & cum ipsis tanquam fœdus sanciant, ne sementes refodiant, & grana sparsa legant. Lycus cùm hæc vera esse fatetur, tum eosdem addit loros rubros eis proponere, & monedularum greges extra fines manere, ac nimirum duos, aut tres ex vrbibus tanquam legatos ad eos mitti solere, exploraturos hospitum multitudinem, qui vt eam perspexerunt, inuitant, & reuertuntur: eæ autem inuitatæ gregatim proficiscuntur: ac si offas

obiect

obiectas comederint, se pacem & fœdus habere Veneti intelligunt: sin contempserint, & tanquam vilia non dignētur comedere, indigenæ sibi persuasum habent illorum contemptum famem ostendere, & tanquam muneribus incorrupti, nec ex obiectis escis quippiam gustantes in arationes inuolant, & cum maxima animi acerbitate inuestigantes semina prædantur.

Quemadmodum pastinaca saltatione musica capitur. CAPVT XVI.

CVm pastinacam subnatantem piscator intuitus fuerit, ridiculum quiddam in piscatoria saltat, & ad tibiam quam tanquam illecebrā fert, canere incipit, hæc ex ea re magnā lætitiam volupta témque capit. Etenim, sicut ferunt, aures habet, tum musicæ tum saltationis oculos intelligētes, atq; hac permulsione illecta sensim ad summam aquam effertur, interea cum is, qui cantu, & saltatione illecebras egregiè machinatur, alter quispiam piscatorio captu imprudentem subducit.

De bobus & equis & muribus terrę Caspiæ. CAPVT XVII.

AMyntas in mansionibus, quas sic inscripsit, in Caspia innumerabiles boum & equorum greges esse. Præterea addit in Caspiæ montes murium multitudinem accedere, eosdémque in perennibus fluuijs rapidè præcipitantibus intrepidè innatare, & caudas inter se mordicus tenentes firma-

mentum habere, eóque firmo vinculo fluuios transmittere. Cùm autem in arationes transierint, segetes succidunt, & in arbores ascendentes fructus edunt, & ramos frangunt, quibus Caspij vbi resistere non queunt hoc modo infestas eorũ incursiones moliuntur vlcisci. Vncinatos vngues auibus habentibus parcunt, quæ quidem ipsæ tantis sanè gregibus vt nubes esse videantur eò aduolantes mures sedibus pellunt, & suo proprio quodam naturæ munere à Caspijs famem depellunt. Vulpium Caspiarum tanta est multitudo, vt non modò accedant ad stabula agrestia, sed etiam in vrbes ingrediantur, & domos introeant, non feræ rapaces, sed velut domesticæ & adulantes Caspijs, vt apud nos canes. Verùm mures ad Caspios agros venientes ea magnitudine sunt, qua Aegyptij Ichneumones, agrestes sunt & acerbi non aliter dissecare ac deuorare possunt quàm mures ferrum in Teredone Babyloniæ, quorum pelles molles à mercatoribus ad Persas portantur, quibus vestes fiunt, & corpus optimè fouent.

De parnopibus Galatarum. CAP. XVIII.

EVdoxus ait Galatas qui ad orientem solem pertinent, eiusmodi facere, quæ si cui credibilia videntur, fidem adhibeat, sin minus, reijciat. Cum maximi Parnopum greges, vt nubes esse videantur in Galatiæ agros inuolantes frugibus incommodant, tum Galatæ quibusdam precationibus

&

& obsecrationibus vtuntur, simul & sacra conficiunt, quibus aues implorant, ex autem illorum precibus obsequentes frequentes veniunt, & Parnopes perdunt: ac si quis è Galatis eas ipsas comprehenderit, hoc supplicium in eum ex legibus illius gentis constitutum est, vt morte mulctetur: ac si huic qui eas cœperit, ignotum fuerit, aues tantopere offenduntur, vt iterum inuocatæ propter impunitatē illius non ipsorū precationibus obtēperent.

De hirundine alba. CAP. XIX.

ARistoteles in Samo ait albam nasci Hirundinem, cuius oculos si quis pupugerit, statim quidem excæcatur, post vero visum recipit, & sicut ille dicit, sic acutè quemadmodum à principio videt.

De Cinamomo aue. CAP. XX.

CInamomum auem auditione accepi ex plantæ gentilis suæ surculis & luto nidos construere, ac nimiru qui eiusmodi ramulos ambiunt, iacula grauia robusto & contentissimo neruo expulsa magno impetu contra ramos quibus nititur nidus mittere, itaque rumpuntur, & festucæ decidunt.

De horione aue Indica. CAP. XXI.

CLitarchus in India scribit volucrem amatorio affectu flagrantem nomine horionē nasci, magnitudine Herodio similem, rubris cruribus, oculis ceruleis, sic à musica instructam, vt naturæ munere

munere tam ſuauiter canat, vt decantatum deum Hymenæum, & ipſas Sirenas laceſcere poßit.

De catreo aue. CAP. XXII.

CAtreum auem ita nuncupatam eximia formæ cum pulchritudine Clitarchus ait, tum pauonis magnitudine eſſe, tum pennarum eius extremitates Smaragdi ſimilitudinem gerere: ac ſi alios intuetur, eius oculi neſcias quo colore ſint: ſinte aſpiciat, purpureos dices, quod in aliorum oculis album, in illius pallidum eſt. Acri atque acuto videndi ſenſu prædita eſt, capitis plumæ partim candidulis ac ocellis partim guttis quibuſdam aliis in alias implicatis diſtinctæ ſunt: pedes eius Sandaracini, & vox canora, & quemadmodum luſciniæ acuta & conciſa, eam in delitiis maximè omnium auium Indi habent, vt aſpectu illius expleri non poßint, ex oculis facula ſplendet, lucidißimæ vt flammæ ſimilis ſit, tantóque opere gregatim volant vt nubes eſſe videantur, cantandi ſuauitas & oris expreßio tanta eſt, comparationem vt nullam habeat, vt craſſum ſit, Sirenas quaſdam alatas eas dicere.

De cycnis. CAP. XXIII.

CYcnis ſedes & commorationes ſunt in lacubus, paludibus, ſtagnis, & perennibus fluuiis, quorum confluens moderatè, & ſedatè fertur, ſuapte natura pacati ſunt, ad ſenectutémque perueniunt non ſibi grauem, robori quo magno præditi ſunt

ſunt confidentiores: non tamen vt iniquè in cæteras aues dominentur, ſed vt laceſſiti iniurias propulſent, facile aquilas prouocati vincunt.

De ſimiis Indicis. CAP. XXIIII.

IN India Clitarchus tradit ſimiarum genus varium & multiplex oriri, tantámque earum in montibus multitudinem eſſe, vt vel Alexandrum magnis copijs ſeptum Simiæ frequentes perterrefecerint, quòd arbitraretur ſe ſibi inſidiātem exercitum videre: nam cùm Alexandro ſe oſtenderunt caſu, excelſo & recto corpore erant, non capiuntur retibus, neque ſagacium canum venandi ſolertia præditorum, ſed cùm ſit animal ſaltationis auidum, ſaltare cupit, ſi item quempiam viderit calceos induentem imitatur, & ſi quem viderit oculos pingentem aut lauantem hoc idem facere ſtudet: itaque pro his ex plumbo factos graues calceos proponunt, & laqueos ſubijciunt, vt pes quidem ingredi poßit, & interim firmo vinculo retineri: itémque viſco decipiuntur: nam illis videntibus, Indus pelues aqua plenos in earum conſpectu ponit, ex eáque oculos oblinit, ac mox viſcum pro aqua reponit: illæ aſpicientes, vt ſunt ad omnia imitanda aptæ, continuo deſcendunt, oculóſque & ora ipſi ſimiliter viſco oblinunt, at vis glutinis oculos claudit: itaque non videntes & fugere non valentes facillimè capiuntur. Alia dicta ſunt de Simijs Indicis & reliquis.

De leonibus Indiæ. CAPUT XXV.

LEones in India nasci maximos, ne tenuissima quidem dubitatio est: terra enim India mater optima aliorum animalium in causa est. Hi immanissimi dicuntur, eorum pelles aspectu nigræ sunt, & horridæ & formidolosæ. Si capiantur, mansuescunt quidem, modò ne maximi sint: tum verò adeò assuefiũt loro, vt facilè similiter atq; canes ad venandos ceruos, apros, tauros, & asinos syluestres duci queãt: sagacissimè enim, sicut audio, odorãtur.

De gente quadam Libyæ. CAP. XXVI.

IN Libycorum regione gens est, quam dicunt appellari Nomæam felicem, quo ad tandem deleta est ab leonibus, qui magnitudine maximi, multitudine frequentes, viribus inexpugnabiles, illam gentem inuaserunt, & funditus perdiderunt.

De feris animalibus Samiis. CAP. XXVII.

EVphorion in suis commentarijs scriptum reliquit Samum cum olim desertissimam fuisse, tum in ea bestias feras maxima magnitudine nomine Neades fuisse, quarum sola voce terra discederet, indéque profectum esse id prouerbium quod vulgo Samij dicunt, maius vi Neadum. Idémque affert, earum ossa maxima vel sua ætate extitisse.

De elephantorũ fortitudine. CAP. XXVIII.

INdorum regem hostibus bellum inferentem, bellatorum triginta milia elephantorũ antecedunt: tum verò maximorum & fortissimorũ tria

mil

milia subsequuntur, ad hostiles muros ipso incursu euertendos institutorum. Cùm enim rex iubet, euertunt. Idque se audiuisse Ctesias scribit: idémque Babylone se vidisse dicit, palmas ab his ad moderatoris sui iussum violentissimo impetu extirpatas.

De piscibus paludis Pæonidis CAP. XXIX.

ZEnothenis scribit in Pœonide palude quosdã pisces procreari, quos si bubulo pecori edendos obijcias, eis adhuc palpitantibus expletur libentius quàm cæteri boues fœno, contrà ab eorundem mortuorum vsu, sicut idem ait, tantopere abhorret, vt non attingat.

De piscibus Armeniæ. CAP. XXX.

IN Armenia excelsum saxum auditione accepi permultam aquam emittere, sub enim saxum subijci fontem quadrangulum, tres passus altum, singuláque eius latera stadij dimidium occupare, & simul cum aqua pisces frequentes excidere, cubiti magnitudine, tum maiores, tum non multo minores, & ex ijs partim quidem delabi semimortuos, partim adhuc palpitantes ad mortem præcipitare, & peruagatum est eos colore esse nigerrimos, & non aspectu insuaues: veruntamen si quid eorum vel homo vel fera bestia gustauerit, statim mori: propterea Armenios, quod ferarum multitudine redundent, primùm eos collectos ad solis radios exsiccare, deinde ne hausta piscium aspiratione graui & pestilenti pereant, ore & naribus

obtur

obturatis hoc piſcium genus diſſecare, quod quidem ipſum in farinas redigunt, & ad ficus admiſtas in ea loca quæ maximè abundant feris diſſeminant, beſtiæ primum vt eas attigerunt, ſtatim moriuntur, atque ea fraude apri, feræ capræ, cerui, vrſi, aſini ſylueſtres necantur, nam eiuſmodi animalia exiſtunt & ficuum & farinarum auidiſsima. Iam verò alio modo tollunt leones, pardales, lupos, nam in domeſticarum ouium, & caprarum diſciſſum latus farinas ex ijs piſcibus temperatas abdunt: poſt verò hanc eſcam ad eos aliciendos obijciunt, accum eiuſmodi quippiam pardalis, leo, lupus guſtarint continuò interimuntur.

De oxyrynchis Caſpiis. CAP. XXXI.

IN maximo Caſpiæ lacu oxyrynchi ab acumine roſtri nuncupati magnitudine octo cubitorum procreantur, eos Caſpij captos diſtrahunt, & muria condítos, atque exſiccatos camelis Ecbatana vehunt, ſimul & adipe detracto farinas ex ijs conficiunt, & huiuſmodi ſalſamenta quidem vendunt, ex his piſcibus facto oleo pinguiſsimo & ſuaueolenti vnguntur, atque etiam exempta ex ijs viſcera excoquunt, vnde ad permultos vſus accommodatum fit glutinum aſpectu ſplendidum. Nam non modò ad quæcunque applicatum fuerit adhæreſcit, ſed & firmiſsimè retinet, vt & decem diebus madefactum nunquam poſtea diſſoluatur, & eo ad elephantos comprehendendos venatores

tores vtantur, & pulchra facinora edant.

De Caspia volucre. CAP. XXXII.

FAma quædam venit in sermonem hominum, apud Caspios auē procreari magnitudine maximi gallinacei versicolore varietate florentem: atque auditione accepi eam supinam volare, & sub collum extensis cruribus ipsum eisdem subleuare, tum catelli vocem mittere, neque in sublime, sed circum terram iccirco volare, quòd in altum non queat sese attollere.

De aue Caspia vel potius Indica.

CAP. XXXIII.

AVis Caspia vel potius Indica, nam in India etiam nascitur anseris magnitudine, & lato quidem, sed tenui capite, cruribus paruis prædita est, vario colore distinguitur, nam eius dorsum purpureum est, venter maximè coccineus, caput & cutis exalbescunt, vocem caprinam mittit.

De Caspiis capris. CAP. XXXIIII.

CAspiæ capræ & albißimæ sunt, & cornibus mutilæ, & ad maximorum equorum magnitudinem accedunt, earum villi adeò molles, cum milesiis lanis vt mollitudine comparari poßint, ex iisque Sacerdotes, & Caspiorū ditißimi vestes vt conficiant.

I

De auibus quæ nascuntur in insulis Caspij maris. CAP. XXXV.

IN maris Caspij insulis cum alias aues nasci ferunt, tum maximè vnam ea vi, & natura affectam, vt magnitudinem quidem vel egregium anserem superet, pedes autem habeat grui persimiles, dorso sit vehementer rubro, ventre viridi, collo albo, & dissæminatis maculis croceis distincto, non minus quàm duo cubita longo, capite item tenui & longo, rostro nigro, vocem ranis similem mittit.

De prasianis simiis.

CAP. XXXVI.

IN Prasiana Indorum regione Megasthenes simias scribit maximis canibus non inferiores esse, magnitudine quinque cubitorum caudam habere, tum ex earum fronte comas propendere, easdémque barbam promittere, tum facie alba esse, & vero corpus nigrum spectari, neque malitia cæteris simiis ingenita, sed mansuetudine & humanitate imbutas esse.

De culicibus & scorpiis & phalangiis nuncupatis Tetragnathis. CAP. XXXVII.

APud Indos nuncupatos Rhisophagos ad fluuium Estabaram culicum multitudines tantæ, vt nubes esse videantur horribiles in aere, apparentes exortu caniculæ multa lædunt, sed præcipue, ad paludem nuncupatam Aoratiam, quæ non

longe est à supradicto flumine, culices redundant: regionem vicinam inde ferunt superioribus temporibus ab hominibus habitatam fuisse. At scorpiorum multitudinem inexpugnabilem emersisse, & Phalangiorum quæ appellant Tetragnatha inuasisse, & hæc mala nata ex pernicie hymbrium, primùm homines illic misere tolerauisse, deinde cum se tueri nequirent regionem reliquerunt.

Quæ animalia sedibus homines expulerint.

CAP. XXXVIII.

De patriis sedibus quosdam Italiæ populos incursio murium agrestium expulit, atque in fugam compulit: quæ sanè sic segetes, & plantas tanquàm summa siccitas, aut teterrimum frigus, aliáue mala tempestas vastabat, radices succidens Medicam regionem etiam homines habitantes expulit murium multitudo sementes corrumpens. Autoriates Indi ranis inchoatis & imperfectis de cælo lapsis in alium locum demigrare coacti sunt, & quandam nationem Libycam Nomadum cùm aliis rebus felicem, tum lacte abundantem maximorum leonum magna multitudo de suis locis depulit.

De Cariæ & Lyciæ Pardalibus. CAP. XXXIX.

Lyciæ & Cariæ pardalis nec animosa est, neque valde valet saltu, nisi cum est vulnerata,

tum spiculis resistit neque ferro facile cedit.

De rhinocerote & quemadmodum pugnat contra elephantum. CAP. XL.

RHinocerotis figuram nimis valde frigidum esset describere, cum permulti ex Græcis, & Romanis qui illum viderunt, eius formam planè sciant: at enim vim & illius naturam actionum non alienum est exponere: quòd in summa nare cornu gerit, cuius mucro acutus existit: ex eo nomen traxit, neque ipsum illud de robore concedit ferro, quod quidem ipsum cum est contra elephantum pugnaturus, saxis exacuit & limat: cætera non ei paria cum elephanto: nam hic & procerissimus est & fortissimus. Cornu igitur cuspidato elephanti crura subiens aluum discerpit & lacerat, isque effuso sanguine decumbit. Pugna eorum est de pastionibus, pro iisque tuendis multi mori dicuntur, ac si aluum non præoccuparit rhinoceros, sed in aliam elephanti partem aberrarit: elephantinis dentibus distrahitur, ac tametsi eius pellis ea existat firmitate vt ægrè iaculo penetrari queat, tamen tam violentus est elephanti impetus, vt eam traiiciat.

De tauris Aethiopicis & quemadmodum venantur. CAP. XLI.

FEri tauri Aethiopici si cum Græcorum bobus conferantur, duplam habent magnitudinem, ac velocitate corporis summè excellunt, tum ruf-

fis pil

sis pilis vestiuntur, tum cæsiis oculis ornantur, & alias quemadmodum aures sic cornua mobilia habent. At enim in pugna ea ita animi feruore contendunt & erigunt, pugna vt nulla flecti queant. Eius tergora tanto robore sunt, vt nullis neque spiculis, neque telis penetrari poßint, in equorum & boum armenta & feras omnes inuadunt. Itaque pastores ad tuendum suum pecus occultas foueas in magnam altitudinem depressas machinantes moliuntur eis insidias, hi cum deciderunt acerbe ferunt, & atrocis animi excandescentia suffocantur. Apud Troglodytas iustis de causis eiusmodi bestiæ præstantißimæ existimantur: nam habent leonis vires, equi celeritatem, tauri robur, & ferri duritiem superant.

De gallinaceis & gallinis.

CAP. XLII.

MNasias dicit esse templum Iouis Herculis & huius coniugis quam canunt poetæ Iunonis filiam, & addit in templi claustris cicures aues permultas nutriri: nimirum gallos & gallinas, pascuntur enim & congregantur inter se mares cum maribus, fœminæ cum fœminis, victúsque eis ex publico præbetur, & sacræ aues habentur, gallinæ quidem in septis Iunonis pascuntur: galli vero in Herculis. Euripus perennis & puræ aquæ fluit medius, fœminæ nullæ ingrediuntur in septum Herculis: mares cum tempus est coeundi, præter-

uolant Euripum coituri cum gallinis, deinde redeunt in septum suum perpurgatæ aqua dirimenti genera auium: ex eorum coitu oua nascũtur, quibus incubant matres, & pullos exclusos si mares sunt galli ad sua cubilia ducunt, & nutriunt. Si vero fœminæ extiterint, gallinæ eas nutriunt.

Leo comedit carnes cameli.

CAP. XLIII.

CAmeli carnes à leonibus comedi solere testimonio est Herodotus, cum in Xerxis camelos, qui cõmeatum portarent, dicit leones inuasisse, & ex aliis animalibus nulla neque iumenta, neque homines attigisse.

De apibus chalcoeidibus nuncupatis.

CAP. XLIIII.

ANtenor in tractatione Creticarum rerum in Rocciorum vrbem ait diuino quodam impulsu apum quæ vocarentur chalcoeides examen accessisse, & defixis aculeis molestiam eis exhibuisse: illos earum impetum non sustinentes solum mutasse.

Quemadmodum aquila ab homine auxilium assecuta statim sibi benefacta retribuerit.

CAP. XLV.

DEcem & sex viri frumentum in area baculis excutientes, vastißimis solis ardoribus cũ

ardentißimè sitirent, vnum ex suis, vt aquam de proximo hauriret fonte, miserunt, is messoriam falcem in manibus habebat, & in humeris situlam gestabat, vbi verò ad fontem venit, aquilam offendit à serpente circumplicatam iam iam proximam vt strangularetur, in eam, vt sæpe solet, inuolauerat: veruntamen non suarum fraudum compos in eâ ipsa expugnanda euaserat, neque illud Homericum pullis suis escam attulerat, at enim spiris illius circumuenta vicina erat ad pereundum: agricola, vel quòd non ignoraret, vel quòd auditione accepisset aquilam Iouis nunciam, & ministram esse, & item quòd egregiè teneret feram bestiam esse, falce serpentem ab aquila abscidit, & vinculis eam vnde effugere non poterat, exsoluit. Cúmque his obiter gestis reuertisset, atque hausta aqua vinum temperatum omnibus ministrasset, ij quidem auidißimè bibere ingrediuntur: is autem qui aquam hausisset, iam post illos bibiturus erat, nam tum famulus non compotor erat, ad labra poculum cũ admouisset, seruata aquila circum locum illum etiam nunc versans, sic in poculum inuolauit, vt potio effunderetur: ille quòd grauiter sitiret, indignatus ait, hanc ne gratiam cum sis illa (nam auem recognoscebat) tuo conseruatori refers? Itáne Iouem gratiarum inspectorem & præfectum vereris. Cùm hæc elocutus se ad alios conuertisset, videt ex venenata potione palpitantes extremũ spiritũ efflari.

Serpens, vt coniicere licebat, suo veneno fontem imbuerat, itaque redemptionis præmium ei, qui se conseruasset aquila cum pari salute compensauit. hæc dicit Crates Pergamenus, & Stesichorus, in quodã poemate graui, & antiquo in vulgus haudquaquàm peruulgato.

Autoris peroratio. CAP. XLVI.

Quæ studium meum & cura & labor inuenire potuerunt de animalibus, & quæ inuenerunt probati viri & philosophi animalium vires periclitati, quantum potui disserui, non præteriens quæ noui, neque contempsi animalia rationis & vocis expertia, imò ingenitus amor sapientiæ me inflammauit ad eorum vires persequendas, nec ignoro quosdam qui acriter persequuntur studium pecuniæ & honorum meam industriam damnaturos, quam non contenderim similiter ad ambitionis studium. Cùm ego etiam potuissem supercilia attollere & inter aulicos cẽseri & procedere ad magnas diuitias, at meus labor est de vulpibus, lacertis, scarabæis, serpentibus, & leonibus, & quid facit pardalis, & vt Ciconia in parentes pia, vt luscinia vocalis, vt elephantus philosophus, & genera piscium, gruum peregrinationes, serpentum naturas, & cætera quæ hæc historia laboriose collecta habet obseruare pergo, neque desidero inter diuites numerari & censeri. Sed si poetæ sapientes & viri naturæ secreta videre & considera

dera

derare valentes & historici experientia longissima provecti animalium historiam se ipsis dignam existimarunt, ego inter eos quoquomodo me unum numerari conor, & malo doctrina quadam excellere, quàm assequi decantatas ditissimorum divitias. Sed de his nunc satis. Nec ignoro illud, quosdam non probaturos quòd singulorum animalium rationem non uno loco separatim tractauerim, sed intermiscuerim variè. Ego primùm mei iudicij non alieni sum seruus, deinde varietate lectionis lectorem allicere studens, & ex similibus fastidium fugiens velut pratum aut coronam pulchram ex multis coloribus existimaui oportere texere historiam. Iam verò si venatoribus vel unum animal inuenire videtur prosperum quiddam: at tot animalium vestigia deprehendere, ego dico generosum quiddam, & quas natura animalibus dedit vires inuestigare. Quid ad hæc Cephali & Hippolyti & si quis alius in montibus exercitatus fuit ad capiendas feras, at non item ad capiẽdos pisces ut vel Metrodorus Byzantius, vel Leonides huius filius, vel Demostratus, vel alij plerique periti piscandorum piscium & pictores, quos magno spiritu affecit, vel equus pulcherrimè pictus, ut Aglaophontem, vel hinnulus ut Apellem, vel buccula ficta ut Myronem, vel aliud quippiam. Quòd si unus tot animalium mores, figuram, sapientiam, ingenium, iustitiam, moderationem, amorem in parentes & fi-

lios pietatem inuestigauit, & illustrauit, cur non hic admirandus? Iam verò illud non demonstrabo, quòd si animalium rationis expertium pietatem decantamus, hominum impietatem arguimus, quod in principio dixi, repetam. Si dixi quæ omnes, vel plurimi, non accusandus sum: animalia ipse alia fingere non potui: quæ verò noui permulta demonstraui. Adde quòd nonnulla quæ nullus alius experientia edoctus dixi. Mihi amica veritas, cùm aliis in rebus, tum maximè in his. Vt verò hæc scripsi, & quanto cum labore, & quàm illustri nominum & verborum compositione, nisi vitar malis iudicibus, lectores cognoscent.

FINIS.

ELEPHANTI NOVA DESCRIPTIO,

AD REVERENDISSIMVM GEORGIVM CARDINALEM ARMAIGNACVM,

AVTHORE PETRO GILLIO ALBIENSE.

Hæc sunt quæ hoc libello tractantur.

Præfatio, vbi materiam statim aggreditur.
De Elephantorum oculis. cap.1
De Elephanti dentibus extra os prominentibus. cap.2
De eius interioribus dentibus. cap.3
De pede illius. cap.4
De Magnitudine. cap.5
De Elephantis Constantinopolis. cap.6
De marino Elephanto. cap.7
De Hippopotamo. cap.8
De Chamelopardali. cap.9
De cauda bouis Indici. cap.10
De Ichneumone & de muribus Arabicis, & Aegyptiacis. cap.11



ELEPHANTI NOVA descriptio, missa ad Reuerendissimum Cardinalem Armaignacum, ex vrbe Berrhoëa Syriaca,

AVTHORE PETRO GILLIO.



B illis literis, quibus proximè summam totius nostri itineris ab vrbe Bizantio vsque ad Tephricem, Mediæ vrbem, inde vsque ad Berrhoëam Syriacam tibi breuiter designaui, nihil notabilius obseruaui, quàm heri interitum elephanti, eiúsque sectionem: quæ, quoniam tot per secula inaudita insitatáque habetur, eam tibi informabo, sub aspectúmque tuũ subijciam elephãtum, quem ex Persia ad Regẽ dominus Aramõtius, Regis legatus, peruenire cupiebat, iámq; lõgo & difficili Mediæ, Mesopotamiæ, Armeniæ itinere cõfecto, Tigríque atq; Euphrate traiectis, incolumem, simul cum rectore Indo in Syriam, ineunte hyeme, perduxerat: qua exacta, quoniam frigore læditur, ad Regem properaturus erat: sed intereà interiit: quam ob causam, posteà afferã, quàm ostendero quid ex eo viuo perceperim, cùm ipse mihi ægrotanti assidua in itinere spectacula præberet,

præberet, vel promuſcidis varijs & multiplicibus geſtibus, vel admiſſione eorum, qui in eius dorſo ſeſſitare gloriarentur, vel colludere cuperent. Nam ſiue ob exquiſitam manſuetudinem, ſiue ob ætatem (nondum enim quadriennium ſuperaſſe dicebatur) ſemper ad ludicras luctationes paratus erat à noſtris ſibi obiectus, à quibus, etiam imbecillioribus, interdum vinci ſe patiebatur: ac ſi quis noſtrûm, inſertis in collum illius brachiis, cum eo luctaretur, ipſumque ſupplantaret, in terrámque abijceret, exhilareſcere & quaſi ridere videbatur. Hilariter enim & facilè patiebatur à ſuis concertatoribus corripi, nunc promuſcidem, nunc dentes, nunc collum, nũc crura, quibus ſingulis, cùm eos facilè reijcere potuiſſet: tamen ſe reijci, in latus impelli, ſupplantari, proſterni ita facilè patiebatur, vt etiam ſi ſolo dorſo ad terram adnitens, quatuor pedibus in cœlum erectis, ſupinus conſtitueretur: tamen nullius auxilio ſe facilè inuertebat, atque erigebat, alacritérque pugnans ludicras redintegrabat. Quis ex his Strabonem, cæteróſque non rideret? ſcribentes, elephantorum venatores notare arbores, quibus elephanti accumbere ſolent, atque ex altera parte truncum reſcindere, cui beſtia inhæſerit, eámque pariter cum arbore ruere: cúmque reſurgere nequeat, propterea quòd crura continuum & inflexum os habeant, ex arboribus deſilientes illam obtruncare. Quod commentitium deprehendi, nõ modò ex

do ex antè dictis, sed etiam ex eius gressu, quo cum iter feci quindecim dierum, atque adeò ex eiusdem extincti sectione, id quod paulò infra ostendã, quàm adscripsero exigua quædam, quæ ægrotans obseruare potui in eius itinere, quod passu gradario tantum conficit, quantum festinantes equi. Molliter incedit, vt sessor immobilis esse videatur, non solùm rectorem ascendere tentantem crure flexo incuruatóque in gradum excipit, sed alios quoque assidere volentes à tergo rectoris. Primum ascendentem crure priore erecto excipit, reliquos crure posteriore similiter erecto. Ita enim crus inclinat, vt ipsum flectat, tibiámque in gradum dispositam, etiam diu suspensam teneat, si quis cunctatur in ascensu: neque modò si rector iusserit, latere inclinato, & genu flexo excipit assessorem, sed etiam totum latus inclinat & simul ad terram abijcit eiusdem lateris tibiam priorem & posteriorem, vt facilius, quẽ rector voluerit, suscipiat. In itinere promuscidem gerit porrectam ad terram vsque, & nisi paululũ eam incuruaret, reptantem humi traheret, aut pedibus calcaret, ipsam huc illuc circunfert, semper inquirens aliquid, quod edat, nunquam otiosam habet, nunc folia stringit, nunc herbas decerpit, quas vt fruticosas esse percipit, earum cacumina proboscide corripit, pede autem radicitus euellit, eo pedis impetu vtens, quo agricola ligonis extirpat frutices: nunc à vicinis quippiam exposcit, & cùm hæc desunt

desunt petras voluit, aut terram proijcit. Promuscidem ita flexibilem habet, vt ea vtatur supina, prona, obliqua, vt modò infra ventrem, modò in latera inflectat abigens muscas, modò reflectat sursum versus, vt etiam supra caput erigat, petens, aut accipiens à rectore cibum, modò promuscide puluerẽ colligat, eúmque spargat in locum, quẽ muscæ vrgent. Capistro non regitur, neque freno, sed claua ferrea. Gubernator enim sedens in eius dorso, clauam vncinatam præ se gerit, cuius mucrone frontem leuiter ferit, cuius metu etiam leuißimè tangentis, omnia rectoris iussa obire solet: neque semper rector clauam manu tenere necesse habet, sed duntaxat ex elephanti fronte appendere. Is cùm ad diuersoria venit, iámque videt rectorem descendisse, clauam ex fronte pendentem, promuscide corripit, in terrámque leuiter abijcit: id quod in itinere, etiam si rector descendat, & secedat abijcere non solet. Promuscide bibit & spirat, sine ea nullum cibum capere potest, quem vt extensa promuscide ceperit, eam in os reflectit, eiusdémque extremam partem pabulum tenentem intra os immittit, vt solent homines cochlear. Aquam ita haurit, vt promuscidẽ impleat, deinde ipsam reflectit, intráque os promuscidis extremam partem dabit, benè penitus, tum etiam ex promuscide aquam in fauces respirans attrahit, & promuscidem, vt mamillam, sugit. Promuscide spirat & respirat magno sonitu, & longo, cùm

go,cùm dormit. Nam eius spiratio tandiu permanet,ut triginta vocabula proferre possis, totidémque à fine aspirationis ad initiū respirationis repetere valeas. In respiratione tantum temporis ponit,quantum in spiratione: quæ vtraque cùm sit sonans,velut fistula quædam, tamen spiratio est sine percussione soni: at respiratio habet quasdam percussiones, velut fistula ad tactum foraminum. In luce versari gaudet, itaque candela ei apponitur de nocte. Quòd autem murem capitaliter odit, ideo qui præsunt elephantis, feles habere solent in stabulis. Quàm iustum sit animal, cùm ex alijs illius actis deprehendi, tum ex eo, quod non semel vidi, cùm equi vicini auenam & fœnum edisset,postea ex sacco, quem fortè in angulo stabuli inuenit, promuscide auenam iterum & sæpius deportauit,equóque obiecit edendam: similiter fœnum sibi datum, promuscide comprehendens,equo obtulit,sensim gradiens, ne equum terreret, equíque fœnum oblatum comedentis supra dorsum promuscidem posuit, ei blandiens. Postea verò quàm in Berrhoëa Syriaca, quam nunc Calep nominant, hyemasset, iam iámque ad Regem iter ingressurus esset,incidit in ægritudinē,quam alij dicebant contractam negligentia rectoris, alij animi angore,quòd rectoris negligentiam ægrè ferens,ipsius latus læsisset cornibus. Ex eo tempore visus mœstior, & cibi parum appetens: id quod

videns ipse, prædixi rectori, id animal esse ex illo genere, quod ex offensione rectorum suorũ ægritudinem contrahere soleret, indéque sæpe mortẽ sequi: proinde eum, cui minas intentauerat, eíq; verbis linguæ Indicæ iratus fuerat, & iam triduum non viderat, lætus adiret ac consolaretur. Meam admonitionem rector, vt homo humanus erat, humaniter accipiens, elephantum extra vrbem exhilarãdi causa duxit, sed serò. iam enim morbus conceptus inualuerat, atque in stabulum ad vesperam, postquam reductus fuisset, grauius ægrotare cœpit, paulóque pòst ea nocte magno strepitu totus cecidit in terram, iamiam moriturus. Per horam prostratus iacuit, magnis gemitibus dolorem testans, ac quàm mox, editis suspirijs mortiferis, extinctus est. Alij eum veneno interijsse suspicabantur. Sed nulla signa veneni neque in corde, neque in cæteris visceribus deprehendere potui. Postridie cùm illius interitus nuntiatus esset mihi, iampridem languenti, & tum valde fesso ex itione & reditione à foro, vbi equos emeram ad profectionem Hierosolymitanam, tardè ad eũ accessi, non tam labore retardatus, quàm dolore non modò meo, quem priuatum ceperam ex tam humano comite peregrinationis nostræ: sed etiam magis ex Aramontij legati vehementi angore, quo afficiebatur, cùm eius interitu, tũ maximè Regis ex inani expectatione, quam dolebat frustra Regi attulisse

tulisse

tuliſſe,quæ in cauſa fuerunt,quamobrem ea obſeruare non potuerim, quæ obſeruanda erant in ſectione tam inuſitati animalis. Accerſiti Syri, camelorum equorúmque excoriandorum periti. Primùm à genitalibus ad oris labrum inferius gladio pellem ſecuerunt, deinde vſque ad dorſum pellem ſubtraxerunt, crurum pellem ab imo ad ſummum ſecantes: mediam diripuerunt, iuncturis inferioribus ſupra pedem alligatis, gladio diuiſis, vt plantam pedis cum pelle relinquerent, ſed etiam plures iuncturas reliquerunt vnà cum pelle ſupra pedem: itaque ſcitè eum nudarunt, vt pellis omnium membrorum continua, & integra extracta ſit. Cùm dico omnium, intelligo etiam promuſcidem, caudam, ſcorteum genitaliū vnà cum duobus dentibus extrà prominentibus in pelle relictis, quos execare à capitis oſſibus, multis ictibus ſecuris opus fuit. Pelle expulſa, ventrem illius ſecuerūt. Primùm extraxerūt inteſtina ingētia, & candidiſſima, & planè coloris eburnei, ita ſinuoſa, vt aluos habere quatuor videretur, deinde viſcera nudarunt. Splen longus erat quatuor pedes, largus dodrantem. iecur felle carens ex medio centro quoquo verſus habebat pedem, atque eo plus, vbi ſunt anguli obtuſi: craſſum erat ſeptem digitos. Cor amplum pedem vnum, teſtes intus continet ad aluum alligatos. Lingua eius lata non eſt, neque plana, ſed vergens in formam

teretem, desinens in mucronem, pro tanti animalis portione, perpusilla, bene abdita, vt in eo viuente vix videre potuerim. Deinde crura à corpore abscissa sunt; eorúmque ossa extracta candidissima, & planè eburnea omnia. Tum apertè vidi quàm mendaces illi sint, qui tradunt elephantorum crura carere articulis & iuncturis, cùm singula duas iuncturas habeant, vnam supra pedem, qua pes adnectitur ossi tibiæ, inter quam & pedem multiplex iunctura multis ossibus compingitur, latis alijs super alia structis. Post hanc iuncturæ structuram sequebatur os tibiæ: deinde secunda iunctura genuum & poplitum, supra quam os femoris; denique omnia eius ossa eburnea, & tam candida, quàm ipsius dentes, quæ periti dicebant esse commoda ad ea, quæ ebore illustrari solent.

De elephantorum oculis. CAP. I.

O*Culi elephanto minores, quàm pro corporis portione: similitudinem oculorum humanorum gerunt non modò figura: sed etiam affectu ipso. Humani enim & graues & moderati, vt sapientiam, iustitiam, moderationem, reliquásque animi dotes secundas ab homine præ se gerant. Tanta enim grauitas in oculis est, vt vel ipso nutu regem se animalium, atque adeò humanis sensibus vicinum, proximum profiteatur. Ignotos homines ad se accedentes leues, insolentes, petulantes*

tes oculis internoſcere præ ſe fert à moderatis & grauibus, quos libentius intueri videtur.

De elephanti dentibus prominentibus extra os. CAP. II.

DEntes prominentes extrà, non ex eodem oſſe, neque ex eo loco naſcuntur, quo interiores: ſed illorum radices aliquo interuallo diſtant à radicibus interiorum, atque exoriuntur ab oſsibus anterioribus frontis, at interiores ex capitis lateribus. Errant igitur qui ſcribunt eos dentes ex ore, atque ex maxilla ſuperiore prodire. Ex ore enim non prodeunt, ſed ex pelle eminente ſupra os, qua circundantur ad ſuas radices. Vidi eorum partem exciſam relictam intra capitis os cauam exorientem à fronte paulò infra radices promuſcidis: at maxillæ aliquo ſpatio ab eo loco diſtant, itaque potius cornua ſunt, quàm dentes. Errant enim, qui dicunt hos dentes vergere ad terram. Non enim ſurſum neque deorſum feruntur, ſed recti in anteriorem partem ſenſim in fine incuruati ſurſum verſus, vt linea à media dentis radice ad ſummum mucronem non excederet extra directionem plus digito, ſed in mucrone reſciſsi erant, itaque minus curui, & breuiores erant, longi ſeſquipedem, quorum ſingulorum perimeter in medio habebat pedem.

De eius dentibus interioribus. CAP. III.

DVos interiores habet dentes in singulis maxillis, quorum maior est perpetuum os, multis figuris distinctum, cuius superficies ad libellam plana est, longa septem digitos, lata tres digitos exasperata in decem velut gradus, seu puluinos, canaliculis distinctos, serratos & exasperatos vtrinque dentibus, velut vncinis serrularum. Singuli autem canaliculi transuersi huius superficiem secantes non modò à lateribus, sed etiam ab vtrisque capitibus clauduntur puluinis. Alter dens intimus est, cuius superficies est plana, longa tres digitos, lata, totidem etiam exiguis canaliculis exasperata, in lateribus vtriusque dentis singularum maxillarum apparent puluini, velut dentes respondentes puluinis positis in superficie, distincti strijs, velut natura vnum dentem in decem formare condiscente. Dentes igitur maxillares habet octo contra Plinium, qui duntaxat elephanto intus quatuor dentes attribuit, id quod ipse planius perspicies ex duobus dentibus vnius maxillæ, quos harum literarum tabellario ad te dedi.

De eius pede. CAP. IIII.

PLanta pedis prioris rotunda, quoquouersus habens diametrum pedis vnius: at posterioris pedis longa pedem & digitum, larga vndecim digitos. in singulis pedibus anterioribus habet

quinq

quinque vngulas inter se leuiter discretas, sed non eminentes extra rotundam pedis formam: & in parte interiori callus est loco vngulæ quintæ. Planta omnium pedum æqualis est vngulis, callosa non perpetuo callo, sed diuiso fissuris. Tenera est, & spinis penetrabilis. Vngularum singularum infera pars plana æqualisque est planitiei plantæ, larga tres digitos, longa quinque digitos, vngula alta tres digitos. Vngulæ ei sunt datæ partim contra asperum iter: nam cùm planta sit tenera, pes adnititur ad terram vnguiculis: partim ad radices extirpandas.

De eius magnitudine. CAP. V.

Q*Voniam viuum, ne mortuum quidem metiri recordatus sum, postea cùm incidissem in eius pellem, extensam quidem, sed iam exiccatam & cõtractam in solario hospitis mei, atque in eius ossa ibidem iacentia, omnia mensus sum, ex quibus deprehenditur eius magnitudo. Pellis durissima, fusca, accedens ad colorem boum, qui vulgò bufali appellari solent, crassa medium digitum, lata nouem pedes & decem digitos: longa verò à radice caudæ ad frontem tantundem, in qua dimentione complector colli pellem, largam quinque pedes. Collum breuius est quam latius, os vicinum pectori, quod oris porcini similitudinem aliquam gerit. Singulorum crurum pellis in*

medio cruce larga duos pedes. Promuscidis pellis larga pedem vnum, & sex digitos à radice dentium exteriorum ad nares longa quatuor pedes, & sex digitos: in extremitate, vbi nares exitum habent, crassa digitum vnum. Et differt pars inferior à superiore. Nam inferior extremitas, facta velut labrum, crassa est, larga quinque digitos, crassa digitum: at pars superior in mucronem desinit, & tres digitos longior existit, quàm inferior pars. Sensim desinit in mucronem, initio latum tres digitos, in extremo minimum digitum. Hac superiore parte aperire & tegere nares solet, & eam incuruare, vt nos digitos solemus, cùm aliquid capere volumus. Os cruris anterioris in femore longum duos pedes, cuius medium habet perimetrum dodrantalem Eiusdem pars attingens genu, habet diametrum pedis, & quindecim digitorum. Eiusdem cruris os tibiæ est longum pedem, & dodrantem: cuius pars, quæ adnectitur iuncturæ, ad quam alligatur pes, habet perimetrum pedis & quatuordecim digitorum: eius medium habet ambitũ quindecim digitorum. Os cruris posterioris femorale longum duos pedes & decem digitos. eius medium habet perimetrum dodrantalem: huius ossis pars attingens iuncturam, qua alligatur ad tibiam, est perimetri pedalis & quatuordecim digitorum. Tibiæ os est duplex, vel potius vnum, partim ita coniunct

iunct

iunctum ut in suis duobus capitibus sit idem: deinde diuisum ab uno capite ad caput alterum in duo ossa inter se distantia duos digitos, quorum unum magnum, alterum paruum. Magni quidem perimeter in medio est dodrantalis: ac parui sesquidigitalis. Caudæ crassitudo iuxta radicem dodrantalis in medio septem digitorum: extrema caudæ crassa quatuor digitos habet, setas longas tres digitos. Auris eius longa pedem unum, lata pedem & decem digitos, quæ tegit foramen aurium sic, ut si velit, ne ventus quidem, neque animalia ingredi queant. Aures mouet ut ventilabra: inferior auricula inferior non est digito: foramen auris implet pollex. Auris totius crassitudo non est crassior reliqua pelle, intelligo à radice ad medium: nam à medio ad extremum panno laneo crassior non est. Circa aurem pilos habet longos digitos tres. Eius caro rubra est, ut bufalorum & tenera, quam aliqui in India usi carne elephantina, affirmabant bubula meliorem. Plura obseruare studentem non permisit ferocitas importuna Arabum eorum, qui statim ut execuerunt, extra urbem membratim distractum exportarunt, canibus lacerandum.

De elephantis Constantinopolis. CAP. VI.

D*Vo elephanti uisuntur hodie Constantinopoli, quorum maiorem ita mensus sum, cuius perimeter transiens per medium ventrem*

& dorsum, est quindecim pedum & semipedis. Eius altitudo est decem pedum & dodrantis: longitudo ab oculo ad extremum tergum vndecim pedum & dodrantis vnius: ab oculo ad extremam promuscidem octo pedes, ab oculo ad summam frontem duo pedes & semipes: frons lata tres pedes, proboscis ab ore ad extremum longa sex pedes, & tres digitos. Summa promuscis habet perimetrum quatuor pedum & semipedis. Auris longa duos pedes & semipedem: tantundem lata est. Crus procerum quinque pedes, duos digitos. Cruris summi perimeter est quinque pedum, & semipedis: medij cruris ambitus trium pedum & decem digitorum. Imi cruris supra pedem perimeter trium pedum & trium digitorum. Pes est rotundus, cuius perimeter est quinque pedum. Pes habet quinque vngues, leuiter discretos, quorum quatuor ampli, singuli decem digitos, alti septem digitos. Cruris posterioris summi perimeter quinque pedum, septem digitorum: imi trium pedum & semipedis. Cauda alta quinque pedes, cuius summæ perimeter cubitalis, mediæ pedalis: imæ caudæ ambitus semipedalis. Colli perimeter vndecim pedum, quatuor digitorum est: ipsum collum longum duos pedes & dodrantem. Tibiæ anteriores distant à posterioribus quatuor pedes. Dentis perimeter vnius pedis & quinque digitorum. Elephātus glaber est, excipio caudam extremam

mam, vbi pauci pili, & mentum, vbi rari pili. Cute est dura & rugosa. discursus rugarum est cancellatus & velut reticulatus. altior est non modò cruribus anterioribus, sed parte dorsi anteriori, quàm posteriori. Tibias habet teretes, sed anteriores teretiores & rotũdiores & ferè æquali crassitudine: pedésque rotundos habet, & plantã pedis planam: promuscidem sursum, deorsum, antè, pòst obliquè flectit & porrigit, incuruat, cõtrahit: modò implicat in cornua, & intorquet varijs spiris: nunc eam porrigit rectam, nunc obliquam retorquet, modò infra aluum inter tibias iaculatur, tenentem herbarũ manipulum ad abigendas muscas, modò sabulum aut puluerem colligit, deinde promuscide erecta spargit supra dorsum ad muscas abigendas. Depascitur herbas promuscide curuata, eas decerpens (sic enim promuscidem extendit, & contrahit, vt homo manum) neque eas solùm excerpit herbas: sed etiam excerptas in manipulum contrahit, vt facilius eas in os inijcere possit. Pòst enim quàm herbas collegit, promuscide eas huc illuc versat, quoad herbas longas contraxit in manipulum. Cùm autẽ herbas non multùm longas decerpsit, eas in os promuscide subducit, deinde os mouet, vt dentibus interioribus mandat. Collum non incuruat ad pascendum, sed extento collo, & tam eminenti, quàm dorsum eminet: pastum capit promuscide, qua etiam bibit, ita vt intra nares

aquam

aquam sugẽdo attrahat: deinde intra os abdit promuscidis plenæ partem longiorem duobus pedibus quò minus aquæ decidat. Pastor elephantorum siue fœnum, siue frumentum det, vtrunque contrahit in manipulos rotundos. Frumentum quidem inuoluit in manipulum fœni rotundum, longum circiter dodrantem, latum ferè tantundem: eos siue manipulos, siue potius globos frumenti circumplicatos fœno proijcit pastor in terram ante elephantum, quos elephantus, promuscide cõprehendens, in os conijcit. Aduerti id, quod Aristoteles ante me aduerterat, crura posteriora flectere, more hominis, in anteriorem partem, contrà quàm equus, & bos flectentes in posteriorem. Bene vale ex vrbe Berrhoëa, emporio maximo totius ditionis Turcicæ.

De elephanto marino. CAP. VII.

CVm ex monte Sinæo in peninsula, quam efficiunt duo recessus Arabici sinus, vnus appellatus Aelaniticus ab Aelana vrbe, siue Ailaticus ab Aila vico posito in eius intima parte vsque ad hanc diem nomen retinẽte apud Arabes, sine diphthongo ipsum pronuntiantes. Alter primò nominatus Hereopoliticus: deinde Arsinoicus, siue Cleopatricius, nunc vulgò Sues nuncupatus, cùm inquam ex monte Sinæo descendissem ad maris Rubri portum, à Græcis vocatum Raithon, ab Arabibus Eltor, ibíque ferè mensem expect

expectarem itineris comites, quibus cum tutò redirem in castrum Babyloniæ Aegyptiæ, quod vulgus iam appellat Cairum, multa & varia pisciũ, à piscibus interim maris longè diuersa notaui: è quibus vnum duntaxat nunc afferam, quem à nonnullis Arabibus audiui appellari elephantum à dentibus extra os prominentibus, atque à tergore elephantino, cuiusmodi multa tergora vidi, quæ mercatores Rhaïtini vendere solent agrestibus Arabibus, & monachis montis Sinæi ad soleas calceorum validißima, & perdiu durabilia, si illis vtantur ad sicca loca. Nam madefacta citius consumuntur: è quibus vnum perspexi ea magnitudine, qua tergus existit bubulum, craßitudine digitali, colore fusco. Emi eius dẽtes pedalis longitudinis, singulos ambitu complectentes sex digitos, vt per te colliges ex his, quos ad te mitto.

De Hippopotamo. CAP. VIII.

Hippopotamum, cuius corium ad te dedi, viuum non vidi, sed Byzantij longè antè alterum videram, cuius circa medium transuersum ventrem perimeter octo dodrantes complectebatur. Colli verò ambitus quinque dodrantes excedebat. Eius longitudo à cauda ad frontem sex dodrantum erat & semißis frons patebat in latitudinem dodrantalem. tantundem spatij intercedebat inter aures. Oculi distabant inter se semipedem: nares existebant supra rostrum supinum inter

ter se distantes palmum minorem: vbi rostrum dilatatur in latitudinem decem digitorum à rostro summo, vnde eminebat os, vsque ad frontem, longitudo erat sesquipedalis. Aures longæ erant sex digitos. Cauda producebatur in longitudinem quidem paulò plus dodrantem: in latitudinem verò trium digitorum. Eius extrema pars latior erat quàm craßior, aliquot pilis hirsuta. Illius pes quatuor digitos habebat vnguibus præditos longitudine trium digitorum, qui similitudinem gerebant testudinis. Tibia anterior in ima parte paulò supra pedem habebat perimetrum pedalem: tantundem longa erat. Veruntamen ventris ima à terra altior non erat semipede. Oris rictus hiatúsque patebat in amplitudinem duorum pedum. Dorsum nigrum erat, vt venter subalbidus maculis distinguebatur. Corio tegebatur durißimo exasperatóque ad modum elephanti, ídque cùm est siccum: nam aqua perfusum efficitur molle & lubricum. Prope aures & in ventre pellis longè mollior. Animaduerti ex eius corio humoris guttas exire, velut videmus ex cortice cerasorum emanare succum lacrymosum. Oculis erat rotundis, vt nihil rotundius viderim, magnitudine non excedentibus oculos parui vitelli, excepta parte ambiente, quæ valde alba erat. Supercilia pilis carebant, quorum eminentia erat alta tres digitos. In rostro aliquot pilos habebat,

sed

ſed graciles. In parte oris anteriore atque inferiore duo magni dentes ex vtroque roſtri angulo prominebant, etiam ex ore clauſo, quos inter exiſtebant quatuor denticuli exigui. Item in parte ſupera & antiqua duo magni dentes erant, inter quos intercedebant longè minores quatuor dentes. Singulæ maxillæ armabantur ſeptem dentibus: roſtrum in quadrum redigebatur. Nam ferè ab imo ad ſummum eadem erat latitudine, qua frons, quæ patebat in nouem digitos. Rictus quadratura ſita inter duos dentes angulares, quos dixi prominere extra os, intererat ſpatium ſemipedale. Ab Arabibus eius curatoribus percunctatus ſum, quam vocem edere ſoleret? Vnus reſpondit Equinam, alter, Mulinam. Verùm nationi vafræ nihil credens, illius aures paulò grauius vellere cœpi. Sed nullam vocẽ elicere potui. Arabésque ſemel & iterum, mercede propoſita, fruſtra ſolicitaui, vt illum cogerent vocem aliquam emittere. Hoc vnum duntaxat adnotaui, eodem anhelãdi ſonitu reſpirare, quo bos ſolet. Edebat fœnũ & cætera quæ boues & equi edere ſolẽt. Eius caput ſimilitudinem gerebat bubuli capitis. Tardè gradiebatur, vt ſus perpinguis, quẽ referebat incubando. gaudebat verſari in loco humido. Mitiſſimum erat, ſéque palpari patiebatur, óſque impunè aperiri à volentibus ſinebat. In Nilo captum eſſe aiebant. Ille verò, cuius corium ad te

mitto

mitto, captus fuerat in Damiata vrbe, quam Stephanus Tamiatin per literam Taf, scribit, arbitror quasi olim Tamiatin, vnde hostium Tamiaticum, siue Tamiticum. Itaque longè errant, qui putant Damiatam esse Pelusium. Illud enim situm erat in vltimo Nili hostio, quod vidi propinquius Orienti esse, quàm Damiatam, vbi multa antiquitatis vestigia in hunc vsque diem extant. Iam verò huiusmodi animal à me informatum, sitne hippopotamus, an chœropotamus, an boopotamus, inquirendum est. Vt autem hippopotamus sit, ex dētibus & tergore duro videtur Herodoto, Aristoteli, Diodoro, Pausaniæ, Plinio tradentibus hippopotamum dentes habere exertos, vt apros, corióque esse adeò duro, vt ex eo pila missilia, & hastæ fiant. At iisdem autoribus hippopotamus esse non videtur, qui addunt hippopotamū iubam habere vt equum, atque bifidos pedes, atque vngulas bubulas. At illud à nobis suprà descriptum iuba caret, vngulas quadrifidas habet, nihil similitudinis gerentes vngularum bubularū. Quamobrem si tot autores rectè scripserunt, alius est in Nilo hippopotamus ab hoc diuersus. neque enim à vero alienum esse videtur, Nilum tam fœcundum ferre hippopotamos, & chœropotamos, & boopotamos, vt India fert, non modò elephantos & tauros, sed etiam chœrelephantos, & taurelaphos. Nam ex hominibus, mihi in multis rebus probatæ

fidei

fidei cognitis, intellexi in India & Aethiopia inueniri taurelaphos, quibus Indi vecturas factitare solent piperis, aliarúmque rerũ, atq; ex ipsis lac mulgere, & butyrum ex eo facere, carnibúsque ipsorum Indos vesci, taurelaphósque Indicos mansuescere, Aethiopicos cicurari non posse. Idem testabantur se vidisse, & comedisse chœrelephantos. Cosmas I.dopleutes eadem sentit, qui temporibus Iustini Imperatoris eruditè de India & Aethiopia scripsit, testatur se hippopotami Niliaci dentem vidisse ponderantem tredecim libras. Quod si fortasse tot & tanti à me cõmemorati scriptores errarunt, malè describentes hippopotamum, nam facilius in animali perraro errare potuerunt, quàm Aristoteles in Delphino, omnibus maribus vsitato, dum ipsum tradit non in summo rostro, sed in parte rostri prona habere os. Nũ si in Nilo essent sues & boues fluuiatiles amphibia animalia, miror à nullo scriptore extante illa commemorata fuisse: sed dũtaxat hippopotamum & crocodilum, qui non modò scriptorum monumentis, sed etiam antiquis numismatibus, & colossis Nileis celebrantur: vt videre licet in numismatibus plerisque, etiam nunc extantibus, atque in Nilo Colosseo in hunc diem extante in Vaticani horti ædibus nuncupatis, Pulchri aspectus, vbi Nilus Colosseus in sua basi affabrè scalptos habet septem hippopotamos tales, quales habebat: quem

antè me dixi vidisse Byzantij sine iuba, sine vngulis bifidis: & tamen verisimilius videtur verum hippopotamum Romæ in spectaculis frequenter insculptum fuisse, quàm aut suem aut bouem, si huiusmodi vnquam fluuiatiles fuerunt. Alexandria proficiscens Byzantium, præter tergora elephanti marini & hippopotami dedi ad te mercatoribus Maßiliensibus pellem Chamelopardaleos raram, & rege dignam, & caudam bouis Indici: quorum aspectu, vt plenius fruare, subiungam, quales sunt viuæ Chamelopardales, etiam quis vsus caudæ Indici bouis. Item iisdem dedi in caueis inclusos Ichneumonem, murésque Arabicos & Aegyptios, quos, vt clarius perspicias, addam quæ in ipsis adnotaui.

De chamelopardali, CAP. IX.

Giraphas, quas Græci & Latini vocant Chamelopardales, vidi in vrbe Caira tres, quarum vnam ita mensus sum, Duo cornicula ex fronte eminebant circiter sex digitos, in fronte media tuberculum existebat, velut tertium cornu, altum circiter duos digitos. Oculis erat magnis, nigris, lætis. Aures excedunt longitudinem dodrantalem. Collum longum septem pedes: cùm caput extollit, sexdecim pedes à terra effert. Illius longitudo à cauda ad capitis verticem est duodeviginti pedum. Tibiæ tam altæ posteriores, quàm priores: at femora anteriora longè altiora

ra posterioribus. Nimirum dorsum à cauda ad summum capitis vertieem, velut scala, velútque tectum carinatum attollitur: totum corpus grandibus maculis distinguitur, coloris ceruini obquadratis: sed in collo magis quàm in corpore, quoquo versus latis circiter dodrantem: at clausula macularum alba digito latior. Itaque totum corpus reticulatum est, neque tamen, vt pardalis maculas habet rotundas, sed aut obquadratas, aut oblongas. Infra genua maculosa non est, sed tota tibia alba. Pes bifidus, vt bubulus. Labrum superum longè eminet supra inferum. Cauda tenuis & exigua, in cacumine pilosa. Ruminat vt bos: edit fœnum, & cætera, quæ boues edere solent. Iubam habet, vt equus à dorso ad capitis verticem. In gradiendo claudicare videtur nunc dextris, nunc sinistris non modò cruribus, sed etiam lateribus. Cùm ex terra cibum aut potum capere habet necesse, crura latißimè distendit priora. non enim, nisi latè diductis, longéque diuaricatis tibijs cibum ex terra capere potest.

De cauda bouis Indici.

CAPVT X.

I*Ndicus bos ferus caudæ comam habet altißimam, subtilißimis pilis capillatam, ex qua Turci & Persæ velut muscaria faciunt, quæ erecta ex summo capitis vertice, velut*

triplicem pauones cristam iactant, aut ex equi collo appensam, totam caudæ comam gestant.

De ichneumone & de muribus Arabicis & Aegyptiacis. CAP. XI.

QVanta quidem cùm Ponticorũ, tum aliarum nationum sit varietas muriũ, ex meis literis, quas ad te anno superiore scripsi, animaduertere potuisti: quanta verò Arabicorum, Aegyptiorúmque, nunc non explicabo: duntaxat eorum, quos ad te mitto, attingam variam formam, inter quas primus est Ichneumon, quem murem Pharaonis, alij Aegyptiacum vulgò nominant, dimidio maior est, quàm meles, sed longior, & pilis diuersis, longis, duris, colorem habentibus proprium, multis animalibus Europeis communem, quem declarare non possum. Cauda teres & longa est: rostrum suillum. Oculi acerrimi & viuacissimi. Aures semper erectæ. Hic ille est nobilis Ichneumon, qui crocodilum interficit, cùm tamen mansuefacto nihil mitius, nihil ludicrius: assiduis collusionibus gaudet, semper ad ludicra paratus, neque, vt cæteræ huiusmodi feræ, nunc tristis, nunc hilaris. Cùm frigus nocturnum sentiebat, iuxta pectus meum dormiebat, quem dum recipere nolebam, ibat ad pantheras, quæ eadem naui ex vrbe Caira Alexandriam vehebantur, intérque pãtherarum femora, nocturni frigoris fugiendi causa, se abdebat, ac ligatus eò cùm penetrare

trare nequibat, se vt herinaceus in pilam contorquebat, capite abdito intra sua genitalia, quæ magno afflatu anhelandi incalfaciebat. Dum cibum capit, aßiduè fremit, ringit, nihil eo volucrius, nihil animosius, vt maxima animalia inuadere audeat, vt equos, camelos, elephantos, serpentes maximos: vt nihil mirum sit, si inuadit crocodilum dormientem & oscitantem, verùm qua corporis figura, plenius cognosces ex eo, qui est scalptus in base colosßi Niliaci, extantis in Vaticano horto, cauda erecta, & capite elato insidians crocodilo dormienti. Iam verò mures Arabicos captos in monte Sinæo quinque attuli Alexandriam, è quibus vnum ita mensus sum; in pedibus posterioribus habentem tres digitos longos, pollicem, carentes vnguibus, excipio vnum digitum: in pedibus anterioribus quatuor habet digitos. Pes posterior longus quatuor digitos, largus digitum vnum: cuius planta plana, vt ferè hominis, nigra pelle tecta carente pilis, anterior longus tres digitos, latus pollicem, simili pelle tectus. Fronte lata duos digitos, alta quatuor digitos. Flexum duntaxat habens iuxta pedem: a summa tibia ad talum nullam flexionem habet: at iuxta talum habet velut cubiti nodum, quo pes vertitur adeò facilè in tibia, vt nos solemus cubitum flectere in partem interiorem. Colore est subrufo, & planè vaccino. Alij sunt colore badio. Omnes à natura cauda

priuati sunt, vt illi, quos vulgus appellat, Cuniculos Indicos, gerentes potius murium similitudinem, quàm cuniculorum, licet magis edentium gruntum nefrendium porculorum, quàm murium. Vocem murinam omnes supradicti mures Arabici emittunt. Maiores sunt, quàm magni feles. De his Aristoteles exiliter loquitur. In Arabia, inquit, mures soricibus auctiores, quibus crura priora, vel palmi mensura: posteriora ad primum digiti nodum habentur. Aliud genus vidi in Armenia & Aegypto. Is, quem describo, longus est sex digitos, crura priora pollicaris longitudinis, vnguiculis prædita acutis quinque, quibus cibum capit, velut manibus: at crura posteriora longa septem digitos, similia cruribus ceruinis. Aures autem erigebantur in pollicarem altitudinem, similes leporinis. Pilo tegebatur, supernè subruffo, infernè subalbo. Cauda longa sex digitos extrema pilosa. Dentes acutos habet, & in rostro pilos longos, vt mures & feles habēt mystacas à muribus appellatas potius quàm vt vulgus Grammaticorum censet ἀπὸ τῶν μυκτήρων. Vidi longè maiores, nempe longitudine palmi maioris. Inueniuntur pedalis longitudinis, & eò plus, erecti, vt homines gradum pedibus posterioribus solis nitentes, saltantes. Cùm gradum sistunt, etiam prioribus pedibus nituntur, celeritérque currunt. Aruales sunt, in scrobibus degunt. Adiungerem

huc

huc varia genera animalium, non modò terrestrium, cœlestium, verùm etiam aquatilium omnium: nisi hoc esset nimium spissum opus atque imperfectum, priusquam expeditis tot meis peregrinationibus valde impeditis nanciscar vacuum tempus & liberum in aliqu. nido senectutis meæ, vbi collatis omnibus meis obseruationibus adnotatis iam per vigintiquinque annos in Europa & Asia, poßim aliquid noui afferre post infinita multorum commenta nata in cubiculis calidis, & in alta pluma, & foris piscatorijs & libris piscinarijs compilata. Bene vale.

Ex Aegyptiaca Alexandria.

FINIS.

DEMETRII CONSTANTINOPOLITANI DE Cura & medicina accipitrum.



PETRO GILLIO INTERPRETE.

Ad reuerendißimum, & Illustrißimum D. Georgium Cardinalem Armaignacum.



DEMETRII CONstantinopolitani, de cura & medicina accipitrum,

LIBER PRIMVS.

PETRO GILLIO INTERPRETE.



TVDIO tuo vt ſatisfaciam, Potentiſſime Rex, quo vehementi es ad educandos accipitres, curandóſque illos: & dudum tibi cupis nonnulla de curandi ratione conſcribi, per quam poßis ſacrarum auium ſaluti artem quandam parare: ad hanc conſcriptionem acceßi, & ſingulis morbis ſuam medicinam adhibui, ſubminiſtrante natura, quæ hominũ generi multa peperit beneficia, partim ex herbis multis & varijs: partim ex lapidibus, ſalutarem vim poßidentibus, non pauci veteres ſapientiſſimi viri, domeſticarum auium curationes ſcripſerunt, eáſque confecerunt: alias diuina quadam inuentione, nonnullas humana prudentia: alij ſtudio ducti vel vtilitatis, vel delectationis, vel vtriuſque, diligenter

tradid

tradiderunt de curatione equorum, boum, canum, mulorum, auium suauiter canentium, solam accipitrum educationem medicinámque, nescio quo pacto, prætererunt: præsertim cùm hominibus nõ parum vtilitatis delectationísque accipitres afferant. Perspicuum enim est rem esse nullam, quæ rectè peragi poßit, nisi amore comite, hoc studium quod domini habent in sua animalia, excitetur ad illa curanda. Iam verò ex his, quæ sum ipse consecutus partim diuino instinctu, partim vsu longo, conatus sum ad commoditatem sacrarum auium aliquid posteritati tradere. Quare prius loquutus de cura, aucupio, educatione, cicuratione, audacia, fortitudine, ingenio accipitrum, ad rem institutam pergam, atque singulis suam accommodabo curationis inscriptionem.

Qua ratione & quo tempore capiendi sunt accipitres.

CVm æstatem instare sentiunt ij, qui capere student accipitres, relictis domesticis sedibus in vertices montium profecti, omnem sylvam perscrutantur, & ficta quadam arte voces patrum imitantes, naturam ementiri conantur. Vox verò venatorum, quæ similis voci auium videtur, in fraudem aues inducit hoc pacto. Corticem de cerasо arbore detractum, scitè in tenuem membranulam cùm extenuarunt, & tanquam tenuem tunicam effecerunt, atque in illam insceruerunt

ruerunt calamum ad numeros temperatum, accurata lingua illud instrumentum tangunt, per quod ducto & reducto spiritu vehementiori, similem accipitrinæ voci videntur mittere vocem, patrúmque artificiosè sonum imitari: pulli verò, qui per ætatem ignorant hominum insidias, atque insidiarum euitatione, instrumenti voce allecti, per ramos arborum exiliunt ac gestiunt, patrúmque vocibus ab aucupe effictis, dum flebile quiddam respondere conantur, seipsos vel ex longinquo spatio aucupibus produnt. Nam venatores illorum voce ducti propè accedunt, atque in exiguo quodam loco arboribus vacuo delecto, vt sine impedimento obiectam escam pulli videre possint, tugurium defigunt, quod satis sit ad virum vnum tegẽdum, in eóque multis folijs circummunito, ne aues insidias videant, delitescunt: speculatoriam tamen fenestellam relinquunt, leuiter tectam, vt tempore opportuno prædam, sine impedimento videre possint: ad tugurium alligatam gallinam cohortalem, aut columbam volare ac reuolare in tugurium faciunt, ita vt auis videatur non arte illuc esse adducta, sed habitare in eo loco: pulli efficta aucupis voce, & captiuæ auis clamore prouocati, repentè ex syluaprodeunt, ac opinantes auem moliri fugam, ex eo loco, vbi tenetur, in ipsam inuolant, & cum præda facilè vnguibus correpta in syluam reuolare conantes, occulto captæ auis vinculo retinentur

nentur. Cui interea dum reluctantur, auceps per speculam, porrecta manu, ipsos pedibus subtrahit, ac mox capit, quos quibusdam fasciis & pannicu lis, postquam totos, excepto naturali exitu excrementorum, sic inuoluit, vt infantes pueros solent matres, humi deponit, triduúmque, aut quatriduum eos ita ligatos sinit, post fasciis exolutos, docet primùm perticæ insistere. Quòd si fortè hæc ratio insidiandi nihil profuerit, alteram machinationem moliuntur ad eos capiendos. Primùm cursus, per quos pullis patres escam ferunt, obseruant, ac diligenter obsident, vt patribus pullos priuent, patrésque captos & ligatos toto die fame affligunt: postridie sub dio, eos ad tugurium alligant, & solita instrumenti voce appellant. Tum pulli fame pressi, & ficta voce deliniti, celeri volatu ex altera arbore in alteram commeant: ac cùm patres vinctos vident abundare carnibus, quas permultas illis venatores præbere solent, repentè in eas inuolant, & simul capiuntur: patres verò dimittunt. Eorum enim coguntur misereri homines propter futuram prolem. Noui nonnullos aucupes, qui supinos in terrã abiiciunt, & molli fœno totum corpus suum occultant, exceptis oculis, vt venientem videant accipitrẽ, tum sinistra manu, & ea similiter tecta, columbã, aut alterã auẽ tenent, quam sensim sic mouent, vt ea similis volaturæ esse videatur, tum instrumenti

eiusmo

eiusmodi, quale antè dixi, sono vtẽtes, insidias moliuntur: Tũ tectam præterea dextrã habẽt paratam ad capiendũ venientẽ accipitrem, quẽ captũ, prædictus fascijs inuolutũ, in tuguriũ reponit. Alij item auẽ humi ligatã et lõgissimo tenuiq; funiculo tractã pedibus sensim mouẽtes ipsam volare permittũt: virgas etiã per circuitũ explicãt, visci plenas, quibus capiũtur accipitres, post oleo calido viscum adhærescentẽ eximũt. Hæc capiẽdi ratio lædit accipitrẽ. Nã cũ effugere cõtendit, dilaceratur impetu suo. Itaq; sæpe fractis alis ad venationẽ inutilis redditur. Alij ad summas arbores retia appẽdũt, colũbãq; in medio, aut gallinã apponũt, atq; in hũc modũ accipitres capiũt. Est hoc aucupãdi genus periculosũ. Sæpe enim ipsi accipitres cadũt & cõsumũtur. Sunt qui lõgas arboribus scalas applicet, et ita ex nido pullos capiãt, nõ sine periculo. Nã propter tenerũcorpus, accipitres facilè læduntur. Mala est igitur eiusmodi aucupãdi ratio, præsertim cùm etiã molestũ sit seruare paruulũ accipitrẽ, flebiliter dies noctésq; vociferantẽ. Hæ sunt cõtra accipitrẽ inuentæ machinæ, quas sufficere arbitror.

De eligendo accipitre.

Q*Vi bonum eligere accipitrẽ cupit, iuuenẽ primùm quærat oportet, deinde Ophiocephalum appellatũ. Sunt enim nonnulli capite paruo, serpentini capitis similitudinem gerẽte. hoc est æquabiliter in extremas partes porrecto & lato. Sunt etiam alij longi: sed meliores rotundi*

& quadrati, quorum nares nigræ, caput paruum, summus capitis vertex, vt aquilarum, planus, lingua omnino nigra, in cauda tredecim aut quatuordecim pennæ, squamæ in digitis, similes squamis Cyprini piscis: ad radices calcariũ notæ quædam. Citrinus color in accipitre ne sit valde candidus: nam ostendit accipitrem non longæuum fore. Qui lingua sunt partim alba, partim nigra, secundas bonitatis ferunt. Qui alba omnino, improbandi sunt. ille verò, qui œleophoros appellatur, colore oleaceo, est breuis vitæ.

De discrimine accipitrum.

MVlta sunt genera accipitrum, alij celeres ad venandum, columbis & palumbis infestißimi. Hi aues minores capiunt. Alij ad volandũ pigerrimi, & adeò tardi, vt velint ab alijs nutriri. Ii ranis insidiantur. Nonnulli venandi societatem cum hominibus coëunt, & alaudis & hirundinibus hostes sunt, quos aliquis cognatos Terei dicere poßit. Maximè hebetes oculos habent, sed se curare norunt succo lactucæ agrestis.

Si velis emere accipitrem, quibus signis cognoscatur, vtrum sanus sit, an ægrotus.

COlumbam vino odorato & veteri aspersam cum lasere præbeto accipitri edendam, tum mox cognosces, sanus sit, nécne. Si sit enim ægrotus, illam non attinget: vel eundem humi de-

ponito

ponito, non procul à pedibus tuis, extollito manum tuam altè quantum potes, eúmque carnibus appellato. Si confestim venerit in manum, scito sanum esse: sin minus, ægrotare. Ne igitur hunc emeris. Vel sumito ex fabri officina ferri ramentum, idque bene tritum ex carne detur accipitri edendum, si ipsum deuorauit, sanus est: sin minus, ægrotat. Sed si cum sanguine illud expuit, signum est eius viscera malè affecta esse. Ac si acciderit, vbi ferri scobem sumpserit, vt eius ossa & articuli sonent, signum illud tibi sit debilia esse eius interiora. Vel sumito ouillum pulmonem calidum, accipitríque præbeto. Si confestim nullam sentit molestiam, sana eius interiora existimato: sin laborat, & concoctione affligitur, scito ægrotum esse, postridiéque grauius habiturum, itaque emendus non est. Quod si tuus est, istum accommodato remedio curabis.

De aucupio, educatione, & cicuratione accipitrum.

AVcupandi accipitres paruulos, & nondum ex nido prodeuntes, tempus incipit pridie Cal. Iunij: desinit in fine Iunij. Verùm aucupandi eos qui cum patribus iam venantur, tempus est vsque ad Augustum. Captos in obscuram domum includi conuenit, vbi in pertica quietè insistant, ac paucis pòst diebus leniter manu gestandi, æstate quidem Oriente, & Occidente sole, horisque

altioribus. Nam si in cœlo calido multùm gestentur, tum ex calore solis, tum ex venatoris manu, pulmonis inflammatione flagrantes, celeriter consumuntur: cùm item in feruore solis aucupantur, citò defessi pereunt. Loro ligandi sunt, quod quindecim longitudine digitorum sit, & colore nigro, non rubro, ne aquilis rapinæ causam det coloris rubor. Nam accipitres cum rubro loro volantes, celeriter ab aquilis capiuntur, lorum rubrum procul visum existimantibus carnes esse. Nec item illud ignorandum vt in summo pugno sinistræ manus gestandi sint, & non in extrema manu, aut magno digito insistere permittendi, ne cùm in prædam emittuntur, debilius ex manu expulsi ferantur. Iam verò suaui manuum contrectatione, & verborum blanditijs multùm mansuescere solent, cùm sint animantes, quæ sensibus & ratione quadam vigeant, neque memoriæ sint expertes. Morem, quo semel imbuti sunt, ad mortem vsque semper seruant. Et quoniam fumo offenduntur, prope ignem, aut lucernam versari non debent. In tenebris lux illis repræsentata, animos eorum agrestes mansuefacere solet. Lignum, in quo insistunt, ne valde crassum sit, néue nimis tenue, aut inæquale: sed tantum quantum pedibus complectantur, vt posteriores possint vngues accommodare ad flexum inferiorum. Vinculum,

quo ad perticam ligantur, laxius ſit, vt & volare, & reuolare in perticam poßint. Nam nimium ſtrictum vinculum ex accipitrum volatibus inuerſum, dum illorum volatum inhibet, ad perticam alliduntur & diſtrahuntur. Supponendum perticæ velum eſt, ne circa perticam volare nitentes, inuertantur & diſtorqueantur. Inter vincula, quibus ad perticam alligantur, ſit intercapedo vigintiquinque digitorum. Quod ſi præter hanc menſuram propius inter ſe collocentur, vnguibus inter ſe contendentes, alteri alteros interficiunt. Vbi ſemel ad venandum aſſuefacti ſunt, prædámque guſtarunt, ſi eſuriant, ne ſuo quidem generi parcunt. Cibus horis matutinis, isque recens dandus, ſed quotidie mutandus. Idem continuatus faſtidium affert: at mutatus & diuerſus appetitum excitat. Quod enim iucundè ſumitur, facilè etiam concoquitur. Tribus aut quatuor diebus lauandi aqua, vel fontium vel perennium fluuiorum, à ſordibus vt purgentur alæ, vt celerius etiam volent: ac paucis interpoſitis diebus, de ſolito cibo aliquid minuendum. Aſſueſcendi vocantibus parere. Ex manu alicuius propè ſtantis primùm docendi ſaltare in alterius vocantis manum, in qua carnes ſint. Cùm hoc ſatis didicerunt, funiculo pertenui vigintiquinque pedes longo, in quo alligatus ſit circulus ferreus, accipiter ligandus: deindè

alterum funiculi caput vnà cum accipitre emittendum, tum sinistra manu pellibus munita alterum caput funiculi: & simul caro tenenda, tum accipitri cibus ostendendus, tum vociferatione sibilis, exhortationibus euocandus: ita enim diligenter edoctus, tanquam extenso quodam funiculo, ad aucupem discet rectum volatum facere: neque, si ad pristinam libertatem redire volet, poterit, retentus funiculo, per quem circulus collabens vnà cum accipitris volatu, vel nolentem reducit in aucupis manum, ad quem cùm accesßit, & carne sese explere cupit, permittatur quidem gustare bis, aut ter, vt iterum cibi recordetur: deinde ex eius vnguibus caro scitè subtrahatur, ne pedes, aut vngues suos, vel venatoris manum lædat, dum cibum detrahere conatur. Sed hoc aucupandi genus pernitiosum: nam funiculum trahens cum celeri volatu ad aucupem defertur, vel lapidibus terræ eminentibus, vel herbis retinetur, & detrahitur ex cursu, & ad solū alliditur & cōsumitur. Iam cùm longa cōsuetudine vocāti parêre assuetus est, & naturalis libertatis penitus oblitus, tū vinculo liber assuefaciendus vocanti parêre & celeriter venire. Est etiā optimū, vt qui ipsum venari docent, primùm in paruas aues immittāt, vt graculos, vt cornices, vt ijs similes. Ex paruis enim collecta audacia, contra maiores audacius proficiscetur.

Quomo

Quomodo dirigendi & docendi venari, & qua ratione accipitribus venantibus auxiliari oportet.

Ntequàm ad venationem exeas, duos ferè dies accipiter semper gestādus. Primo die parum pascendus: altero, propter pituitam, quam habet intra se collectam, exiguo cibo nucis ponticæ non excedente magnitudinem alendus: nocte insequente somnus minimè perturbatus accipitri capiendus: postridie ante exortum solis, implorato prius diuino auxilio, prompto animo proficiscere ad bellum auium, & paulùm progressus extra portam, postquam lorum, quo accipiter ligatus tenetur, in vnum coēgeris, atq; occultaueris, tegumento sinistræ manus quoquouersus speculare auium lapsus, atque vbi ad insidias aptum locum inueneris, dextram manum, in qua insidet accipiter, prætensa furacibus & dolosis oculis diligenter intuens, & simulans te aliò spectare, sensim & cautè ad aues pergito, ad quas appropinquans, cursu facto, eas excitato, & vehementi contentione ex manu amissum accipitrem, magna voce ad inuadendas confidenter hostiles aues hortator. Hæc vbi feceris, tum tu quoque perceleriter subsequitor, & propius factus, priusquam quidquam graue patiatur, accipitri auxilium feras. Illum enim solum, & tuo auxilio nudum si aues videant, quæ sunt eiusdem generis, cuius est illa,

quæ ab accipitre tenetur, opprimunt. Grui grues, anseri anseres auxiliantur. Hæc enim duo genera maximè inter se congregari solent. Neq; solùm vicinæ contra accipitrem proficiscuntur, sed etiam multo interuallo distantibus magno studio auxiliari properant, accipitrem circumuantes discerpunt, eiúsque alas obterunt, rostrorúmque percussu eripiunt auem captiuam, aut cum ipsa simul accipitrē perdunt: venator sensim progressus prope accipitrem, dispergit gregem auium, captámque ab accipitre comprehendit, atque humi sedens, sensim altero pede pinnas caudæ accipitris alleuat, ne acies ipsarum frangatur, quas natura dedit, vt tanquam gubernaculis his vtatur ad aëreos cursus eo dirigendos, quò volare intendit: deinde districto gladio, quem ad sinistrum latus appensum habet, ad cædem auium: auis captæ gulam incidit, ac profluentem sanguinem calidum accipitri præbet bibendum, edendámque carnem ex collo, tum ex cerebro, corde, hepate, ventre: deinde accipitri carnem subtrahito, & subtractam scitè occultato, ne fraudem sentiat accipiter, illúmque ita ad alterius prædæ impetum comparato, vt ne exaturatus alteram prædam negligat, ad quam inuitabitur, & memor efficietur, si eius pedes respergātur sanguine auis captæ. Valet memoria & cōmodè scit vti occurrentibus. Contumeliā ab adulatione internoscit, vbi ter aut quater ad venandū emissus sit, ne amplius emittatur, etiā si

magno studio euolare cupiat, ne nimiũ defatigatus vnius diei labore, in multos dies inutilis reddatur. Requiete quidẽ reficitur, at improbo & nimiũ assiduo labore in morbũ incidit. Iam interdũ euenit vt à præda aberret, propter multa, quæ occurrere solent, vt si interea, dũ auẽ insequitur, repẽtè aquilam videat, & metu potẽtioris, immemor prædæ, seipsum seruare, quàm prædã capere malit, aut sæpe sine arte è manu emissus, illius renibus repentè læsis prædã non assequatur: interdũ etiam lori vinculo implicatus aberrat à præda. Præterea permulta alia fortuitò accidẽtia, quæ illũ sæpe impediunt, quominus prædã cõsequatur, quæ breui tẽpore studiosos experiẽtia docebit. Cùm igitur intra diẽ vnũ aut alterũ receperis accipitrẽ, pectori tuo admotũ verborũ blanditijs demulcẽto, & tanquã ad generosam auẽ, in pugnaq; primas obtinentẽ, cùm alia verba facito, ut illa quòd mali cuiusdã dæmonis nõ insidijs nõ sit adeptus victoriã. laudẽ enim et vituperationẽ intelligit, hominũq; volũtates ex gestibus percipit, vt alibi demõstrabitur, cũ physicus rationibus accipitrũ rationes exponemus. Quòd si necessitate magis quàm voluntate ad volandum segnior videatur, propter susceptos prius labores, satiandus est & quieti tradendus, & domum relatus, ea ratione curandus, quam pòst explicabo. Iam si in arboribus desideat, indignatus ob prædã amissam, suprà dicta arte reuocãdus est. Ac si

fortè ad audiendum tardior ſit, vel propter naturam acerbam & contumacem ad obediendum, vel propter prædam amiſſam, vel contumeliam ab aucupe acceptam. His enim ita ſæpe indignatur, vt ad multam diem in arbore reſideat, aucupem quidem intuens geſtantem carnes, neque tamen ad ipſum reuertens, tum alligata prius carne ad alterum caput tenuis funiculi, & ad eiuſdem funiculi alterū caput, alligato ſaxo aut ligno, quod accipiter trahens carnem excutere non poſſit, oportet venatorem ſecedere. ita enim fiet, vt cùm venatorem non adeſſe videbit, inuolet in carnes & recipiatur. Si hanc naturæ malitiam iterum retineat, relegandus eſt ad nouam ſobolem procreandam. Præſtat eius ſobolem expectare, quàm ipſo malo vti ad venationem, moleſtiæ, non delectationis cauſam præbenti. Multa dixi de aucupio accipitrum, reſtat iam exponam curandi rationes, vnde ſinguli morbi, quibus accipitres laborant, gignantur, & qua ratione curentur.

Ad accipitrem, qui ſit difficulter reuocatus.

MIſodulon herbam ſiue aridam, ſiue ſiccam, bene tuſam cribro cernito, & Cumini, tantundem ſimiliter tritum & cribratum, melle optimo temperata per biduum dato accipitri: aut ſumito agrioſtaphidos albægrana quindecim: aloë, laſeris ſingulas itreis ſiliquas: gixomeni granula decem

decem: oui album liquorem: vini, quàm optimi, quod satis sit: spumam nitri albi, mediam partem, mellis exiguam, omnia rectè contrita liquidis permisceto, hisque accipitrem linito.

Si accipiter magna alarum distractione euolare contendit.

Accipitrem alarum & membrorum contentione euolare cupientem, tegumento velatum ducito in paruum balneum, & nunquam fugiet: ac si ferus esse perseueret, illum tectum ducito in fabri officinam ferrarij, suspensúmque mansuefieri sinito ab strepitu fabrili.

Contra eiulatum.

Eiulantem & sibilis strepentem antè, quàm sedem capiat, trito allio, quod sumptum sit ex sulco, allines, dicens illius eiulatui, Te allino: aut sumes vespertilionem, eámque prius depastam pedicularię herbæ tria grana edendam accipitri præbeto: pòst illam alligato ad perticam. Si celeriter nõ concoquit, eiulabit quidem duos dies, sed amplius non eiulabit.

Ad accipitrem incitandum ad aucupium, qui aucupandi studio non tenetur.

Gallinam vernaculam occidito, sanguinem quouis folio exceptum & conglaciatum dato accipitri edendum, cùm es exiturus ad venandum, & ita cupidus & promptus fiet ad venandum.

Quomodo post venationem accipitres recipiendi, nutriendi, & in quas caueas includendi.

Postquam aues, quæ peregrinationibus vtuntur, non apparent, vt sunt anseres, vt anates, vt grues, vt aliæ: tum venator gestans accipitrẽ, quotidie exeat ad aucupium coruorum, cornicum, aliarúmq; auium peregrinationem ignorantium. Hoc aucupio obiter vtitor à Calendis Maij, vsq; dum accipiter claudendus sit, tum includito in caueam amplam, quæ ad solis ortum habeat fenestellam, neque vitro, sed virgis circunsepiatur, vt & luminis habeat, quod satis sit, & tutò accipitrem custodiat Nam vitris citò rumpit, circunuolitans, ludens, impetum faciens, tanquam homo nocens in carcerem cõditus, ex vinculis erumpit: sic accipiter euadit, aut vitri fragmento, quasi gladio læsus, corrumpitur. In media cauea sit lignum transuersum, vbi sedeat accipiter, neq; vnquã in ligneo vase desit aqua, quotidie mutata, neq; vas sit profundum, neque omnino patulum, sed latũ, & mediocriter concauum, ne accipitris lauandis pectus lędat, néue distorqueat pennas natas: quales enim diriguntur, tales perpetuò manent. Carnẽ calidam, aut pridie occisam in cauea edat: interdiu caro suilla præbeatur: dentur etiam interdum columbæ, aut mures, aut catuli, quos aliqui exponere solent, pellémque serpentis minutatim concisam, carnib

carnibus immißtam: ea enim ad mutandas pinnas maximè prodest: vel testudinem ex siccis locis captam, testa nudam, supinam accipitri præbeto. Huius carnis succus mirificè facit ad celerẽ mutationem pinnarum totius corporis, vt quidam imperiti faciunt. Pinnarum vulsura affligendus: sed potius naturaliter curandus molli & delicata ratione, quæ sine dolore pinnas mutet: solas caudæ, quæ effractæ sunt, sensim vellito, & eas quidem necessitate adductus, & vide ne cum cruore vellas. Nam si cruentæ euelluntur, postea distortæ & cruentæ renascuntur. Illum semper miti ratione habeto, ne multo labore post exitum ex cauea egeat ad cicurationem: vno, aut altero die de manu tua cibum capiat, alijs diebus in pertica carnem ligato, vt illinc cibum capiat, non ex terra, ne sordibus lædatur: ita habitus permanebit mansuetus. Post exitum ex cauea: eget multo labore, vt dirigatur. Nam è cauea receptus eo modo, quo à principio captus, erudiendus & mansuefaciendus amißis pinnis. Cauda magna renascitur primo anno, tenuior secundo: alijs deinceps annis eandem caudæ retinebit formam, non auctam, neque diminutam.

Quo remedio pinnæ celeriter mutantur.

SI inclusus accipiter non celeriter pinnas mutat, vtere eiusmodi viuendi ratione. Primùm

edat

edat, quæ diximus, deinde per dies septem ex vitium sarmento cinerem purum, hoc est, ex nulla alia materia factum, cum aqua commistum, accipitri apponito. Sunt accipitrum curatores nonnulli, qui marinam aquam accipitribus inclusis apponunt: aut si marinæ facultas non est, salem in aquā adijciunt: ita quouis modo (vt dictum est) cinere apposito, vel ex potione, vel ex lauatione, laxatur corpus accipitris, vt pinnas celeriter mutet. Bibens hanc cineream aquam, nunquam calculis laborabit. Postquam pinnas mutauerit, aquam puram, vt prius, reponito. Sunt nonnulli, qui agni casti semen contritum, aqua dulci dilutum, percolatum columbæ bibendum præbeant, ipsámque pernoctare sinant, postero die accipitri edēdam dent. Alij verò lacertam viridem in nouam ollam, in qua ferueat aqua, addunt, deinde mortario contusam, cum sua decoctione, adiecta etiam altera aqua tepida inijciunt in peluim, in quam demersus & lotus accipiter, velociter pinnas abijcit. Vel opobalsamum cum carne eidem edēdum præbent, aut pullos hirundinum.

Aliud.

Lacertam minutatim concisam, ne vnguibus accipiter capiat, sed ore: nam si lacertæ caro in accipitrem, velut lac quoddam emiserit, damnum adfert, & pedem in partem interiorem constringit: itaque minutatim occidito, ne ipsam

vngu

vnguibus poßit capere.

De moderatione & menſura cibi.

E*Dat accipiter ex trutina ouillæ carnis dextantem, caprinæ dodrantē, hircinæ dextantem, ceruinæ beſſem, leporinæ quincuncem, ſuillæ ſelibram, nefrendis ſextuncem, catelli beſſem, bubulæ ſelibram: auium verò, vt gruum, vt anſeris: vt turdorum, paſſerum carnibus ſatiandus, neque remouendus, priuſquam vnà cum carnibus oſſa, pilos, plumas comederit. Cui ſiquis alium cibum apponit, priuſquam illa deuorarit, valde illum lædit. Vires enim eius debilitat, appetitum tollit. Caro vnà cùm oßibus & pilis comeſta valde vtilis. Nam ſtomachi pituitam exſiccat & concoquit, & accipitrem contra graues morbos tuetur.*

Quota hora paſcendus.

H*Ora quarta poſt geſtationem paſcendus: deinde ad ſolitam perticam tandiu ligatus tenendus, dum concoxerit: infra perticam velum appendendum. Pertica autem ſit tiliacea, æqualis, non valde craſſa, neque rurſus valde tenuis. Si nō concoquit, maluam domeſticam, teneram cum carne commiſtam edat, adiuuabitur: ſed multò magis is, qui ſuas pinnas corrodit. Hiberno tempore priuſquam accedas ad aucupandum, ipſi dabis ſilen, appellatum geoponomum, & aloën pro magnitudine accipitris. Si magnus eſt, præbeto ad magnitudinem fabæ, ſi non magnus, dandum, quod ſit*

ciceris

ciceris magnitudine. Est item purgandus, aut mure, aut bono oleo, aut melle.

A quibus cibis abstinere debet, & quam ob causam.

NVllius animalis malè olentem carnem accipitri dederis. Pestilentem enim morbū concipit, & calculos gignit, interiora putrefacit, & citò perdit accipitrem: neque item caro cum sale danda. Sal enim in stomacho liquatus, extinguit spiritum accipitris: rursum absque carne datus, viscera consumit. Adeps cuiusuis animalis alienus à cibo accipitrum. Vim enim concoctionis dissoluit, & naturam stomachi corrumpit. Oleum datum cum sale inimicum accipitri.

Qui cibus cōmodus, & quo tempore dandus.

NOn omnis caro omni tempore confert. Suillatum danda, cùm extenuatus est: nam illa perpinguem efficit. Danda autem hyeme, cùm frigore est facta tenerior: sed bubula rarò. hæc ad purgandum auxilio est. Detur autem bis aut ter in mense capr ina: ouilla omni tempore conuenit. Esus calidorum semper est commodus. Pulli columbini tum hyeme, tum æstate accipitrum victui accommodati: sed caro coruorum, aut cornicum nunquam prodest, potius nocet: at caro anserina optima.

Amissis veteribus plumis, vt nouæ celeriter nascantur.

Pinn

PInnarum coliculos vrsina axungia inungito, & celeriter pinnæ nascentur.

Vt celeriter crescant.

RVbi radicibus cum vino contusis foueto foramina, vnde pinnæ veteres ceciderunt, & celeri incremento augebuntur.

Quæ purgatio danda viginti diebus, antequàm includatur accipiter.

VIginti diebus, antequàm accipiter intra caueam claudatur, oui vitellum, mellis exiguum, rosacei tantundē in vinum cōmista, adiectis tribus partibus recentis carnis comedēda accipitri quotidie præbeto. Tum tribus aut quatuor diebus, paulò antequàm includatur, ouillū cerebrū, quod calidū adhuc sit, quotidie accipitri edendū dato.

Ad excæcationem pinnarum.

POstquàm acicula sedē cæcæ pinnæ aperueris spargito olei & butyri æquales portiones.

Qui cibi idonei accipitribus.

CArnes recētes comedāt accipitres: sed sicubi inopia cogātur edere minus recētes, duobus diebus edāt, tertio abstineāt. Calculos enim procreat, & cuiusq; morbi pestilētis causam affert. Sit victus accipitrū caro agnorū, ouium, hircorum, boum, porcorū: paruorū quidē & tenerorū semper cū pilis: sed magnorū sine pilis. Cū labore extenuati fuerint accipitres, vno aut altero die carnibus vescātur: earū pluribus cōtinuis diebus vsus accipitrū animos

animos efferat: præterquàm quòd multis diebus continuatus, calculos gignit. Singulorum prædictorum animalium, singulis diebus usus mutandus. Bubula multos dies continuata, cruditatem affert. Caprina in ventre lapillos quidem egregiè dissoluit: sed stomachum aqua implet, appetitumque tollit. Ouilla assidua lapides generat. Sanguinem hirci oportet statim à iugulatione excipere, & concretum dare. hic calculos maximè frangere solet, atque vt historiæ monumentis traditum est, ab hoc adamas lapis frangitur. Leporum omnis caro cum sanguine data sine pilis & medullis est commodissima: sed ossa exesa in auis ventre generare dicuntur vermes, à quibus conficiatur, occultam causam ignorante aucupe. Ceruina, quanquã difficilis est ad concoquendum, ad satietatem danda non est, ac si opus sit vrsinæ calidæ exiguum dandum: nam eius satietas grauissima est. Catellorum sanguis calidus totus edatur cum carnibus. is enim, vt hircinus, ad ventris dissoluendos lapides commodus est. Murina vtilis illa quidem etiã quotidie, aut alternis diebus, sed duntaxat cum pilis data, omnibus intestinis auxiliatur, purgat pituitam, bilem deducit, reprimit vapores, elicit destillationes, corroborat dissolutum stomachum: Breuiter accipitrum generi maximè salutaris est. Sed ex auibus columba mirificentissimè prodest exesa vnà cum concisis minutatim pedibus & alis

alis: & si nonnullam sitim affert. Coruorum cor, cerebrum, iecur pectuscula accipiter modicè capere potest, modò omnino ne bibat illorum sanguinem. Nam & salsus, & vt omnia cũ sale mista, accipitri perniciosus est: itémque cornicum caro vitetur, neq; ossium, aut intestinorum quidquam capiat. Vim enim incendendi habent, intolerabilémque sitim excitant. Anatis omnes carnes maximè prosunt, & sanguis. Tum gruinæ & anserinæ vtiles quidem, sed sine multo sanguine. Expletus enim accipiter anserino sanguine, corde grauatur, vt homines ebrij facti, mentem & rationem obumbrant, immoderatéque feruntur: ita ille ad venationem ineptus fertur, quoad concoxerit. Ardeolæ, quam veteres Græci herodiam vocant, cerebrum simul cum corde & iecinore comedat, necesse est: ne molestia affectus, minus promptus reddatur ad venandum. nam ægrè fert, se ex sua venatione solius cerebri participem factum, reliquis verò pa: tibus esse priuatum. Lari cor cum sanguine, & paucis pectoris carnibus, comedat. Ipsius enim reliquæ partes graues, & malè olentes: sed mergi satietur carne, quæ & suauissima est, & facilis ad concoquendum. Otidis etiam & turdi optima. Palũba, merulæ, gallinæ vernaculæ, tẽpore data cõmodissima circucisis pedibus alisq; ne sentiat auẽ esse domesticã, posteaq;, agrestibus neglectis, circa gallinarum tegeticulas oberret.

N

Quomodo capitis dolor cognoſcatur & ſanetur.

Capitis dolor grauiter infeſtat hoc auium genus. Qui de harum capitis dolore indefinitè conſcripſerunt, magnum incommodum pro remedio his animantibus attulerunt. Non enim capite dolent vnam, ſed plures ob cauſas, quarum ſingulis medicina eſt adhibenda. Etenim caput dolet accipitri, qui id de more non erigit, ſed alis frequenter occultat, ſic vt dormire videatur. Is dolor accidit à multo noxio humore, ex alienis cibis collecto, in capútque contracto, atque ex obſtructione meantium vaporum acrium in caput incumbentium. Fit etiam ab immoderato frigore, contracto ex aucupio, ita vt ex deſtillatione laboret: interdum à feruore æſtúque ſolis: nonnunquam à fumo: aliquando ab odore vini, quod pernicioſum eſt. Nam niſi auceps intelligit accipitrem ab odore remouendum eſſe, perit accipiter, naturalibus inſtrumentis læſus. Curatur, ſi ferri ſcoriam, mortario diligenter tritam, arido illius palato infricueris, atque in id inſpiraueris vetus vinum, &c, vt mos eſt, ipſum curaueris.

De capitis dolore ob venarum obſtructioné.

Capite aggrauatus, aſpectu mœſtus, palpebras oculorum difficulter trahens, ſignificat ſuorum temporum venas obſtructas eſſe, ex eóque caput torqueri. Hunc hoc modo curabis, Vetus

Vetus vinum ore ſumptum in illius caput, oculos, naréſque inſpirato, quotidiéque lauato, & ad ſanitatem perduces.

Deſtillationis cognitio & cura.

Contrahitur hæc ægritudo frequenter diei peſtilentis inconſtantia, aut ſordidarum carnium vſu. Cognoſcitur, cùm ſupra oculos capitis caua loca plena exiſtunt: aut cùm carnem carpit, guttæ quædam aquæ decidunt: aut cùm oculorum pupillæ, velut nebulæ aquoſæ implentur. Cùm vnũ ex his ſignis apparet, hoc ſicco remedio curabis. Coſti, folij Indici, ſingulorum ſcrupulos quinque: baccarum lauri aridarum, drachmam: pulicariæ ſcrupulum: omnia contuſa & tenui cribro tranſmiſſa arida ſeruato, hiſque, cùm opus erit, illius palatum confricato: fauces melle illinito, tum ex arido prædicto in nares inijcito, deinde horã vnam ad ſolem ipſum exponito & curabitur.

Ad deſtillationem capitis remedium.

Si capitis fluxionibus laborat, permultum liquoris per nares emittit, curabis hoc remedio, Glycyrrhizam cõtuſam & cribratam cum carne comedendam præbeto: at ſi deſtillatio permanet, nardi guttas treis in nares ipſius inſtillato, ipſúmque ad ſolem horas duas, cùm cœlum tranquillum eſt, exponito. Quòd ſi etiam poſtero die ſimiliter affectus ſit, calentem columbam, eodem puluere ſparſam, edat oportet & ſanabitur.

Ita etiam sanare posis.

Piperis albi Garyophylli paria pondera trita, parui calami fistula naribus infundatur. Signum ægritudinis ostenditur ex eo, quòd aqua defluit ex naribus. Vnum ore sumptum inspirabis similiter in eius nares: ipsúmque in sole statues.

Medicamentum trypherum vtile ad grauedinem capitis.

Baccas lauri septẽ, pedicularię grana quinque, allij exiguum, cumini quod satis est, opo balsami sextantem, mellis ligulam: hæc mortario contusa, & cribro excreta, liquidis permisceto, diligentérque accipitris palatum linito.

Aridum medicamentum.

Pedicularię granum vnum, piperis grana septem, costi foliorum, spicæ nardi, singulorum siliquas duas, Castorei siliquam contundito, cribrato, hísque siccis palatum illius illinito.

Remedium ad destillationem.

Vrticæ grana quindecim bene contrita, dato cum carne edenda in treis parteis diuisa. Si seminis vrticæ non sit facultas, rheoponticum tritum cũ carne similiter accipitri edendũ præbeto.

Vt pituita capitis subsistat.

Salem Cappadocum, oleum omphacinum, oui album liquorem æquis ponderibus, & mellis, quod satis sit, in vas adycias, & cum carne accipitri edenda præbeas.

Medicamentum, quod omni tempore tuetur contra omnem morbum accipitres, & quod omnem liquorem ex capite detrahit: purgat etiam defluxum in oculos, cuius compositio hæc est.

Piperis semissem, laseris obolum, zinziberis, rutæ aridæ singulos sextantes, caryopylli, castorei singulorum quincuncem, pedicularię grana quatuor conterito, & quàm minutissimè per cribrum cernito, in mortarium misceto, adiecto melle acapno, & vino veteri, vtroque quod satis sit: hisque allinito palatum, oréque accipitris compresso, suge eiusdem nares, vt medicamentum transmittatur: quod vbi feceris, illum in sole collocabis. Hoc hyeme singulis mensibus facito, æstate nunquam.

Ad grauedinem capitis.

Piper, pediculariam, geponomum, folium spicatum, nardum, caryophyllum, cuminum, sagapenum, balaustium, semina rutæ, marathri, coriani, petroselini, æquis ponderibus mista contundito & cribrato, & cùm opus erit, interdū cum melle obline, interdum etiam arido vtere.

Medicamentum aridum purgans caput accipitris & pituitam.

Floris, quem facit schœnos, costi, singulorum trientem, folij scrupulos tres, zinziberis, pedicularis, singulorum quadrantem, balsami, rhu,

quo coriarij vtuntur, singulorum scrupulum vnũ, tragagãthæ elotæ, piperis, petroselini singulas sextulas, mellis, quod satis sit, arida contunde, & liquidis permisce, hisque vtere, vt antè dictum est. hoc illitum & datum cum carne valde auxiliatur.

Medicamentum omni tempore purgans caput accipitris.

P*Edicularię grana mundata quatuor, arsenici scissilis, quod satis sit: diligenter simul ex vino austero tere, atque ex eo guttas duas naribus instilla, vel potius inspira, quò facilius in palatum transmittatur. hoc discutit omnem crassam pituitam. Sed ante hanc purgationem vtile vti hac viuendi ratione, Nitrum album diligenter tritum in nares immitte, vinúmque vetus ore sumptum in nares inspira, aut pinnam vino madefactam in os & fauces, tãquam spongiam exprime.*

Ad accipitrem, qui plumas mutauit, tuendum contra omnem morbum.

C*Osti, castorei, euphorbij, laseris, singulorum scrupulum: pedicularię grana tredecim: contunde, cribro incerne, obline accipitrem, tuebere ab omni ægritudine.*

Ad conseruandos pullos accipitrum.

F*Olij sicilicum, piperis, carpobalsami singulorum scrupulum: laseris sesquiscrupulum,*

trita

trita cribrata commiſce cum melle, quod ſatis ſit, hiſque alline.

Remedium ad morbum comitialem.

SI comitiali morbo conuellitur accipiter, ei coctam veſpertilionem comedendam præbe, & ſanus fiet: aut hœdi cerebrum quod per annulum aureum traductum ſit, præbe manducandum.

Si conuulſionibus corripitur.

CYperi, muſci, herbæ nuncupatæ drimytatæ, oenantes, lactis caprini, vrinæ, ſtercoriſque humani æqualia pondera, arida trita, liquidis miſta, infundantur.

Quibus ſubitæ vertigines obuerſantur.

SIgnificationem accipiter huius morbi dat. Nam ſubita vertigine corripitur, neque ſtare poteſt. Sumito pediculariæ grana quinque, ipſáque trita & cribrata, in mediam carnem permiſta commanducanda præbeto accipitri. Si cibum auerſatur, in globulum carnem conformatam, ſcitè, aperto ore illius, coge ipſum capere. Videbis poſt horam vnam, aut alteram, reiectis malis humoribus, morbo liberatum eſſe, poſteà cibum illi calentem recentémque dabis.

Remedia ad oculos.

NOn paucis morbis laborant accipitrum oculi: nam in quos morbos incidunt cætera animalia, iiſdem afficiuntur accipitres: qui de his indoctè ſcripſerunt, plura prætererunt, ego

illorum minus perſpicua, quoad potero declarabo.

De albugine oculorum.

E*A, quæ oculos impediunt, quominus videãt, alij albugines, alij nebulas appellant: his medere in hunc modum, Mel Atticum acapnon, id eſt, non infectum fumo. crocodili albi ſtercus, ex æquo miſta, mortario diligenter tandiu teras, quoad lenteſcat, deinde pinna illis imbuta illine oculos. Sed ſi aliqua offenſione oculi dolent, & lachrymantur, ſalem Cappadocum rectè molitum oculo inſpira: vel ſalem ipſum ex aqua diſſolue, eóque ablue oculum, nequid ſordium adhæreſcat, poſteà ore ſume ex ablutione, & oculo inſpira. Alij ex aqua ſalem liquant, eóque per pinnam illinunt oculum, ídque ſæpe die faciunt. At melius eſt ſalem ore ſumptum oculo inſpirare, propterea quòd ſæpe accipiter renititur aut hominũ aſpectum, aut manum reformidat.*

Si inalbeſcit oculus, vel ab ictu, vel à ſanguine.

S*Epiæ teſtam, ipſiúsque accipitris fimum, galbanum, mel acapnon, pari menſura mortario rectè conterito: deinde pinna oculum linito. ita paucis diebus ipſum priſtinæ valetudini reſtitues. Aut ſume atriplicis ſemen, diligenter tritum, tenui cribro excretum, eóque alline oculum. Aut thus, ſepiæ teſtam ex æquo trita, tenuiter cribrata, oculo inſpira. Aut ſimul hederæ ſuccum oculo*

inſpira. Aut ſimul hederæ & rutæ ſuccum, pari portione miſtum, oculo infunde. Aut fabis nigris exuſtis pari pondere, melle immiſtis, vtere. Aut ammoniacum muliebri lacte conſperſum minutè mortario tere, oculóſque pinna perunge. Aut melle acapno linito oculum. Aut vitis agreſtis cinerem cum pelle anguina tritum, pari menſura per pinnam demitte leniter bis die in oculum. Hoc efficacius facies, ſi prius caput accipitris purgaueris præſcripto medicamento: ex capite omnẽ liquorem per nares deſtillantem detrahit. Aut ſumme ſerpentis pellem arefactam, conciſam, cribratam, aridam, ſeruato incluſam, ne exhalatione euaneſcat, & cùm erit neceſſe, oculo inſpirabis. Aut ipſam melli miſcebis, pinnáque oculis illines. Aut panem exuſtum cum ſale ammoniaco, conteres, adijcies aloën in iecinoris ſpiſsitudinem concretæ: vtere & purgabis. Aut ſepiæ teſtam, fœniculi ſuccum, crocum, myrrham, ex æquo miſce cũ melle, tere, vtere. Aliud, fel caninũ & mel in vnum cocta, illita albugines abolent. Item, turturis fimus cum melle illitus, albuginibus ſuccurrit.

Remedium ad quemuis ictum oculorum accipitris.

SAlem ammoniacum tritum oculo inſpirabis, deinde exiguo melle, quod fumo infectũ non fuerit, oculum lines.

Ad inflammationem oculorum.

OPobalsamo oculum madefacito, & ipsius palatum illinito. Aut oleastri foliorũ succus inflammationem reprimit & mitigat illitus. Aut anemone cum dulci vino cocta oculo illita, inflammationes reprimit.

Ad repentinam inflammationem oculornm.

AD portulacæ succum expressum, admisce opium & crocum, vtrũque quod satis sit, succóque oculos illine. Aut spongiam aceto, mulso tepido imbutam super oculum impone.

Ad fluxiones oculorum adustione reprimendas.

SVbula ænea candente affectæ partis pellem, quæ super oculum est, adure, & ab oculo arcebis fluxionem.

Aduersus oculorum debilitationem.

SOlent hebescere sæpe accipitrum oculi vel nimio fumo, vel acrimonia, vel molli pituita, cùm defluxio multa & vehemens oculos vexat: curabis, si melle acapno illos inunxeris, croco, rotundi iunci flore, oui liquore, marathri succo, interdum in vnum mistis: nõnunquam etiam per se.

Ad oculos qui ex offensione externa, sanguine suffusi sint.

PVllo columbino multas pinnas euellito, easque digitis exprimito, atque ex ipsis decidẽtem

tem

tem sanguinem in accipitris oculum instillato: post duos aut tres dies conturbatum oculum, frequenter eluito rore, quod oleribus insidere solet.

Ad suffusionem oculorum.

Suffusio appellatur, cùm illæsi oculi apparent, & tamen non vident prædam: nempe in quorum partes interiores, materia crassa deciderit, impediens visum. Si igitur suffusos oculos habet, & frequentius similis dormienti id patitur: & tametsi apertos oculos habet, tamen non videt. Mel & rosam ex fontis aqua satis coquito: deinde hoc decocto per pinnã oculum illinito. Aut mellis acapni, & fellis vulturini æquales partes sumito, hisque pinna imbuta cautè oculum inungito mane & vespere, &, vt prius, acutè videbit.

Ad visum debilitatum fumo.

Dum gestatur, conniuet, & difficulter videt, lachrymas profundit, in nares iniecto opobalsamo, ad sanitatem peruenict.

Medicamentum ad purgandam visus debilitationem.

Piperis, costi, folij baccarum lauri, singulorum scrupula bina, nardi spicatæ, euphorbij, zinziberis pedicularię, laseris, singulorũ sesquiscrupulũ, caryophylli scrupulũ. vnà tunsa hæc omnia, & cribro tenuißimo transmissa, conijciantur in calamũ, aut æneã fistulã, ne exhalata euanescãt. Cùm accipiter illinendus erit, prius palatum eius

veteri

veteri vino erit madefaciendū, in eiusdémque os vehementer inspirandum, vt medicamentum purgatorium imbibatur. In vtrasque nares tantum iniiciendum, quantum capiunt. Hoc vbi ter factum fuerit, id quod sumitur ex medicamento purgatorio, sicco melle Attico aspergetur, eóque accipitris palatum & guttur defricabitur, & vt imbibatur per pinnam procurandum: deinde in sole collocandus, vt omneis humores, qui capiti & ventriculo insederunt, dissoluantur, atque expurgentur. Post horas quinque detur ipsi columba: hora nona adaquandus, vt & bibat & lauet. Nam ex medicamento siti flagrantem, valde potio recreabit. Postero die ad perdicum aucupium emitttendus, vt plenius illorum esu confirmetur.

Ad vermes oculorum.

OCulis accipitrum vermes ingenerari solent, ex longo & copioso vsu carnium sordidarum & male olentium: ex his putrida materia in capite colligitur esca: oculi laborāt defluxionibus, quæ à cerebro putridæ manantes gignunt vermes. Hos sequitur oculorum prurigo, & sternutatio frequens, sanguis per nares erumpit. Hoc morbo affectum, ita curari conuenit. Accipitrem trade alteri scitè manibus tenendum, tu verò illius leniter palpebris reseratis, melle Attico imbuta molli spongia, latentes vermes depellito: Sic enim excutiuntur ad mellis crassitudinem adhærescen-

tes

tes: multi etiam aucupes acu pertenui & acuta sigillatim vnũquenq; vermẽ detrahunt & sanãt.

Ad oculorum pituitam spumosam & glutinosam.

A*Ccipitri, cuius ex oculis spumea quædam pituita erumpit subrumum catulum concisum, adhuc calentem per biduum, aut triduu edendum præbeto: at si glutinosa lachryma albuginem oculo offundit, pelle serpentis exusta, oculus est illinendus, tum sale ammoniaco in sputo liquata inungendus: deinde accipitri cornix danda.*

Vt accipitri sanguis mittendus sit.

S*I vis accipitri sanguinem detrahere, in caueam includito, & cùm vtriusque pedis venæ eminent, ex cruribus plumas euellito, itaque sanguinem detrahito: Sin minus venæ apparent, primi digiti venam ferias. Hoc facito cùm noxijs humoribus redundat, & in morbum cecidit.*

Ad accipitrem difficulter audientem.

P*Iperis albi & longi æquales portiones tunsas & cribratas cũ carne, da accipitri edendas per triduum, & tibi audiet vocatus.*

Ad eum, qui ex fumo ægrotat.

E*X fumo ægrotare incipientem cognosces, cùm videbis tristem & præter consuetudinem obstipum, graue caput deferentem, alas frequenter pandentem, palpebram inferiorem humoris plenam habẽtem, sese affricantem perticæ, aut*

homini

homini gestanti: aut unguibus suas nares vellicantem, promptum remedium primum est, Si ipsum abstrahas à causa lædente, nimirum fumo: dein le veteri vino frequentius eius oculos foueas: Sin diuturno fumo iam afflictus est, allij exiguum cum veteri vino contusum, per pinnam eius naribus infundes. Hoc idem facit opobalsamus naribus instillatus, & garum, quàm optimum, cum vino & rosaceo ex æquo commistum, per pinnam illitum, naribus & palato. Quod ubi feceris, in sole per horam ipsum colloca, atq; eundem pasce car ne neruosa, & pristinæ valetudini restitueris.

Remedium ad eundem.

EX fumo caput & oculi intumescunt, nares obstruuntur. Remedio sunt piperis longi g a na sex, costi scrupula tria, caryophylli, castorij, anemones, croci singuli scrupuli ex iunco odorato floris opobalsami, tragacanthæ, scrupuli bini: pedicularie grana septem: piperis cõmunis grana quatuordecim. Hæc arida contusa, & tenuissimo incerniculo creta, vino austero excipiantur, oculóque illinantor. Quòd si videas eum acerbè ferentem, melle albo inunge palatum accipitris, vt mitescat, eundémque, ne molestia afficiatur, ex aqua aspergito. Sunt qui allium, diligenter tritum, accipitri simul cum carne & lacte caprino præbeant, ac confestim mel in eius nares inijciant semel aut bis die, vinóque austero eiusdem oculos foueant.

Summa

Summa eius ægritudinis cautio est, ne accipiter fumo appropinquet: quoniam eo læditur, distillationes excitantur: pinnæ exarescunt.

Qua ratione destillatio & grauedo generantur, cognoscuntur, curantur.

DEstillationis & grauedinis plura genera à varijs causis oriuntur: interdum à putridis carnibus, interdum à diuturnis fumis, aliquando à pituita ventriculi, aliquando à defluxione capitis destillante in fauces, nonnunquam à fame: sæpe à nimia edacitate, tum ab ictu illato plagæ accipitris: item ab exhalatione grauioris cœli, aut à vaporibus generatis à lapide ventris. Cognoscitur ex oculorum tumore, sternutatione, lingua, cùm excrementum nigrum infra linguam collectum est: aut cùm accipiter caput fricat, aut infrà alas demittit, aut vnguibus nares suas vellicat, aut solitum cibum non capit. Destillationis sex sunt species, quarũ nomina & curationes suis locis reddemus. Prima est sicca & arida.

Ad aridam pituitam.

SIcca est pituita, cùm sternutans accipiter, nihil per nares emittit. Remedio est pix munda subacta cũ aceto acerrimo, quã minutissimè eousq; contusa, dum strigmẽti balnearũ crassitudinẽ habeat, eáq; pinna imbuta in illius nares demittito semel die, similitérq; altero die curato, si vides profuisse: quinetiã tertio die simili curatione vtitor, si

vides

vides accipitrem melius habere. quoties curabis, toties post vnctionis digestionem melle eius fauces perunges, vt ab aceto flagrantem recrees. Sed commodius esset medicinam cum exiguis frustulis carnis commistam dare, vt acerbitas medicinæ his deglutiretur, melius, quàm spiritu accipitris. Si hoc remedium profuerit, garum primæ notæ similiter naribus immitte semel die. Quòd si similiter permanet, neque vllo prædicto remedio discussa sit, columba detur edenda. Si non habes columbam, suilla caro calida cum oleo. & ad sanitatem perduces. Equidem ipse ex longo vsu memini, recrementa ferri, minutatim trita & cribrata cum carne data per triduum, hunc affectum sanare. Sed ad omnem morbum optimè facit noctua in cibum data.

Vnguentum hybernum ad omnem destillationem, quod recipit

Piperis, castorij, singulorum scrupula bina, zinziberis, costi, nardi spicatæ, euphorbij, agarici, scrupulos binos. Pyrethri, pedicularię singulas siliquas. Hæc omnia contusa & tenuissimè cribrata excipiuntur melle optimo, & veteri vino. His inungatur palatum accipitris: deinde in sole post horam detur columba: tum asari, piperis, mellis & vini, singulorum quantum satis est, naribus infundatur: post infusionem per duas horas in sole statuatur.

Aliud

Aliud remedium ad ſiccam pituitam.

EX deſtillationibus laboranti accipitri, intumeſcunt oculi, ſternutamenta crebra fiunt, ceteri eget auxilio: ſed in primis ſupradicto vnguento, quoad perfectè curatus ſit. Aut hoc vtere vnguento. Allij ſuccum miſceto cum vino auſtero, eóque palatum ipſius perline: victui calida præbe, ne aquam guſtare ipſum permitte, ſi ſuccum allij biberit. Aliud remedium, quod continet opij, coſti, folij, euphorbij ſingulos ſcrupulos: piperis grana quadraginta: caſtorij binos ſcrupulos. Hæc omnia tunde atque vtere. Aut gari, vini, olei roſacei æquas portiones ſubactas, naribus infunde ad molliendam deſtillationem: deinde ipſi ad ſolem expoſito, neruoſam carnem carpendam præbe, vt ſiquid humoris reſtat, per nares ex capite detrahatur. Eidē medetur laſer, ſiue liquidum, ſiue aridum in nares demiſſum.

Aliud vnguentum.

PVlvis ſtillatitiæ myrrhæ cum aqua conijciatur in vas, quod in ima parte pertuſum ſit, permittatur effluere: deinde illo percolato, palatum illius perfricetur, videbis liquorem per nares deferri, quæ ſpongiola ex aqua calida expreſſa abſtergitur. Alia compoſitio, quæ habet pediculariæ, laſeris ſingulorum ſcrupula bina, piperis, pirethri ſingulos trientes, coſti vnciam. Hæc omnia in puluerem redacta, & tenuiſſimo incerniculo

O

excreta, arida seruentur: sed ita, vt ne exhalatione exolescant. Cùm vsus necessitas postulabit, accipitris apertum os vino veteri & mero diluatur: deinde acapno melle fauces illinantor, constringatur illius os: exugantur nares, donec aliquantum mellis ad os tuum perueniat. Vbi supradictorum puluere accipiter illitus fuerit, in sole collocetur.

Medicamentum, quod innoxium tuetur ab omni destillatione.

P*Edicularia grana tria, tunsa, cribrata, tribus carnis adiectis partibus accipitri dentur per quadraginta dies: ita fiet vt nunquam destillatione laboret, neque gestatus, neq; inclusus.*

Commune remedium, ne vlla destillatione accipiter facilè lædatur.

A*L lio primæ notæ diligenter contuso, caput inungatur accipitris, paulatimque eidem edendum detur. Ipsi item commune oleum datum, similiter & mel, eadem efficiunt: item butyrum similiter. Omnia enim noxia ad eius ventrem adhærentia expurgantur: sed maximè hyberno tempore, propterea quòd illum vires incalescant naturali efficacia. Illum etiam mirificè iuuat esca calida, præparata ex animalibus, quæ antè scripsimus, sed maximè murina caro, naturalem quandam commoditatem affert huic animantium generi.*

Medic

Medicamentum ad siccam pituitam accipitris.

Balsami & butyri æqualibus portionibus lotum accipitrem unge, allij & hyosciami succo pari mensura misce, & vinum austerum, quãtum satis est, illius palatum illinito, post ipsum ponito in sole.

De pituita continua.

Hæc efficit, vt omnino oculi, tanquam sputo consperſi videatur, & velut aqua madefacti. Vis huius affectus ab oculis primum se ostendit: huic mederi conuenit hoc medicamine, quod habet sideritem, vinum vetus & bonum, mellis, quantum satis est. Simul omnia contundantur, donec strigmenti balnearum craßitudinem habeant: deinde eo asperge suillam, murem durum, qui quamuis illius contactu corrumpatur: tamen si dederis accipitri edendum, sanabit accipitrem. Tantam habet vim naturalem, vt si coquatur cum fungis venenatis, id quod in eis venenum est, tollat, fungósque esculentos reddat.

De pituita humida.

Notias appellatur ex eo, quòd humorem habeet, & spumeum quiddã ex oculis mittit: oculi tumet, per nares nihil defluit: ea, nisi præcaueris, periculũ affert, & propemodũ est insanabilis. Deprehenditur, cùm oculorum angulos videas vtrinque spumæ exiguum habere. Curabis, si pe-

dicularię, piperis, singulorum grana septem, vnà diligenter trita cum vino in promptu habeas: deinde exiguas carnis portiunculas mellitas des accipitri comedendas quinque, aut sex: post hæc eum in sinu tuo teneas, sed commodè, ne lędantur illius remiges pinnę. Primùm linguã ipsius leniter exeras, & videas. Siquid tanquam lingula, quod est morbi fundamentum, infra ipsam decumbit, id vngue leuiter incidas, donec expurgatus locus sit: deinde vino veteri fauces & palatum eluas, & diligenter digitis defrices, tum eiusdem nares auceps ore suo exugat, puluerémque sumat ex his, quę diximus, redactum, eóque illius palatum confricet, singulis curationibus vtere, pondere duarum fabarum: in sole paulisper locato, vsque eò duntaxat quoad incalefactus sit: deinde ipsum à sole remoue, & ligatum tene in vmbra, & tandiu obserua, quoad per nares & os eijcit morbũ, exigua frustula carnis, quę ante pharmaci curationem acceperat, videbis fœculentam pituitam emittere accipitrem ex efficaci pharmaco. Cùm animaduertes ipsum expurgatũ, neque quicquam amplius emittere, melle illine fauces & palatũ, vt antè diximus, vt mitigetur accipiter ex acerbitate pharmaci, tum ei detur columba edenda, aut ouilla caro calida, aut alterius animalis boni succi. Quòd si morbi vis adhuc permanet, tum adhibeatur hoc remedium, quod recipit agrestis mâli &

hiosc

hioſcyami æquales portiones commiſtas cum oleo, quod fumo infectum ſit, ex his offæ agglomerentur, eadémque opera opobalſamo illinantur: vino prius foueatur os accipitris: deinde detur ipſi offa vna pondere vnius ſcrupuli. Potes etiam hoc remedio vti, quod continet piperis vnciam, laſeris drachmam, coſti folij ſingulorum ſcrupulos quinque, pedicularíæ grana vndecim. Contundantur ſimul omnia, & tenuiſsimo incerniculo cribrentur. Seruetur eorum puluis, eóq; cùm exigit vſus, palatum & fauces illius defricentur.

De molli & humida deſtillatione.

Mollis deſtillationis hæc ſunt ſigna. Primùm ex naribus aqua defluit: deinde ſternutamenta, ſputa, muci craſsi ex naribus erumpunt, oculi humore redundant & tumeſcunt. Hanc iiſdem pharmacis eodem modo, quo humidam curabis. Sunt qui laſer in aquam cõijciant, idque madefieri & macerari tandiu ſinant, dum aqua diſſolutum ſit, eóque conſperſum pullum columbinum, adhuc calentem dent accipitri. Cùm accipiter aſsiduè liquorem per os & nares emittit, & palpebræ tumeſcunt, hîc non eget auxilio vnguentorum, quæ ipſum nihil iuuant, ſed magis humorem deſtillationis augent. Vtere duntaxat hoc remedio, quod recipit piperis triti & cribrati puluerem: is naribus inſpiratus ſanum facit accipitrẽ. Cùm caput atque oculi tument & ſtertit & ſi-

bili elidit accipiter, hoc curabitur remedio, quod continet piperis grana quadraginta, costi sextulam, opij scrupulum, folij pyrethri, euphorbij, singulorum scrupula bina, pedicularię grana viginti, opobalsami ligulas treis, arida contundantur, liquidis misceantur, opium vino conspergatur & liquidis adijciatur, eóque vtere, cùm erit opus. Humidam & mollem pituitam apertè indicat defluxio ex oculis & naribus. Primùm remedium est perungere palatum semisextula supradicti vnguenti. Quòd si permanet morbus, laurini olei guttas binas singulis naribus instilla. Si ne hoc quidem adiuuatur animans, eius capiti ferrum candens sic admoueto, quemadmodum paulò post dicetur. Rutæ puluisculus, diligenter tritus, illius naribus inspiretur, calidis carnibus auium vescatur, neque omnino in sole manere permittatur: exigua aqua vtatur ad commodius accipienda auxilia. Humida pituita deprehenditur, cùm circa oculorum angulos & tempora humor spumeus fertur: cùm frequenter sternuit, euellantur plumæ ex eius temporibus, venæque fricatione excitentur, vt ex temporibus emineant: deinde exiguo ferro candenti scitè adurantur, & quàm mox vino mero conspergantur.

Ad humidæ pituitæ orientia tubera.

S*Aepe in naribus accipitrum oriuntur tubera ex humida destillatione. Remedio sunt tres*

gut

guttæ gari optimi quotidie naribus instillatæ.

Ad inflammationem narium.

Narium inflammatio cognoscitur, cum circum oculos & os glutinosus humor exundat. Sanatur hoc medicamento, quod habet agrestis vlmi semina concisa & tunsa cum oleo in offas agglomerata, palatóque accipitris infricata, tum eius naribus instillatus succus rosaceus, omphacino oleo temperatus. Da etiã columbam &c. quæ dicentur infra in cap. de Thoracis pituita.

Ad destillationem, quæ per nares mucum reddit.

Piperis grana decem & septem mortario cõtrita vnà cum sapone & stillatitia myrrha, tenuiter cribrata, & ea quidem ad proportionem piperis iniecta & mista accipe, illísque postquam accipiter cibum sumpserit, eius nares illinantur & ad sanitatem perueniet.

Cùm ex naribus liquor redditur.

Si ex naribus aqua defertur, raphani seminibus contusis, cribratis eius nares illinito. Potes etiam vti aparinæ semine contrito, & tenuissimè cribrato, eóque scitè palatum accipitris defricato & facilè cognosces mucos exhaustos esse. A nonnullis melle puro palatum, & quæ sequuntur infrà in cap. de Thoracis pituita.

Auxilium aduersus pectoris & thoracis pituitam.

SAndarachæ vnciam, butyri, medullæ ceruinæ singulorum sextantes, duorum ouorum alborum liquidorũ, olei laurini, mellis quàm optimi, singulorum semunciam misceto vnà, & in globulos paruulos redacta, accipitri deuoranda præbeantur.

De occulta pituita.

HAc laborat accipiter, cùm diu in fumo versatur. hanc ipsam cognosces, cùm eius palpebræ liuidæ sunt. ex naribus autem destillat lippitudo spumea, vehementérque stertit: depellitur hoc remedio, Hioscyami seminis, piperis scrupuli singuli, laseris scrupuli bini: simul terantur, melli acapno misceantur, illisque illinatur palatum: victui calida detur. Alij hanc pituitam tollunt hoc medicamento, quod componitur ex costi, piperis longi, hioscyami seminis, pari portione: laseris, piperis scrupulis singulis, omnibus simul contusis, & cribratis melle conspersis eius palatũ illinunt.

De thoracis pituita.

EA grauis quidem affectio, nisi statim succurratur: efficitur ex redundantia humoris. Signum huius est, cùm grauiter spirat, vt fit, ab exercitatione: ad pectus accipitris humor multus exaggeratur, quæ stertere, recinere, obstrepere faciunt accipitrem. Succurrendum hac ratione, Eo die victui columba, potui aqua mulsa danda est aut rosacea, quas bibat accipiter, donec omnino

refic

reficiatur. Calidam curationem nihil iuuare experientia animaduersum est, ac potius adiuuare frigidam, & cruda comedere, tribus frustulis additis plantaginis, in mediam carnem immissis. Aliud remedium, cùm assiduè strepit, sibilum elidit, stertit, linguam exerit, hac medicina sanus fiet, quæ recipit butyrum cum rosa cõtusum, & exiguum folij Indici, contusi & cribrati. Hæc omnia simul subacta, in pellem soricis coniice: deinde scitè accipitri pellem, ita præparatam da deuorandam: da etiam columbam, vt antè dictum est, & in vtrasque nares laurinum oleum instilla: fac sub dio maneat, & restituetur. A nonnullis melle puro palatum & fauces inspirantur, aut infricantur allio multo & bene purgato, tum lati cumini & pedicularia paria pondera diligenter contrita butyro excipiantur, eóque caro illita, edenda accipitri præbeatur. Itémque cùm accipiter incidit in thoracis pituitam, ostendit ex eo, quòd circum nares inflammationes exoriuntur eiusmodi. Pituita afficitur accipiter, aut nimium madefactus, aut in multo fumo versatus, hoc remedio sanabis, Sume asininum allium, pilo tunde, linteo tenui succum exprime in illius nares. Alij vrticæ grana septem aut nouem trita, cum tribus carnis partibus dant. Sunt qui hirci sanguinem, media ex cæde, aut non multò pòst effusum sanguinem poculo, aut altero vase exceptum sinunt concrescere: postéaq;

dant accipitri comedendum.

De morbis oris.

ORi innascitur morbus hermius nūc upatus, iuxta labrum, sinuosus est & fistulosus in quem influit humor, non perficitur, sed per partes inflatur, influentibus indomitis, appellatis humoribus, in vlceris foramina. Os igitur accipitris aperiendum, atque imprimis fistulæ squammam pinna purgari conuenit: deinde pinna, melle imbuta, illini oportet, vt omnis sanies expurgetur. In os fistulæ, non autem intra foramen ipsius, calcithis contrita inijcienda est, vt id quod est putrefactū, exhauriat. exest enim omnia vlceris tubercula.

De vlceribus manantibus quas Græci ἄφθας vocant, tum de pauló durioribus vlceribus subalbidis, quas Græci ψύδρακας vocant.

COgnoscitur accipiter huiuscemodi vlceribus laborare, cùm eius palatū totum exalbuit, & quasi milij grana parua dispersa in ore videntur: huic medicabere ad hanc rationē. Tuum digitum indicem inuolues linteo, eóq; melle rosato asperso, auis palatū & linguā fricabis. Si facultas mellis rosati non sit, vino mulso vtere. Calida victui præbe: vel foueto os accipitris, vino austero, adiecto melle rosato, aut ipsa rosa sola, aut rosaceo oleo, quod confectū sit ex omphacio. Vel omphacinum cū mulso cōteratur, eóq; illinatur eius palatū

&

& lingua. Vel palatū et lingua primùm aceto & melle vsq; eò perfricetur, cum expurgata sint: deinde melle crebrò illinatur. Ricini semina cōterantur, ex aqua coquātur, & percolantur eorū decocto: admisceatur tantundem mellis, ac rursus coquant, donec ad mellis craßitudinē peruenerint: deinde hac cōpositione accipitris illinatur os totū. Quòd si in capite auis aphthas sic nuncupata vlcera habent cognosces, si ex manu violēter deuolat, & cùm ad manū reuersus est, si videbis eum cum violētia respirare, scito esse in eius iecinore vlcus insanabile. Sin in solo capite hic affectus versatur, primū illinito opobalsamo: deinde altero die vnguēto habente opobalsamū: altero quoq; die allinatur melle rosato, adiecto malicorio et euphorbio. Quòd si vlcera inflāmationibus flagrāt, aut albus liquor cum eiusdem vitello cōmisceatur, eóq; illinatur.

Ad pustulas accipitris.

SI in ore, aut alia corporis parte, pustulæ sint, trade alteri accipitrem scitè tenendum: tu verò acicula pustulas aperito, easque sinito euaporari, deinde melle rosato illinito.

Ad recinentem & stertentem accipitrem.

SI stertit, sibilū elidit, augetur & coactus comedit, scito in eius faucibus pituitā esse. Remedio est ferri ramentū tenue cū carne calida datū, aut zinziberis, sulphuris puri, ignē nondū experti par modus, cū oleo rosaceo tēperatus cū carne victui

datus

datus. Item solum rosaceum ex carne datum discu tit pituitas ad thoracem adhærescentes. Sunt qui zinziberis partem vnam tritam, butyri partem, alteram rosacei sufficientes partes simul cum carnibus accipitri dent comedendas.

Quomodo morbi pulmonis cognoscantur, gignantur, curentur.

SI vel in quiete, vel in motu accipiter difficulter spirat, vt cum sono & anhelatione procul audiatur, scito redundante calore materiæ incumbentis in partem affectam, pulmones inflammatos esse. Id accidit cùm imperitia gestantis pro iectus est ex manu. Nam ab aëre susceptus calor & imperitia gestantis auctus pulmones distrahunt, ad salutẽ perducetur hoc medicamine, quod habet lenticulam crudã, tunsam, melle subactam, conspersam exigua scobe ferri cum carne edendam accipitri præbitam. Accipitres pulmonarios scito esse insanabiles, præterquam cum ægrotare incipiunt. Sanauimus hos sæpe, potui dantes frigidam ad satietatem, aut rosaceum mel refrigeratum. Accipiter cùm grauiter & crebrò spirat, aquámque valde expetit, tum pulmonibus malè affectus esse solet. Sanabitur, si primùm melle puro, nondum temperato, eius palatum illinatur: deinde oui vitellum cum vino commistum & tritum accipitri infundas.

Ad angustias pectoris.

CVm angustia laborat in cibo capiendo, & difficultatem cibi transmittendi affert gutturis inflammatio, sanabis, si partem vnam ramen ti ferri, & carnis calidæ alteram partem, ouique vitellum vbi miscueris, accipitri dederis.

Ad anginam.

OLei, vini, mellis æqualis mensura cum carne detur edenda.

Ad obsessas fauces.

LAser in vino teratur, hisque perfusa caro accipitri detur. Solet sæpe accipitribus ex nimia edacitate, vel ex noxio humore intus infra pectus & cor & maxillas quiddam humoris plenum nasci simile pustulis, aut strumis, cui nisi citò succurratur consumit auem, nec ita multo pòst tum cognosces affectum, si vides ipsum frequenter expetere aquam. cùm enim aquam aspicit, aut puteum, aut stagnum, ardenter illuc cupit ire, & crebrò euolare contendit, inflammato humore exardescens, hunc ita sanum facies, Ouillam carnem frigidam, melle sparsam vno die tantùm cibatui dato: altero die Hispanicum oleum cum carne victui præbeto. Si nihil horum iuuat suillas setas, asperas minutim concisas, cum carnibus mistas, accipitri edendas dato. Delapsa enim subtilia setarum fragmenta, atque incidentia in pustulas, exulcerant ipsas & disrumpunt: itaque effuso humo-

re

re animans liberatur. Hoc vbi feceris, postridie ad eius curationem melle vtere, & prorsus ipsum morbo liberaueris.

Remedium aduersus sitim.

Accipiter crebrò bibens, & seipsum sæpe proijciens ex manu gestantis, cùm aquam videt, ostendit circa aut guttur, aut inglunuiem, aut axillas strumas intus esse, quæ ipsi sitim præbent. Periclitatur, nisi promptum remedium affertur. Sanus efficitur, si ipsi carnes nunc melle, nuc oleo rosaceo illitas dederis, eique aquam quærenti, crocum cum vino amineo in puluerem resolutū præbueris. Aliqui ita medentur, Primùm ipsi viuam columbam interficiendam præbent, quam cùm comedere incipit, tum illius sanguine & carne perfricant folia allij & bliti diligenter in mortario ligneo contusa pilo ligneo, eáque ipsi præbet edēda.

Remedium contra abscessus.

Si abscessus habeat accipiter, celeriter subsilit. Abscessuum duo sunt genera, alterum lapidosum, alterum sanguineum. Ita sanabis, Adiantum ad tertias coquito, percolato, eique adijcito exiguū calcis viuæ, & mellis, quod satis est: vnà subigito, in pastillum conformato, quo frequenter dando, absterges omnes abscessuum sordes: tum ex hac compositione toto die vnà cum portionibus carnis eius cibatui dabis primùm duas partes: post exiguam diem duas aut tres æquales: in summa capiat

piat quinque, aut sex. Ne finito illo die, quo illas comederit, accipitrem aliud quicquã edere. Nam ex his cognosces abscessus sanguineúmne, an lapidosum quidpiam habeat.

Quibus signis cognoscatur interior accipitris ægritudo, vnde oriatur, & quomodo curari debeat.

SI aut manu aut pertica insistẽs accipiter multum quiescit, & discedens tardè reuertitur, & parum admodum edit: si & mœstus est, & stercus nigrum crassúmq; emittit, præsertim cùm carnem recentem ac mundam sumpsit, scito hæc esse signa ægritudinis generatæ ex crassis humoribus, nondum concoctis in ventriculo, tum ex carnibus fœtidis, herbísque, quas sæpe humi sedens carpit & comedit. Ita curato. Sume portulacam paulum contusam, deinde cum butyro commistam præbeto accipitri edendam cum carne ouilla calida, aut rutæ in puluerem redactæ, ex veteri vino diligenter quotidie, per aliquot dies dato tres ligulas, & ad sanitatem perduces.

Ad occultum morbum accipitris.

ACcipitris demonstratur occultus morbus, cùm in venatione comedere nõ vult, tũ scito eũ ex aliquo intestino laborare. Detur ei caro melle & butyro cõspersa, et curabitur. Optimè fiet, si eius cibatui calidus detur pullus columbinus. Nã omnium remediorum ferè optimũ est calida esca.

Ad

Ad molestias & anxietates tollendas.

SAndarachæ tertiam, butyri recentis partem vnam misceto, & cum carnibus recentibus edendam dato. Cùm mœrore & angore affectum esse cognosces, cùm eius aspectus horridus est & tristis, remedium est columba in cibum data, quæ pridie poscam biberit.

Ad morbos latentes, & plagas intestinas.

STyracis optimi sesquiscrupulum, recentis butyri, medullæ ceruinæ vncias singulas, mellis boni & olei Hispanici sufficientes partes, vnà misceto, igne lento calefacito, vsque dum bene cōmiscueris: vbi refrigeraueris, dato comedere vel carnibus immistas, vel in murinam pellem coniectas: & si quo intestino affectu laborat, sanabitur. Est etiam remedio, vel ouillum cerebrum ipsi datum cum reo pontico contuso & cribrato. Vel columba, quæ sapam biberit: postridie, si accipitris victui viua detur. Aliqui in vas cōcauum indunt mellis & olei Hispanici ligulas singulas, & oui album: quæ vbi subegerunt, adijciūt triti salis Cappadocis & spumæ nitri duos scrupulos, hisq; exiguas carnis particulas sparsas obijciunt accipitri.

Ad tabescentem.

COlumbæ acetum potui detur, eius os ligetur, ne reijciat acetum, appensa habeatur, vsque dum ipsius caro dissoluta fuerit: deindè accipitri præbeatur.

Ad

Aduersus omnem morbum accipitris.

SInapis & coaguli lactis siliquam cum carnibus dato accipitri, isque in multas horas iuxta aquas maneat, finito: vngito eius nares, vt per nares attrahat vim medicinæ.

Quomodo pinguem accipitrem & venandi negligentem extenuari, & cupidum aucupandi efficere conueniat.

IS, qui nimio cibo & delitijs supra modum pinguescit, ob idque aucupari negligit, ita extenuandus & ad venandi studium restituendus est, Testudo aquatilis illius cibatui semel die, aut bis danda, vsque dum eius carnes luxuriantes ad mediocritatem redierint. Cibi etiam inopia, quæ plena sunt, exinaniri ipsa medicinæ ars præcipit. Sunt qui dent pulegij & allij æquales partes vnà contusas cum carne bubula. itaque cito reddunt graciles.

Ad extenuatum ex obscura causa.

SVillam carnem cum oleo communi des, citóq; pinguis reddetur, vel etiã restituetur ad pristinam pinguedinem, si eius potui symphyco decoctum, cibatui verò suillam carnẽ cum butyro & melle dederis.

Ad æstus accipitris.

ACcipitribus per æstatem venantibus, Solis ardore æstuantibus, bile flagrantibus ou-

albus liquor ex rosaceo dãdus, ducendus ad aquã, in loco auris exposito collocandus.

Aduersus bilem.

R*Asilis æruginis nondum coctæ, olei Hispanici, vini veteris parem mensurã in vas indito, & simul vbi miscueris, carnibus illitã dato.*

Ad refrigeratum.

M*Vlti accipitrem ad thermas adducunt & calefaciunt & nihil tamen adiuuerũt, potius etiam læserunt: at tu ipsum stragula veste tectum, repone in commodo loco, eique, vt calescat, butyrum cũ vrticæ semine præbeto & refeceris.*

Remedium aduersus bilem.

I*Neunte autũno & principio cùm captus est, aut diu immoratur perticæ, aut solis ardore incensus, aut prælia tus bili laborat, cuius signa sunt, Totus tristis est, oculi sicci & compressi videntur, multo aquæ desiderio tenetur, & ipsam multam bibit: tremit totus, dispersas atque inæquales habet plumas, eásque interdum explicat, interdum etiam contrahit: pedes nigros, & ab vnguibus vsque ad genua frigidos habet, hoc remedio curabis, Aquam rosaceam infundes, cibu præbebis ex rosaceo & omphacino oleo cum caprina carne: eum in terra frigida sedere sines totum diẽ, nocte subdio habebis, itáque sanabitur. Cibum calidũ omnino ne dederis, sed neque vsq; dum perfectè curatus sit, ipsum gestaueris. Bibat vespe-*

re

re aquam, vt bilis calor tēperetur frigore potionis.

Defatigati remedium.

EX aucupio & longo volatu fatigatum, cibique fastidio affectum, restitues in pristinū cibi appetitum, si suillam carnem aceto acerrimo perfusam in tres partes diuisam dederis, aut murem largiter edendum præbueris, recreabitur accipiter, & ipse restituetur appetitus.

Ad inflationem.

INflatur sæpe accipiter, cū aut ab altero accipitre vulneratur, aut in spinosum locis ingressus, spinis sauciabitur. Eius corpus totum aqua egelida perfundatur: pellis inflata acicula ita leuiter compūgatur, vt ne caro attingatur, & pernicioso trāsmisso humore, tumor remittetur. Quòd si inflatio permanet, theriacā liquidā magnitudine fabæ vino veteri resolue: perfunde accipitrē et sanus fiet. Si vel inguen, vel axillæ ab ictu tumeāt: aqua rosacea & cera igne lento liquentur: adijciatur symphytum minutatim confectum: simul omnia subigantur, plagæ imponantur. Sed si gula intumescit, acicula resecetur, vinóque oleo misto calido madefiat et benè habebit. Ita se affectu ostendit, cùm ei subitæ vertigines oboriūtur, vt cōsistere nequeat, ei exhibēda est par portio glycyrrhizæ et maluæ.

Stomacho malè affecto remedium.

SI stomachus malè affectus sit ex noxio humore, rosaceum vetus cū carne, accipitris victui

exhibeatur. Ita affectum cognoſces, cum toto die videbis eum oſcitantem. Cui etiam remedium erit laſer Cyrenaicum magnitudine grani piperis cum carne datum.

Stomachus, quando non eſt cibi tenax, & debilitatus, faſtidit cibum: vnde cognoſcatur, & quomodo curetur.

SAEpe nimio labore defatigatus, aut malè geſtatus, aut contra auem fortiter præliatus, aut offenſus in aliqua corporis parte debiliori, aut vinculo inuerſo alliſus ad perticam, diſſoluit ſtomachum in cruditatémque incidit. Cognoſcitur affectus primùm, cùm pro ſua conſuetudine non edit, aut cibum omnino non capit, aut lento capite, aut etiam lentius volat, aut ſedet, aut emiſſus ad exiguam venationem, omnino volare nequit, aut cùm ante pedes aucupis cibum ſemicrudum reijcit. manifeſtum remedium eſt: Si oui album liquorem accuratè à vitello ſeparatum in mortarium ſimul cum melle vſque ad dimidiam ligulam imponas: olei Hiſpanici cochlear vnum, vini aminei tãtundem, piperis grana tria, ſeorſum conteras, donec corpus vnum ſit, eóque conſperſam carnem accipitri adhibeas. Quòd ſi ſumere recuſet, illum contineto ad ſinum tuum, & carnem diſſectam in exiguas particulas ſimiliter conſperſas ipſi dato pondere vnciæ. Si vides ex ſtercore illum, vt natura

exigit

exigit, concoxisse, adde cibo prædictum medicamentum: quo semel dato, si ipsum curaueris, bene est: sin minus, similem medicinã triduo adhibeas, & sine dubitatione illum liberabis: itémque raphani seminibus in puluerem redactis, cum vino absyntite nondum cocto commistis inspersas carnes accipitri præbe. Si nolit edere, ipsi ad sinum tuum compresso cibum dabis, & sanabis: Ouis recenter ingulatæ caput calidum ipsi præbeto comedere, & ad sanitatem perduces.

Quomodo cognoscatur cruditas, & quibus remediis curetur.

CRuditatem auceps facilè cognoscit ex reliquijs residentibus etiamnum postero die in ingluuie. Id vsu euenit, propter vel stomachi debilitatem, vel susceptum laborẽ, vel immoderatam carnis sibi datæ multitudinẽ, vel quòd non se exercuerit, aut quia malè gestatus, aut imperitè collectus fuerit. Hanc discuties hoc remedio, Stacten quercinam aqua dilutam, & percolatam iubeto aucupem, quam ore capere potest, sorbere & infundere faucibus accipitris, retenti per te, vt antè dictum est, laneámque fasciam calidam ingluuiei ac concoquendam cruditatem imponere, & paulò post, quàm concoxerit, tenuem cibum ipsi dato. Vtitor oui remedio antè descripto. Sed como ius feceris, si cum carne remedium calidum adhibueris. Verùm si nulla signa superiora apparuerint,

& tamen cibum respuit, nihilominus vtere prædicto remedio, aliísque auxilijs ad reficiẽdas eius vires accommodatis.

Ad eum, qui concoquit quidem, sed carnes reiicit.

SI ei vinũ vetus detur cũ carne, & recuperabit appetitũ: deinde postridie quinq; grana geponomi trita eidẽ obijciantur, cum particula carnis.

Ad eum, qui non concoquit.

SI non concoquit & cibum euomit, ita curabis, Costi & folij drachmas singulas, laseris semidrachmam, melli quàm optimo permisceantur, & dentur accipitri, atque aliquanto pòst ei cibus præbeatur columbæ. Alij hoc remedio vtuntur. Oui recentis vitelli, mellis, olei, sufficiẽtes partes permistas & subactas ipsi præbent edendas cum carne: quidam etiam vinum admiscent, vt efficacius remedium sit. Sunt, qui dent tribus particulis carnis reoponticum additum. Nonnulli folia spicæ nardi, & geponomi æquo pondere trita, vino amineo conspersa infundunt, aut geponomum læuigatum carni immistum accipitri esurienti apponunt, ne odorem sentiat.

Ad nauseantem.

LAser & suillam carnem aqua conspergito, eius cibatui tessellatim dato, & quandiu cibum fastidit, tandiu simili aqua carnem inspergit.

Ad

Ad eum, qui euomit cibum.

EVomuisse cibũ cognoscitur accipiter ex eo, quòd tristis est. Curatur ita folij partẽ vnã, & costi tantundẽ, piperis grana duo in vnu tunsa, & cum melle subacta edenda præbeto.

Ad cruditatem & nauseam alia remedia.

SI cibi permanent in stomacho crudi, eósq; non euomuerit, vsque ad decimam diei horam, nullus cibus est ei dandus: sed tantùm aqua tepens cum oleo & sale in illius os infundenda est: aut aqua marina tepefacta, & ita post horam aluum deijcit, & adiuuabitur, deinde eidem passerculi duo, troglodytæ appellati, viui obijciendi. Sed si ante cibum euomuerit, nihil dandum, nisi sola tepens aqua mista cũ oleo: postero die gallinacei pulli vino potati, cibatui, & potui sanguis dandus. At si comedere non valeat, solum sanguinem bibat. Quòd si nihil horum profuit, murem aut vespertilionem ei dari conueniet, & reficietur.

Adhuc de vomitu.

BVtyrum, mel, spumam nitri, nigræ columbæ fimus, lumbrici, qui ad filum tandiu pependerint, dum sint arefacti: lotiũ humanũ, vini paulum: omnia misceantur, hísque caro cõspersa detur accipitri. Sunt qui vespertiliones quinque interficiant, ipsorúmq; sanguinem vitreo vase exceptum arescere sinant, & minutè tritum seorsum

seruent, vsque dum vsus necessitas requiret, túmque tres alias vespertiliones vino veteri odorate madefactas, & prædicto puluere conspersas dent accipitri comedendas.

Ad malè affectum iecur.

EX iecinore laborans accipiter, aut à canibus laceratus, cognoscitur ex eo, quòd tristis videtur, & pedes liuidos habet. Remedio est eruum læuigatum, ac subactum cum melle in parui pastilli formam redactum cibatui datum: vel axungia recentior accipitri fasiani: vel menta tunsa cum carne accipitri obiecta.

De tineis siue lumbricis.

HIs signis cognosces, an tineas habeat accipiter insistens perticæ, cùm volare cupit, alas suas impeditas habet, & tanquam si distortos neruos haberet, tremit, pedum modo hunc, modo illum porrigit, siue in pertica maneat, seu manu aucupis gestetur, & pinnas suas vellicet, nunc eas quæ sunt in pectore, nunc illas, quæ sunt in femoribus. in summa, neque in manu aucupis, neque in pertica insistit. Ita curabis, Carpobalsami grana tria, ceruinam medullam, vrticæ pauca semina, & nigellæ tantundem, vnà simul omnia læuigata, contusa dito cum helxine prius arefacta, & mista da accipitri cum carne perdicis: aut si huius non sit facultas, cum carne gallinæ vernaculæ, & ita vel per os, vel per sedem tineas educes: Accipiter

piter tineis afflictus, frequenti volatu vtitur, ipsum refeceris, si cum pastillo piper ipsi dederis edendum. Idem præstabit cerui medulla, & geponomum in puluerem redacta cum carne data. Nec minus efficax est sesami & papaueris æquũ pondus in puluerem redactum. Si his insperseris stacten quercinam, & carni miscueris, & dederis accipitri edere, aut si aloë pura & munda læuigata animantem persuaderis posca. Sunt qui allij succum expressum cum omphacino oleo, pari mensura mistum infundant.

Remedium ad intestinum.

EX intestino laborare se ostendit accipiter, cùm pedibus sæpe stringit manum gestantis, & pedibus cædit perticam, cui insistit. Quidam censent sandaracham cum carne calida & butyro dandam. Alij verò, si omnia viscera simul cum intestinis doleant, vini aminei, & rutæ tritæ singulorum ligulam dandam existimant.

Quomodo calculosi cognoscantur, & qua ex causa calculi oriantur.

GEnerari lapis in visceribus solet, cùm accipiter carnibus vescitur pinguibus, aut malè olentibus, aut multis expletur. Ardeolarum caro calculos gignit. Laborare calculis primùm cognoscitur, cùm difficulter ventrem deijcit: deinde deprehenditur ex stercore eiecto, quod emissum adhæret pauimento, sed integrum iacet, neq;

virgis similem extensionem habet, vt sanorū habere solet. Id accidit, quoniam vi eiectum est, propter lapidē impedientem exitum excrementorū liquidorū, sed tamē à solo stercore, quod sæpe variare solet, cognosci hoc vitiū nō potest: cognosces alio modo. Nā cùm vel aucupis manu, aut perticæ insistens frequēter agitatur, scito ipsum calculus vexatū hoc facere, ita curabis, Rapū de terra lectu excauato, salē nondū tritū, quantū duobus digitis capere potes, in illud excauatū indito, idq; deinde in ollam nouā imponito: et postquā succensis ignibus, sal in rapū inditus, liquatus fuerit, adijcito sulliam carnē recentē, cibatū præbeto, ac paulò post ipsum ad aquā alligato, illicq; totū ferè diē maneat finito, aquaq; se oblectantē, ob salsos sumptos cibos, permittito bibere, quantū potest: ita enim lapidē minutatim eijciet. Potes etiā hoc vti remedio, Nigellæ semen tritū cum melle & oleo ter die dabis: post ridie momentū salis in carnē recentē abdito, carnem edendā præbeto: tertio die paruum pullū columbinum, nondū multis plumis vestitū, dato concisum cū ossibus comedendū. Potest etiā alia ratione sanari, cùm in manu insistente vides aluum deijcere conantem, neq; tamen valente: dextræ manus medicos duos digitos sedis anulo subijcito, cōprimito lapidē, qui est prope anulū: deinde expresso lapide & exempto, locū vnde exemptus sit, foueto oleo rosaceo: hircini sanguinis glaciati vncia lapidem

resoluit: quòd si plus quàm vncia detur, ipsum lædit. Murina etiam caro esui data, etsi lætius quàm hircinus sanguis, tamen lapillos frangit. Nonnulli etiam dixerut butyrum prodesse. Alij tradut accipitres calculis laborare solere, ex eo quòd comederunt carnes sordidas, & dilaniatas in terra. Quamobrē nonnulli quidā illas suspensas ligant ad caueam, ne puluere sordidas edant. Solent etiā in hunc mrbū incidere ex eo, quòd eis in cauea aquæ satis non subministrata fuerit: deprehenditur hoc morbo affligi, cùm difficulter excrementa excernit, & ea quidem dura & dispersa. Ipsum etiam videas conniuentem, & grauato capite dormitantem, & cùm excremēta reddit, anulum vellentē & stringentē: ita curabis, Rosacei ex oleo omphacino cōfecti duas ligulas, & oui album liquorē in vas indito vsq; dum vnum corpus fiant: per os accipitris infundito. Præterea ab alijs traditum est, illum comedere non posse ex eo quòd sedem lapis obsidet & clausam tenet, hoc remedium adhibent, Auri paulum, aut scissum arsenicum bene cōtritum ex melle dant accipitri, tum testudinem fluuiatilem escam apponunt.

Aliud optimum remedium.

COccum gnidium, galbanū, cochlea, sapa, butyrum instar granulorū triū optimè lapidē frangunt. Accipitri calculis laboranti oculi intumescunt, & nebulæ offunduntur, nares inflantur.

Oculi

Oculi fouendi betonica, & pluuiatili aqua. Iam ad aluum deijciẽdam ei cibus dandus, catulus subrumus, adhuc cæcus, per tres aut quatuor dies: post eà aloë elota magnitudine vnius siliquæ præbenda. Quòd si permanet lapillus, & non frangitur, vitis sarmento adurito partem capitis subtermediam inter duos oculos, vsq; dũ videas palpebras oculorum horrentes: deinde paruum digitum melle imbutum subijcito in animantis anulum, scitè dissoluens lapidem, & curabitur.

Ad lumbaginem.

CVm lumbi dolent ex mala gestatione, illum suspensum teneto pulchrè supra vinum in ollam inditum & inferuefactum: & vt vini vapor in illius femora & lumbos exhaletur, ollam vsque agitato, donec refrixerit: deinde vinum spongia exprimito in partes auis superiores, eàmque molle fœnum substernito.

Ad lumbaginem & pinnarum relaxationem.

ALtheam ex aqua coquito, decoctam aquã tantisper deferuescere finito, dum tantum modo tepescat, eáque lumbos foueto, postea ad pauimentum ligato. Accipitri cubile substernito molli fœno, vel ipsum ad balneas ductum, teneto supra caldam, sed ita, ne aqua respergatur: aqua duntaxat agitetur, vt à vapore accipiter incalescat: interim danda opera, ne decidat ex manu & pericl

periclitetur. Ex balneo eductus, paulisper sedeat, facito, & tegito: post tres dies per inferna sanguinem deijciet.

Aliud remedium.

Symphyti tres partes ex carne dentur, quæ si nihil profuerint, elaphoboscon & symphyton in vnum misceto, dato tres partes & ad sanitatem perduces.

Ad scabiem.

Scabiei prurigo accipitrem cogit contra se, tanquam cõtra hostem, vnguibus & rostro vti: sed tu locum scabiosum exprimito, donec sanguis eliciatur: deinde aconiti succo per triduum illinito, tum aceto quàm acerrimo eluito, & thus masculum aceto conspersum terito, eóque scabiosas partes linito, accipitrémque tantisper teneto, dum partes, quas leueris, desiccatæ fuerint. Vel saponis spumæ, nitri æquas partes acerrimo aceto misceto, iisque accipitrem linito, modò prius in balneo ipsum calefeceris, & postridie calda potabili eluito, & quàm mox sanabitur. Aut argentum viuum cum saliua terito, eóque accipitrem vngito. Aut bitumen ex veteri vino & oleo ad secundas decoquito, eóq; calido animantem inungito.

Ad lichenas.

Nitrum Alexandrinum quàm minutissimè terito, idque in oleum acerrimum misceto: locum lichenibus infestum lenito.

Aduer

Aduersus pediculos remedia.

PEdunculi naſcuntur à noxio humore carniū, & ex cruditate cùm auceps inconſideratè accipitri crudo alium cibum apponit, antequàm alterum cibum concoxerit: id quod cognoſcitur. Nam pedunculi circum oculos curſant & exundant in ipſum geſtantem. Remedium eſt ſandaracha, ſi butyro aut carne aut oleo imbuta ipſi præbeatur edenda. Aut ſaponem in tepenti aqua diſſoluito, eóque auem linito cœlo ſereno, & ſanum facies, ipſumque tunica inuolutum in ſolem calidū exponito. Si pediculos procreauerit accipiter, non valde ex eo læditur, potius alitur, & ad venationem impellitur. Pediculos autē concipit, cùm manet prope gallinaria atque auiaria. Fumo nunquam appropinquet, nam & læditur & pediculos, & pituitam, & deſtillationem contrahit & pinnæ torreſiunt. Se pediunculis laborare oſtendit, cùm pinnas vellens, frequenter pedunculos inquirit. Remedium afferes, ſi lupinorum decocto ipſum laueris: ſed ita, vt caueas, ne capiti admoueas feruentem decoctionem, lotúmue in ſole per horam ponito: & illinc vbi ipſum tolles, dulci aqua lauato, ne pellis vaſtetur: tum vino auſtero pinnæ inſpirentur. Vel ſarmenti, aut fici, aut oliuæ cinerem quàm minutiſſimè per cribrum cernas, accipitrémque illinas, eundémque linteo tegas, & pediculi in linteum decidunt.

Ad

Ad horrorem.

Horrore percellitur, cùm ex pediculis, tum alijs ex causis: ei subuenit nefrendis caro: auium caro cùm sit calida permultum, ipsum exsiccat, & vna cu macie pediculos procreat. Facit idem ouilla caro: at cornicinæ & coruinæ carnes omnino dandæ non sunt: nã & salsæ sunt, & valde perniciosæ accipitri pediculis laboranti.

Item ad horrorem.

Cum horret accipiter, tum corpore concidit, tristiq; & ægroto est aspectu. Correptus hoc affectu, excremẽta reddit corrupta maleolẽtia: nisi morbo occursum sit, cõsumitur anus. Hoc remedio subuenitur, quod recipit symphyti surculos cum radicibus & reoponticum: simul misceãtur, ex aqua ad tertias decoquantur, in quartam partem decoctionis reopõticum addatur, accipiter perfundatur, vsque dum persanatus sit, post infusionem ei cibus detur columba.

Ad defluxionem pinnarum.

Vtilissima res est accipitri pinnarum ornatus, & ad illius virtutis officiũ præstandũ aptißima. Si pinnæ ipsius defluant, & ipse spolietur naturali suo ornamẽto, Sumatur tedæ pinguis, & rubi radicum & platani, singulorum manipulus vnus, in ollam inijciatur, ad tertias decoquatur ex acerrimo aceto, eáque decoctione conspergatur accipiter, & pinnæ fluere desinent.

Quomo

Quomodo & corrodantur pinnæ accipitrum & curentur.

Exeduntur sæpe pinnæ noxio quodam humore: ita curari conuenit, Nitrum Gallicum & cimices, qui nondum ex lecto deciderunt, conteras in acerrimo aceto: emplastri facias, aperias pinnas, vbi videbuntur corrosæ, linito & sanabis.

Si pinnæ inflationibus turgeant.

Inflationes rescindas, & pinnas plenas perfores, & vino veteri locum eluas, & vitis sarmenta combusta, cum bubulo felle in puluerem redigas, eum infundas in plenas pinnas.

Ad eum, qui suas pinnas rodit.

Si accipiter suas corrodit pinnas, & cùm pediculos non habeat, tamen pediculos inquirit, scrutare coliculos pinnarum caudæ & plumas, inuenies quiddam nigrum intra radices pinnarum, id acu compungito, inspirato vinum vetus mali punici cortice trito vngito.

Ad refractas pinnas.

Qui à natura rectas nō habet pinnas, sed refractas, ita curabis, Aquæ potabili calida frequenter remiges pinnas fouebis.

Decidentium pinnarum remedium.

Lauri vel nucis oleo foramina, vnde pinnæ decidunt, vngito, aut ex tuo ore in loca, vnde exciderunt, inflato caprinum lac.

Ad

Ad defluxionem pinnarum.

PVlegij, sandarachæ, scrupuli tres, croci scrupulus. ex aceti sufficientibus partibus simul coquantur, refrigerentur: deinde spõgia oculi illinantur bis in die. Quòd si remiges pinnæ decidunt, sandarachæ & thuris tantundem: conterantur, subigantur, inungantur pinnæ.

Ad fluxionibus laborantem, & ob fluxiones pinnas amittentem.

SI defluxionibus alarum flexus, qui est tanquã cubitus, laborat, amittit remiges pinnas: ita curabis, Scrutator venulas adiacentes alis, ex ipsis mittito sanguinem: & postquam sanguinis paulum defluxerit, aceto frigido alas foueto, vt locus obturetur. Itaque fiet, vt posteà neque accipiter fluxionibus laboret, neque fluant pinnæ.

Ad fractas pinnas remedium.

CVm accipiter pugnat cum præda, sæpe accidit vt pinnas frangat, nimirum ad terram detractus: interea dum prædam retinere conatur: aliquando etiam alliditur ad perticam, dum euolare contendit. Solet enim naturali prudentia tegere caput, quod obnoxium habet letalibus ictibus: ideóque aluum, latera, lumbos percußioni exponit. id quod si acciderit, hoc remedio ei succurres, quo minus impediatur ad continuandam aucupationem. Habeto accipitris mortui pinnas, & cùm aliqua frãgetur, reponito ex mortuis dextrã

quidem dextræ, ſiniſtram ſiniſtræ parti, caudam caudæ accommodans: nimirum fractam pinnam non valde prope carnem ſcindito ad inſerendam loco illius alteram, quam de mortuo ſeruatam habes numerosè temperatam, lino nigro liges vtranque inter ſe commiſſam.

Ad fractas pinnas remedium.

V*Lmi corticem & maluæ agreſtis radicem ex vino veteri coquas, & decocto pinnas foueas, & ſanaueris: ſeu myrrham in pila tundito, & ſimul cum oui vitello ſtuppæ illinito etiam cum folijs ſuperimponito, ſcitè ligato, auem obſeruato, & ſanabitur.*

Quomodo inſerendæ ſint pinnæ remiges nuncupatæ.

E*X pinnis quæ volatui maximè auxiliantur, ſunt remiges propterea nuncupatæ, quòd tanquam remi, aërium pelagus ſecant. Quòd ſi fortè earum aliqua fracta fuerit, eius inſitionem ars machinata eſt, ab agricolis hanc fortè mutuata, qui ſurculum alienum ſuo trunco inſerunt. Remigem igitur pinnam, quam inſiturus es, ſcinde ex vna parte, vt poſſit includi in alteram, eáque in aqua remolleſcat, ſinito: deinde ſcinde accipitris fractam pinnam, & vbi exactè dimenſus fueris, & exæquaueris alijs pinnis remigibus, ita vt neque maior ſit, neque minor, mediam perforato tenui ſubula, & inſerito accipitris mortui pinnam*

in

in foramen fractæ viuæ, filo vtrinque ligato, & postea non impedietur, quo minus volare queat.

Ad lacerationem accipitris.

NVllum auium genus inerme natura produxit, sed & vnguium robore, & rostri impetu ad venandum, & ad se defendendum armauit. Si igitur aliqua vel magnitudine, vel robore præstant, accipitrem percusserit, & voluptatem cibi in molestiam conuerterit, suillam axungiam cum sarmentorũ cinere subactam in plagam prius purgatam imponito: deinde acicula tenui scite consuito, ne quid sordium in plagam incidat & ita perducetur ad sanitatem. Alij brassicæ caulem comburunt, & similiter chartam, ex hisque cinerem collectum, cum auium adipe subactum in plagam iniiciunt. Quòd si à grue percussus sit in pectore, aut in carnosis partibus, symphyto prius oblinito affectum locum, eúmque consuito triangulis aciculis laneum filum ducentibus exterius, suturam symphyto inspergito: Si filum disrumpatur, & consui non possit hoc faciliori vtitor auxilio, quod continet chartam scriptam, siue non scriptam diligenter combustam: eius cinerem cum oleo misceto, locúmq; vbi plaga est, vngito. Quod si sanguis ex plaga defluit, chalcitide prius plagã conspergito, & adiuuabitur. Quod si percussus sit in osseis, aut neruosis locis, sumito thus masculum, eóque contrito inspergito, aut cephalicon.

appellatum, quo ad curandos homines vtuntur, in locum affectum imponito, & citò sanabis. Cephalici compositio hæc recipit, dulcis olei trientem: bituminis, ceræ, picis aridæ, singulorum selibram, spumæ argenti scrupulos binos, cerusæ scrupulos quatuor & semis, thuris, aloë, myrrhæ, singulorum sextulam: opij, mandragoræ, pomorum succi, singulas sextulas, aluminis scissilis, atramenti sutorij, chalcitidis, croci, singulorum sextulam, aceti, quod satis est: quæ liquari possunt, liquato, & inspergito aridis, contusis & cribratis: quæ vbi subegeris, reponito: & cùm vsus necessitas requiret, ex rosaceo dissolutum plagæ indito.

Ad dilacerationem.

SI accipitris ventrem grus vnguibus lacerauerit, & pellem illius diruperit: ita curabis, Confestim ipsum recipito, cõsuito plagam acicula tenui filum ducente, & distractam pellem coniungito: deinde corticis quercini cinerem ex oleo dulci subactum inspergito: Columbinum fimum oleo & vino permistum, in pastilli formam redactum, super plagam imponito, non aberrabis ab optima curatione.

Aliud remedium.

COnsuito id quod discissũ est: deinde symphyton cum sarcocolla mistum imponito, & paucis diebus auem sanam facies: seu sarcocollam bene mollitam, tunsam cum sanguine gallinæ nuper

per

per occisæ, imponito, & citò sanaueris.

Ad plagam aut rupturam accipitris.

SI acciderit accipitrem confringi, cùm fertur in cornicem aut perdicem: ita curato: Reoponticum tritum ex vino veteri ipsi dabis.

Ad detractam pellem.

SI accipitri pellis detracta sit ab aue, quam insectatur, is qui eū emisit, super ipsum lotium faciat, & confestim leuabitur plagæ dolor. Quòd si à grue aut alia quapiam aue percussus fuerit, inijce intra fissuram suillum adipem, & ita consuito & inspergito resinam aridam & ferream scobem, quæ decidit in officina fabrili.

Si accipiter victus fuerit, dum contendit cum auibus.

GLabrum facito locum, vbi ictus sit, domesticæ vitis sarmenta cōburito, & postquàm locum affectum, vino foueris, cinerem inspergito, vel aloën, & columbæ fimum æquis partibus conterito, cribrato, excipito adipe anserino, ictui imponito. Vel thuris & cerusæ par pondus cum symphyto, quantum satis est, in pila contundito, & bene subactum super ictum imponito.

Ad laceratum à cane, aut ab aquila.

COmplicatus teneatur accipiter, locus laceratus vino & oleo inspiretur, illinatur puluisculo, cuius compositio hæc est, Roboris cortex, sarmenti tantundem: conterantur, misceantur sym-

phyto, thuri, aristolochiæ, resinæ, fimo columbæ agrestis: singulorum æquæ portiones, terantur, tenuissimo cribro incernantur, earúmque puluere affectus locus conspergatur.

Ad plagam accipitris.

CVcurbitam oleo inueteratam comburito, eius cinerem cum lotio humano misceto, vulneri imponito. Aut si huiusmodi cucurbitæ non est facultas, aliam aridam comburito, eius cinerem cum oleo commisceto, imponito vulneri.

Qua ex causa frangatur, aut luxetur accipiter, & quomodo curandus sit.

IN aucupio cum fortioribus animantibus, vt grue, ansere, lepore pugnans, interdum illorum vnguibus cæditur & frangitur, interdū alis percutitur, aliquando ad perticam alliditur: accidunt præterea aliæ multæ causæ offensionis, quas, propter multitudinem, prætereo. Si tibia fracta sit, calamus poliatur, eóque circunligetur pes accipitris, vt fieri solet hominum, qui tale quippiam patiuntur. Locum affectum glabrum facito, maximè si axillas, aut femur fregerit. Quòd si os axillæ excidit in exteriorem partem, insanabile est. deinde sumatur vlmi radix, ex multo vino coquatur, vsquedum succosa & pinguis effecta sit: ea sæpe die locus affectus foueatur, & quidem assiduè, donec ad sanitatem perducatur. Alij herbam

synch

ſynchlon appellatam ex aqua coquunt, eiusque decocto locum affectum per ſeptem dies fouent & ſanant. Sed per plures dies facere idem ne graueris, donec curaueris.

Ceratum ad fractum pedem.

NItrum, Alexandrinam myrrham probam, picem, thus minutiſſimè terantur, ouique albo liquore excepta imponantur, faſcia lanea ligentur: accipiter demittatur in caueam. Signum eſt eum bene habere, cùm inuenies auxilium laxum eſſe, tum vtere malagmate Phœnicæ, cuius compoſitio recipit ammoniaci thymiamatis bdellij, butyri, ſingulorum vnciam: ſtyracis, caſtorij, galbani, ſeui taurini, adipis anſerini, ſingulorum ſemunciam, olei veteris ſicyoni, ceræ, ſingulorum ſelibram, viſci quercini, terebinthi ſeſcunciam, omnia liquato & ſubigito, poſteà vtere. Aut cochleam montanam, myrrham, oui vitellum, leuigato atque imponito: pòſt dimitte accipitrem in cellam obſcuram, eique cubile ſubſterne molli fœno.

Alia compoſitio Phœnicæ.

QVàm minutiſſimè vbi contriueris ſpumæ argenti trepondo, chalcitidis triente, axungiæ veteris liquatæ duapōdo primùm exiguo oleo ſubiges chalcitidē: deinde cū ſpuma argēti miſcebis totū oleū infundes, axungiā liquatā in ipſum oleū inijcies in ahenū nitidū, lento igne coques, agitabis

rudicula: deinde ex igne detracta subiges, & cum vsus necessitas exiget, vtitor.

Aliud ceratum siue allinamentum.

Ammoniaci, thymiamatis, propolis, mastic æ, resinæ, gummi, baccarum iuniperi, singulorum æqualem mensuram: in pila contundito, deinde his contusis addito vernaculæ gallinæ stercus, & allinamentis excipito, ligato, vt solent medici. Est aliud quod habet marmoris, testæ, myrrhæ, vitri, fuliginis, liquidæ picis, masticæ, singulorum partem vnam: masticæ, piperis, resinæ, sarmenti, vitis nigræ, singulorum combustam & aridam partem vnam. Hæc omnia contundito, cribrato: addito gallinæ stercus, & acetum, quod satis sit ad illa excipiẽda, & , vt proximè diximus, ligato.

Malagma.

Myrrha probæ notæ, aloë, vnà misceantur & terantur: oui vitellus adijciatur ad ea excipienda, scitè imponantur & ligentur: idque tandiu sinatur, donec à loco affecto resoluatur.

Ad fractum pedem.

Myrrha & thus terantur, oui albo liquore excipiantur, lana alba alligentur ad pedem, dimittatur in caueam & restituetur.

Quæ fracta sanari posint, & quæ insanabilia sint.

Multæ fractæ partes sanantur. Inguem fractum insanabile est: similiter etiam armi.

Quæ

Quæ ad sanitatem peruenire possunt, ad ferulam aut calamum alliganda sunt. Accipiter accommodatè alligatus, in cellam molli fœno substratam, ne vexetur, dimittendus est. Carnes concisæ obijciendæ per duodecim dies: deinde ex cella educendus, & ferula ex fracto loco exoluenda: emplastrum, habens vim molliendi, imponendum, ad laxandos & molliendos neruos. Emplastri compositio recipit spumæ argenti, bituminis Iudaici, pinneæ resinæ arefactæ, ceræ albæ, singulorum libras duas. picis, thuris, aloë, myrrhæ, ammoniaci thymiamatis, bdelij, colophoniæ, chalcitidis, singulorum sesquilibram, adipis taurini, succi althexæ, lini seminis, singulorum selibram, oleum chamæmelinum, quantum satis sit. Quæ liquari possunt ex adipe taurino, liquentur. Spuma argenti & succi ex oleo coquantur, adijciantur liquidis, rursúsque simul tēperata omnia concoquantur: quibus ex igne remotis, conspergatur bitumen: & thus tritum rudicula agitetur, vsquedum refrixerint, & mollita sint, atque ita præparatis, cùm necessitas requiret, vtitor.

Ad luxatum pedem.

Volucrum genus alis quidem & pinnis natura ditauit, quibus aërem secare solet: sed nec minorem dedit ipsis vtilitatē & efficaciam, cùm eas pedibus ornauit, per quos venantur, hostes suos superant, cibum capessunt, quietem ca-

piunt. Sed naturæ dotes quid nunc necesse est numerem? Itaque, his omißis, de remedio luxatorum dicam. Cùm accipitri pes exciderit, aut digitus luxatus sit, ita curandus est, Recremento æris contundito, & diligenter ex aceto terito, locum affectum illinito. Facit idem paruarum cochlearum vnguentum.

Malagma.

QVod recipit castorei, rasilis æruginis, folij, spumæ argenti, singulorum semunciam, myrrhæ, ceræ, bituminis, singulorum sextantem. Castorium, spuma argenti, folium, cõterantur, & tenui cribro incernantur: quæ liquari possunt, liquentur & subigantur, hisque affectus locus illinatur, modò prius aqua calida foueatur.

De tumore seu spongia.

GIgnitur à tẽporis acerbitate, ab acerbis niuibus hic morbus. Remedium, Pedum tubercula liuentia stylo acutißimo corrigantur: deinde thus, spumam argenti, vitrum Alexandrinum, õui album liquorem, cochleæ saliuam limosam, terito, hísque pedem linito, deligato: neque soluito, donec sanitatem receperit, pòst vino calido foueto, & persanabitur.

Ad tumentem pedem.

CEræ trientem, adipis gallinacei sextantem, opobalsami sufficientes partes, misceto, cerotum facito, ídque pedi imponito.

Si

Si talus luxatus aut inflammatus sit.

Svmatur thus masculum, vitrum, marmor, æqua pondera singulorum, terantur & leuigentur: adijciatur fel hircinum & oui album imponantur in talum accipitris, & scitè ligentur.

Ad inflammationem.

Ricinorum, myrrhæ, acaciæ vt par modus teratur, pilis in puluerem redigatur, instilletur acetum, eóque, cùm strigmenti crassitudinem habebit, pes illinatur. Alij sumunt cochleas paruas, easque vnà cum testis tritas, linteo alligatas, pedi imponent. Sunt qui marmoris, testæ, gypsi, ammoniaci, propoleos, stercoris gallinæ, salis gangrici, resinæ paria pondera simul contrita & subacta imponant.

Ad vulneratos neruos.

Ex concertatione interdum lædit neruos accipiter, eiúsque pes læsus contrahitur. Ita affectus, tepenti oleo fouendus est, post fomentum laxans emplastrum imponendum, sæpius fomentum applicandum.

Ad formicationem.

Solent formicatione laborare accipitres. Eminet ex corpore callosum quiddam orbiculatum, latam sedem habens, cuius compunctio sentitur similis morsui formicæ. Ita curari conuenit, Caprifici radix recens contundenda, eiúsque succus in formicationem exprimendus, & sanitatem

tatem

tatem recipiet. Vel cedrinus cum acerrimo aceto misceatur & illinatur. Alij verrucariæ herbæ, & rutæ viridis singulos manipulos in pila contundunt, hísque affectum locum oblinunt.

Ad claues.

Testudinis sanguis cum acerrimo aceto mistus clauis illinatur.

Ad dolorem pedum.

Vt homo, ita accipiter pedibus laborare solet, destillatione quadam ex loco superiore in locum inferiorem delabente. Morbi causa proficiscitur ex noxijs humoribus. Hoc medicamento curandus est, quod habet acaciæ, stactæ binas sextulas, ammoniaci thymiamatis scrupulos duos, aloë Indicæ, bulbi scyllacei, glutinis fabrilis, thuris masculi, ellebori Cretensis, *singulorum scrupulum, olei acerrimi, quantū satis sit, ammoniacum & thus aceto diluantur, reliqua contundantur & illis adijciantur. Rursus terantur, in globulos conformentur, ad vsum seruentur, & tum aceto dissoluantur. Iam verò poros, qui in pedibus nascuntur, semper sanabimus, si eos aqua frigida fouerimus.*

Ad fluxionem, quæ decidit in pedes.

Picem liquidam, aridam lappam in ollam indito, & coquito, inspergito centaurium contusum, vbi subegeris, pedes accipitris linito.

Ad

Ad vngues remedium.

SAepe euenit vt accipiter pugnans cum auibus, vnguem aliquem amittat, & maximè cum vngues, quod defixit in hostilem auem, vehementi vi, a pugna recedere conatur, non remittit ipse, ita euictus consumitur potius, & vnguem amittit, viribus non valens illum extrahere, hoc modo curabis, Excisum vnguem oblines ferri recremento quàm minutissimè contrito, cuius pulverem venator semper habeat, oportet. Excisus vnguis inducendus, commodè ligandus pulchrè conglutinabitur, nec ita multò post vi pharmaci per septem dies ligatus diligenter habēdus. Quòd si inflammatio oriatur ex dolore, terito testam aritinam nuncupatam, vngito excisum vnguem, commodius feceris, si etiam totum pedem vnxeris, & ita excisum vnguem reduces.

Aliud remedium.

SI accipiter extra radicem fregerit vngues, aut luxauerit, præsertim maiores, tum in cellam includes, cibúmque copiosum ei obijcies, vnguémque recenti axungia suilla aut agnina vnges. Si vnguis exutus sit, is illinendus est spuma argenti, & myrrha simul contritis.

Ad flectendum rectum vnguem.

ACcipitris facilè flectes vngues, si malagma veterinarium imposueris, fomento prius vsus. Malagmatis veterinarij compositio continet

net pinguium ficorum, vuarum sine acinis, nitri assi, seminis cardamomi, seui taurini, seui suilli, adipis anserini, singulorum vnciam, ammoniaci thymiamatis, picis, propoleos, galbani, ceræ, opopanacis, visci quercini, singulorum quadrantem, arida contundes & cribrabis, quæ liquari possunt, aridis consperges, & simul omnia subiges, hisque, cùm opus erit, vtere.

Quomodo accipiter emittendus in perdices: qui cibus, & quomodo dandus, & quomodo in manu pascendus, & vt venaticus canis simul cum accipitre educandus sit, vt consuetudine inter se cognoscant vt perdices insidiis exponendi & captandi sint: vt ex malis accipitribus, boni fiant: vt in phasianos & anates accipiter sit emittendus.

POstquam accipiter assuetus est obedire aucupis voci, vocémq; eius exactè cognoscit, & solo edito sibilo, statim ad manum aduolat, cibúmque mõstratum capeßit, & iam aptus est ad aucupium: pridie quàm exeatur ad venationẽ, danda opera est, vt recẽti carne caprina, aut ouilla, aut suilla, mũda & minimè neruosa, neq; pingui pascatur: sed ita vt ne ad plenã satietatem, sed duntaxat ad dimidiã pascatur. Si huiusmodi carnis recẽtis facultas nõ sit, cibus ei parandus ex frigida carne: sed hæc ita accõmodanda, vt recens esse videatur. Cùm tempus frigidũ est, caro, quã daturus es à sordibus purganda, & in aquã tepidem imponenda

nenda, vsq; dum illa tepescat, deinde extrahatur & accipitri obijciatur. Si aqua tepens nõ inueniatur, igni calefacienda est digitis ipsa subigenda, & tandiu versanda, dum incalefacta sit & exiccata, & ita cibatui eius obijciatur: pòst si facultas non sit neque tepentis aquæ, neque ignis, mundo linteo aut panno cibus tegendus & tuis axillis imponendus: sed cauendum ne escæ tegmentum carnem tuam attingat, sed vestis interposita sit, ne humanum odorem recipiens, perdat suam vim & animantem lædat: ita incalefacta edenda præbeatur. Cùm hoc modo ipsum paueris, in loco solito collocandus, vbi maneat vsque ad horam nonam, aut decimam: tum sinistra manu capiendus, sursum deorsúmque circunferendus, leni manuum contrectatione, & verborum blanditijs demulcendus, consueta in sede à vespere ad diluculum matutinum reponendus: vbi surrexeris, rursus manu gestandus, atque admouendus luci, siue ea sit ex candela, siue ex lucerna, siue ex face, modò ne ad ipsum fumus aspiret, idémque suaui manuum contrectatione palpandus, vt ex consuetudine ad te mansuescat, & te diligat. Mansuetus enim redditur, manu gestatus, & blanditijs attrectatus. Vtile etiam est, vt ipsi canis venaticus adsit, siue cùm pascitur, siue cùm huc illuc gestatur, vt vterque ad alterum assuescat, vt tempore opportuno canem suum adiutorem

videat

videat, neque illum, vt hostem, refugiat. Vbi illucere cœperit, ad aucupium exeatur, capiatur locus non omnino planus, sed riuum quendam habeat, & perfugia non continua, sed sufficienti interuallo inter se distantia, neque ascensus, & rursus descensus habeat, qui alteris riuis æquantur. Nam ea auxilium & effugium præstant auibus, quas accipiter insequitur. Accipitri aucupanti sursum versus ad colles volatus continuatus ad inferiora loca, molestiæ laborem auget, & metum affert, ipsumque segnem reddit ad persequendam prædam, venatorémque inanem declarat. Locus capiendus, vbi auceps in terra sedeat, ne videatur à perdicibus: illorum attendendus cantus. Solent manè canere contenta voce, quam sequatur oportet, & quoad fieri poterit, propè accedat canens suauiter ea, ea, ea. Hæc enim vox perdices persuadere potest, vt & capita demittant & quiescant, & multò magis, si suauiter canentem videant. Ille verò suauiter canens auceps, cùm proximè ad ipsos accesserit, assiduus his vocibus suauiter vtatur ea, ea, ea: détque operam, vt cubile perdicum prætereat, ne negotium inueniendi perdices præbeat venatoribus. Itaque cùm is, qui perdicum cubilia scrutatur, iussa fecit, & auceps simul cum altero, venaticos canes ligatos tenet, & intellexit vt perdices non se commouent, tum circunspiciat vtrinque locum aptum

ad

ad tegendum subsidium, illicque venandi auxiliatores collocet & iubeat sensim aucupem incedere, & vti diligenter vocibus consuetis, & sibilis, & virgis venatricibus pulsare obuios ramos terram, herbas, & si quid aliud inuẽtum sit obuium, & quò virga non attingit, iacere lapides, aut cespites, vt assiduo strepitu perdices moueantur. Tu verò qui fers accipitrem, procul in loco eminenti stans, expecta, vt perdices excitentur, atque vbi audieris venantium hanc vocem, speculare tum, si accipiter ad perdicũ volatum properare cupiat, ne ipsum soluas, sed paulùm auersus, tanquam si perdices non videres illum sustineto, donec perdices ante accipitrem prætereant, quos cum ipsi bene demonstraueris, extensa manu ipsum scitè emittito, adulans exhortans, vt forti animo sit, & tantum voce contendens, quãtum accipiter distat, & simul insequi festina: ita fiet, vt accipitri audacia addatur, & studium ad insequendum, vt auribus percipiens vocem consuetam & cognitam, confirmetur, vt non horreat aquilarum impetum. Quòd si perdices non prospexerit, & tamen ad vocem venatorum emissus fuerit à venatione aberrans, affligetur & segnis reddetur in reliquum tempus. & hæc quidem de ratione emittendi accipitris. Iam verò vbi accipiter prædam ceperit, suspenso pede cum blanditijs ad ipsum accede, vtere voce consueta oi, oi, oi, & suauiter palpans altera

manu captum teneto, altera caudam manus permulsione adæquato, & finito ipsum ex aucupio satiari, quem post cibum leniter, consueta in sede collocatum, ne neglexeris: sed per diem & noctem quinquies ipsum agitabis & carnes capere sines. Hoc enim pacto cibum concoques in ingluuie & sanus erit: Sin ipsum neglexeris, & non ipsum quinquies motitaueris, vt dictū est, cibus relictus in ingluuie, acescet, & non multò post lædet animantem, & quòd cibum non cōcoxerit, & quòd non concocta, fœtida facta acerbè fert accipiter. Si igitur crudus sit, sumito ipsum benè manè, gestato manu, circunferto vsque ad secundam horam. Animaduerte vbi excrementum reddidit: deinde ipsum ad cibum inuitato: sed tantùm gustare finito. Postero die ad aucupandum cum ipso proficiscere, faciens quæ tibi demonstraui. Venatoribus autem rursus inuestigantibus, si perdices excitentur, oportet te ex longinquo interuallo post perdicem emittere accipitrem: ita enim emissus non disperget perdices, sed congregatos in vnum locum obsidebit: tu verò eos vrgebis, & instabis clamore & sibilis, ac lapidibus cùm vsus patietur. Vrgente igitur necessitate continget vnum, aut aliquot horum euolare ex perfugio. Itaque ex his satis aucupij accipitri suppetere, & vlterius procedere non oportet. Sed perdicis ab accipitre captæ gulam & caput dissecare conuenit, tum si-

nes

nes accipitrem vnguibus & ore fortiter perdicem carpere: neque ipsum caput, vbi accipiter inuaserit, nimium obtende, quò fortius prædam impetere p ssit. incumbit enim fortiter in perdicem vnguibus, ipsúmque non facilè dimittit: tu verò dextram laxato, sed vsque eò duntaxat, ne caput comedat perdicis, nisi ipsum solus corripiat vnguibus. Interea dum ille in capite laniando occupatur, perdicem clanculum furator, eundémque in peram abdito. Sed danda opera, vt cùm capitis carnem & cerebrum comederit, scitè ex illius vnguibus ossa detrahantur, ac postea aggredere secundam venationem, quæ laboriosior erit, si volantes perdices aucupere, quàm si insectatione pressi perdices, latibulum subeant: tum enim accipiter superuolat, aut prope sedèt, tum te oportet venaticum canem appellare, & solitis blanditijs exhortari: quem si intellexeris festinare frequenter & ingemiscere, & caudam mouere, scito illic esse quæsitam prædam. Itaque vide quando perdix excitabitur, & simul vt excitatus erit, vociferator, ouli la lei laptry. Hæ enim voces accipitrem promptum & fortem faciunt. Quod si locus, vbi accipiter sedet, non est aptus, reuocabis accipitrem, & recipies sinistra manu: tum eum, qui canem pedissequum habet, oportet peruestigare: & cùm videbis ex horum signis perdicum excitationem, vociferare, vocem illam

R 2

attende. Accipiter autem audiens hanc frequentem vocem, volatum attendit perdicis, & promptus est ad ipsum insectandum. Quòd si accipiter prospexerit prædam, & ad ipsam quidem insequendam promptus fuerit, sed gestatorem suum non inuenerit vigilantem: Et si semel, aut bis volare vetetur immemor & segnior in reliquas venationes efficitur. Quòd si diligenter emittitur, perdicem capit vnum, aut alterum, aut plures facilè, ac vbi labor multus non est, vsque ad sextum aut octauum perdicem mitti potest. Quòd si difficultas aliqua inciderit, duos aut tres capiet tribus emissionibus, & id quidē multo cum labore. Præterea omnino emittendus non est. nam & molestia afficitur & valde esurit: & si prompto quidē animo è manu abierit, non tamē venabitur: sed, vt timidus miles, arbori cuipiā insidebit, seipsum occultans, neque in manum, ad cibum vocatus, venire volet, captus obliuione & venatoris & venationis. Si hoc vsu venerit, vel propter difficultatem loci, vel propter longum spatium, vel quia accipiter non esuriat, subire oportet locum vbi delitescunt perdices, & venaticum canem appellato, vt mos est: & si tibi est perdix occultus, aut viuus, aut mortuus, obijce eum accipitri. Si huius nō sit facultas, gallinæ pullum, vel columbam latēter obijcito accipitri, & vociferare solitam vocem illā ou la la la la. Accipitrē reuersum bene pasce,

noli

noli festinare, ne alio tempore inanis redeas à venatione, & eò magis, quod si sæpe hoc accipitri acciderit, omnino obliuiscetur venationis: itaq; quantum festinas, tantum tu & accipiter operæ perdis: nam sic inutilis efficitur, nisi rursus illum ratione correxeris. Nonnulli aucupij imperiti dicũt, Accipitri animum promptum restitutum iri, si cibo abstineat. Habet hoc fortasse rationem: sed cùm pinguis est accipiter, & non aptus ad venandum, aut qui idoneus est ad venandum, & qui nõ refugit à venando, sed iam reformidat ingredi in latibulum, quo minus capiat illinc perdicem quem insequitur, cùm proijcies satis longo spatio alterum perdicem, vt videatur is esse, quem insectatur: accipies autem hunc, tanquam iam venatus sit, & vlterius esse iubebis: deinde venantem canem in locum, quo perdices abditi sunt, immittito, ipsúmque indicare prædã iubeto, vocibúsque celeribus vtitor, & quibus ad exactam inuestigationem canes excitantur, quòd perdix, propter metum, in virgultum & dumetum fugerit, prius fasianos aucupentur accipitres, deinde perdices, vt ex his gustantes accipitres finem habeant laboris. Vociferationibus vtendum est in peruestigandis fasianis, strepitus & sibili non parui fiant. Nam voces audiens fasianus exiles, & quietas, suis pedibus elabitur & non capitur, nisi canis ipsum comprehendat: at strepitus & sibili editi circum

virgul^a, vbi delitescit, metum illi adferunt, vt euolet ex latibulo. Itaque si propè cum accipitre auceps sit, non multo labore vtetur: emittet verò accipitrem vnà cum volatu fasiani, vt vel ipsum quàm mox capiat vel non procul effugiat. Sit tibi proposita specula ad accipitrem adiuuādum. nam oportet ipsum emitti ex editioribus locis. Magnū enim momentum adfert ad aucupandum ex altis locis speculatio. Hæc enim accipitris generosi ostendet probitatem, & minus generosum non parum fortem declarabit. Dicam etiam vt aucupandæ sint anates, cùm cognosces accipitrem debiliorem factum, & non amplius satis virium habere ad insequendos perdices, tum demum ipsum exerce ad anates in hunc modum. Feres ipsum in sinistra, vt mos est, appendes ad femur dextrū æreum cymbalum quod percuties cùm erit opus: sumes anatem cicurem, quæ similiter clangit vt feræ anates, pones illam in loco decliui, feres prope accipitrem, & signo dato ex percusso cymbalo, porrigatur in altum anas ab eo, qui ipsam tenet: tu verò accipitrem emittes, & facilè ipsam capiet, eáque satiabitur. Eadem ratio seruanda in anatibus feris, quæ cùm desident in locis depreßis & nemorosis, demittendus accipiter est ad terram vsq; ne videatur ab anatibus, sensímque propè accedendum, denique repentino strepitu edito ex cymbalo, & solita voce, danda opera, vt anates excitentur

tentur: earum vna capta ab accipitre degustanda est, vt in reliquas efficiatur aptior. Est etiam alia aucupandarum anatum ratio, cùm non in lacu sedent, sed in aquatili loco non procul sedentes accipiter viderit, statim cupit ipsas insectari: is, qui eum tenet, vlterius procedat, ne accipitrem anates videant & vertantur in fugam: & cùm ipsis, quoad fieri poterit, appropinquauerit, accipitrem ipsis demonstret, strepitúque cymbali ipsas excitet, in eásque accipitrem immittat: accipiter proficiscens in anates, erit sine tintinabulo.



DEMETRII CONstantinopolitani, de cura & medicina accipitrum,

LIBER SECVNDVS,

PETRO GILLIO INTERPRETE.

Ad difficultatem ſpirandi.



OLII, coſti, myrrhæ maſculæ, ſpicæ Indicæ, cepheos, theriacæ, caryophilli, ſandarachæ, pirethri, olei, galbani, maſtichæ, ſingulorum vncia: vino veteri madeſcat: poſt contuſa, detur accipitri, & ſanabitur. Aut ſi illorum non ſit facultas, lentis tritæ drachmam, mellis libram, olei Hiſpanici ligulas quinque, vini veteris, quod ſatis ſit, apij radicem, Corianum inſtar ligularum quinque, praſſi radicis ſiliquas binas, baccarũ lauri ſiliquas quinque: vnà contundito, ac quotidie offas quinque præbeto ex carnibus.

Ad difficultatem ſpirandi optimũ remedium.

CVm accipiter ab ipſo pectore ſtertit, & ſonum elidit: ita ipſum curabis, Polytrichum, quæ

quæ nascitur ad fontes, aut aquæductus, elotam fumito instar binarum siliquarum, & lactis asinini, medullæ ceruinæ, singulorum ligulas treis, butyri ligulam: vini veteris & boni ligulas treis, olei Hispanici ligulas duas, oui liquoris albi, quantum satis sit: vna misceto omnia & conterito cum carne caprina inferuefacta: prius tamen quàm medicamentum hoc dederis, accipitrem in balneum gestato, cum eius pectus strepit.

Ad difficultatem spirandi & spongiam.

C*Vm videbis accipitrem non sine vi reddentem excrementa, scito illum vel spongiam habere, vel difficultatem spirandi, hoc sanabis remedio, quod continet galbani, spicæ albæ Africæ, coriandri radicis, singulos obolos, pediculariæ, æruginis rasæ, cypheos, sideritis singulorum siliquas binas. Hæc omnia simul misceantur: ex his quinque offæ dentur accipitri.*

Ad difficultatem spirandi remedium.

Q*Vod recipit spicæ Arcadicæ, cocci, costi, spicæ Indicæ, argalici viridis, croci, cypheos singulorũ vnciam. Hæc omnia inspergãtur & macerentur vino veteri: aut, si hæc omnia non habes, idem facies, si lentem & rutam in puluerem redegeris, & miscueris cum oleo Hispanico, ipsique dederis comedenda.*

Aliud remedium.

M*Astichæ, absinthij, euphorbij, mellis, lasc-*

ris,singulorum vncia, betonicæ semuncia, olei rosacei libra, cumini vnciæ binæ. omnia misceantur contundãturq; hisq; caro conspersa detur accipitri.

Ad omne genus difficultatis spirandi.

R*Adicis argalicæ, butyri, singulas vncias, aloë exiguum, cõtundito, læuigato, præbeto primo die tres offas, secundo die quinque, tertio septem: quarto cibus detur suilla caro, ne exeat ex cauea, sed illic clausus teneatur sexdecim dies; ita, vt cùm illinc exibit, ne sit pinguis.*

Aliud remedium, quod Gregorius composuit.

Q*Vod continet euphorbij, piperis, thuris masculi, costi, spicæ Indicæ, croci, caryophylli, nardi spicatæ, radicis iunci, aloë in formam iecoris concretæ, pedicularie, betonicæ, singulorum vnciam, medullæ ceruinæ, butyri pontici, balsami, mellis, cumini, olei Hispanici singulorũ selibram.*

Aliud.

S*Vccus pomi Cydonij, aut citrij cũ melle veteri, mistus præbeatur accipitri ex suilla carne lixa.*

Ad difficultatem spirandi pituitosam.

D*Ifficultatem spirãdi, quæ proficiscitur ex pituita, cognosces accipitrẽ laborare, cùm oscitatur & vomit: ita curabis, Liquidam picem mundam in treis globulos redactam ex melle dabis deuorandam, ad solẽmque ipsum ligatũ habeto, vsque dum mel euomuerit, deinde manu gestabis*

bis

bis, columbino pullo elixo, aut mure pontico pasces, idque per triduum facies.

Aliud.

Cynoxestam ex oleo, aut vino bono cõtundito, præbeto ex ipso quotidie globulos quinque in mediam carnem abditos. Hoc facito per triduum: interea columbina carne ipsum alito & sanabitur. aut ipsi dabis offas treis primo die: secundo quinque, tertio septẽ: & per hoc triduum subrumi catuli cæci carnes elixas dabis, aut tragacanthæ vnciam: spicæ Indicæ semunciam, aut cinamomi vnciam, amonij semunciam: mellis despumati quantum satis sit: vnà commisceb is & subiges, ex carne dabis per triduum.

Ad difficultatem spirandi ex capite manantem.

Si difficultas spirandi ex capite proficiscitur ita cognosces. Accipitris oculi tument, ex pectore respirat. Hoc remedio curabis, quod continet semen caprifici, mellis paulum, vinum vetus, misceantur, simul contundantur, naribus infundantur per triduum: deinde dabis edendum catulum subrumum.

Aliud.

Lac asinæ, oleũ rosaceũ, modò sit plus lactis quàm olei rosacei, in ahenũ nouũ indito, cale facito, ac ex his tepentibus confectas offas treis, quotidie dabis per triduũ & ad sanitatẽ perduces.

Ad

Ad difficultatem ſpirandi manantem ex interioribus partibus.

CVm videbis accipitrem frequenter reſpirare óſque hiſcere, ita curabis, Arſenici ſciſſilis ſcrupulos duos, aloës in formam iocinoris concretæ, myrrhæ, ſandarachæ, pulueris abſynthij æquales ſcrupulos: calcis viuæ drachmas treis, conterito calcem viuam, in cacabum nouum reſtinguendam traditus, ex hisque commiſtis & contuſis globulos ſeptem facito, quorum ſinguli ſint pondere vnius ſiliquæ, quotidie dabis accipitri treis pilulas per triduum, ac poſt treis horas, quàm pilulas dederis, vſque illum geſtabis, donec ipſas pilulas reiecerit. Potes item aliud facere ex puluere ceramarino, qui recipit, ſex dactylos, priuſquàm voces accipitrem, ipſum tegito, ipſúmque puluerem conſperſum veteri vino eius faucibus inſeres, túmque carnibus ſuillis, vino veteri dilutis, eum nutries. Sunt qui cuminum montanum & argalicum miſceant cum vino, & dent ex cibo quotidie globulos treis per triduum, & ita excrementa reddat, & perſanetur.

Ad eum qui ex pectore ſtrepit.

THuris maſculi, ſulphuris parem modum, cũ mellis & vini æquali menſura, miſceto & conterito, cum ſuilla carne, dato accipitri comedere & ſanabitur.

Ad vulnera tineolarum.

Cùm

CVm videbis accipitris ventrem & collum glabrescere, scito illum tineotas habere, ipsi dabis butyri ligulá, medullæ ceruinæ siliquas treis, myrrhæ siliquam, mel quantum satis sit: Hæc miscebis, subiges, dabis quotidie globulos septem ex hircina carne, dabis per quinque dies: ad vltimum globulum dabis fel cum lacryma ceruina & bitumine Iudaico, quantum capit tui gladij mucro, idque in carnem suillam elixam inseres, aut ex synopide treis globulos dabis, aut fel bouis, & fel cerui, & bitumen Iudaicum, mista cum carne, edenda præbebis accipitri.

Ad choleram.

SI cholera infestetur, signa hæc sunt, Liquorē viridem euomit. ita purgabis, Betonicæ sextulam, apianæ radicis siliquam, mellis ligulam, atramenti sepiæ ligulam, vini probi quantum satis sit: vnà contundes, & cùm videbis ipsum bilem euomentem, tum hac cōpositione sparsas offas septem primo die dabis, secundo quinque, tertio treis.

Ad exiccandam pituitam.

COccum gnidium purgatum contundito & subigito, vsque dum in butyri lentorem redactum sit, ex quo globulos quinque cōficies, quos melle sparsos dabis ex carne qualibet: quos vbi accipiter sumpserit, ad solem exponatur, statimque reddet omnem bilem & pituitam: deinde septem pilulas cocci gnidij, & granum piperis simul contundes

tundes, & in offas conformabis ac accipitri dabis.

Ad ſtertentem & recinentem ex pectore.

SI accipiter ex pectore infeſtetur, vt voces eliſas mittat, ita cognoſces, Videbis caput aggrauatum, oculos cōniuentes. hoc remediū adhibebis, quod continet ceruinæ medullæ magnitudinē auellanæ, ſandaracæ ſiliquam, baccas lauri binas, olei Hiſpanici ligulas duas, mellis boni ligulā, oui vitellum, vini veteris ligulam: Simul miſcebis in poculum, ex quo bibere ſolet, tum per quinque dies in carnes, quas edit accipiter, inſeres.

Aliud.

SEmen raphani, piper cum abſynthio trita in eius cibum indito. Vel garum & mel miſta, & in ſubrumi catuli carnes inſita ipſi dabis. Quod ſi cibū attingere nolit, etiā inuito ei dabis, donec recipiat ſanitatē. Cùm carnes accipiter cū labore euomit, ſcito illū ex pectore laborare: Hoc remedio curabis, quod recipit vitellū oui, olei Hiſpanici, quātum ſatis ſit, vini veteris tantidem. Hæc omnia terito, ex carne præbeto accipitri comedēda offásq; hoc medicamēto cōſperſas ipsū capere nolē tē cogito: inſuper ferri ramentū in carnes inſerito.

Aliud remedium.

MEdullam cum carne pulli gallinacei dabis edendam, aut axungiam ſuillam inferuefactam: ipſum in menſa vel in grabato collocabis, vbi ſit ſilentium & quies.

Aliud

Aliud.

EVphorbij, costi, spicæ indicæ, sideritis, croci, ricini, masticæ, pyrethri, laseris, myrrhæ, argolici, thuris masculi, piperis, vuæ taminiæ granorum septem, sandaracæ, butyri, oui liquoris albi, gari & mellis, vini boni, olei rosacei, ferri ramenti paria pondera: misceantur, terantur diligenter: fiant offæ ex carne suilla, in quam mediam abdes medicamentum, atque ita tectum, dabis accipitri deuorandum.

Aliud remedium.

CVm accipiter pectore infestatur, comprehendito hircum, eius auriculam scindito, sanguinémque defluentem excipito, eúmque infer uefactum, in accipitris fauces infundito. Vel erucam, terræ puluerem, mel simul contrita, cum cibo mista accipitri obijcito. Vel radicem synapis & rapæ, æquali pondere mista, & trita ex cibo: aut cum lacte, aut cum oleo Hispanico mista dabis. Vel nasturtium mistum cum melle & vino & carne suilla, accipitri dabis comedenda.

Ad spongiam.

SI accipiter spongiã habeat, ita cognosces, Cum videbis, præter consuetudinem, illum bibere, & crebra febre affligi, multum sessitare, non discedere ex manu, neque ex pertica, ita ipsum ad sanitatem perduces, Ferri ramentum, quantum gladij cuspis capit, tantum in offam conijcies: deinde

setas

ſetas ſuillas quinque digitis conciſas defiges in carnem,ſubiges cum ramento ferri,& ita ſeptem offas dabis ex carne qualibet,idque facies per triduum. Cùm videbis accipitris ſtercus croceo colore,ſcito ſpongiam eius ſciſſam eſſe, quam ita curabis. Dabis ipſi ricini puluerem, oſſa palmarum combures,in puluerem rediges, mel quantum ſatis ſit: hæc omnia miſcebis, & dabis accipitri ex carne pulli columbini, aut gallinacei quotidie offas quinque,in quarum ſingulas prædictum puluerem immiſcebis, quantum tui gladij capit cuſpis id facies per quinque dies & ſanabitur.

Ad clauos.

CVm accipiter ſtirpe, aut ſurculis confixus eſt,ita cognoſces, In pedibus papulæ acutæ eminent. Remedio ſunt myrrhæ vncia maſtichæ, pyrethri, ſcãmoniæ nuncupatæ, galaſtidis, ſingulorum ſemuncia: ſeminis anethi ſiliquæ tres, baccarum lauri ſiliquæ quinque, vnà contundantur, cribrentur, addantur reſinæ albæ libra: olei roſacei ſelibra,ſuillæ axungiæ vnciæ tres,ceræ citrinæ ſemuncia: ſimul hæc miſceantur, iniiciantur in ahenũ nouum, ſuccenſis ignibus ferueant, vſque dum medicamenta diſſoluta ſint: deinde ab igne remoueantur,vt remaneant tepida, & ita purgabis accipitrẽ,cum ſtacte ex ſarmentis facta, quam calefacies,quantum manus tua calidam patietur, ipſam hauſtam ſuper clauos impones, vt ipſius pedes

pedes calefiant. Carnibus elixis ipsum nutries, donec expurgatus sit.

Ad febrem.

F*Ebricula laborare accipiter deprehenditur, cùm pustulas habet in ore similes siligini: ita ipsum sanum facies, Mellis ligulam, crocum, quantum duo digiti capiunt, vini antiqui, olei rosacei, singulorum cochleare vnum, miscebis, & accipitri dabis ex hircina carne, in quam inseres hanc compositionem, pustulas tamen prius acicula compunges. Sunt, qui os accipitris per triduum confricent digito, & ita sanum faciãt. Vel betonicam tunsam & melli mistam accipitri dent. Betonica quadraginta morbos curat. Alij florem mali cotonei cum melle mistum ex carne feruefacta dent accipitri. Nonnulli euphorbij, costi, singulorum siliquas duas, Caryophylli grana quinque, croci semunciam, scoriæ ferri siliquam, olei rosacei, vini boni, mellis singulorum ligulas binas, piperis grana septem, vnà contundunt & miscent: his ex carne qualibet datis alunt accipitrem quinque dies. Vel rosam cum oleo Hispanico, & melle, & vino bono commistam contundunt, ex eóque pascunt accipitrem.*

Remedium.

C*Vm videbis accipitrem carnes minutatim dilaniantẽ et oscitantẽ, passeres domesticos viuentes, scissos, melle conspersos edendos dabis.*

Ad vlcus.

SI accipiter habet vlcus, ita ipſum curabis, Vini ſextario & aqua potabili calefactis, fouebis accipitrem, atque hoc emplaſtrū adhibeas, quod recipit maſtichæ, aluminis ſciſsilis, reſinæ albæ, ſingulorum vnciam, mel quod ſatis ſit ad illa excipienda, vnà miſceto, ex hiſque emplaſtrū facito, vlcera tandiu inunges, donec expurgata ſint. Carnes edat quaslibet feruefactas, duntaxat à bubulo abſtineat, ramentum ferri excidens ex incude terito, cribrato, & ex carne ſuilla dato accipitri.

Ad tumorem nuncupatum cœlem.

TVmore nuncupato cœle laborantem accipitrem, ita curabis, Herbæ appellatæ gallatæ, Corianni radicis ſingularum ſiliquas treis, piperis grana ſeptem, radicum apij, & praſsi ſingulorum ſiliquam, oleum roſaceum, & mel bonum pari menſura: dabis accipitri, & ad ſanitatem perueniet.

Remedium accipitris lentè comedentis.

SI accipitrem videas lentè edentem, & cibum in faucibus reſtitantem, ſcito ipſum afflictum eſſe ex labore laterum: ita ipſum ſanabis, Seminis apij, croci, naſturtij, euphorbij, ſingulorum ſiliquam, coſti, medullæ ceruinæ, vini boni corianni, cumini ſiliquas binas, vnà conterito, ex eóque medicamentum facito, accipitríque præbeto ex carne qualibet.

Ad

Ad tineas seu lumbricos.

Accipitrem tineis vexari cognosces ex eo, quòd caudam frequenter motitet. Liquidam picem mundam, oleum Hispanicum, mel miscebis vnà per triduum: dabis accipitri ex carne: quod si amplius feceris magis adiuuabis. Alij rutam ex oleo Hispanico coquunt, eóque accipitris cibum conspergunt & curant: vel coriannũ cum oleo contundunt, eóque carnem sparsam dant accipitri. Aut escam accipitris respergit, Vel alliũ, pulegium, erucam vnà contundunt, hisque ipsas tineas combustas ex carne suilla per triduum dant accipitri, aut ceruinam medullam simul cum carne inferuefacta tribus diebus dant, & sanitatem restituunt.

Ad faucium pustulas crebris tumoribus exasperatas.

Nucis oleo veteri & butyro simul mistis, accipitris palatum fricabis, aut ijsdẽ illius cibum conperges: aut betæ radice, & sinapi contundes & subiges & ijs nares & palatum illines: itaque omnem capitis dolorem discuties.

Ad suppressum aluum.

Crebrò anulum perticæ admouet, excrementa reddit nigra: hoc remedio curabis, quod cõtinet aloæ in modũ iecinoris cõcretæ sextulã. tea ·his asianæ siliquã, mel quãtũ satis sit, hæc misceto

dato accipitri ex carne bubula quotidie septē offas, in quas tantum ex medicamento hoc insperges, quãtum capit cuspis gladij. Cùm vociferatur, interea dum excrementa reddit, ipsius autem oculi lacrymantur, ita illum curabis. Per triduu pullos gallinaceos inferuefactos ipsi dabis, & alium deijciet: vel mures ponticos viuos cum pilis ipsi dabis: vel melle despumato conspersam carnem, vel muscatam in aqua mulsa conteres, carnique insperges, vel aloem in modum iecinoris concretam dabis. Sunt qui cerui medullam, butyrum, oleum nouum, betæ radicem coquant, eorúmque decocto addãt agalissum, hyoscyamum, polythricum, oleum rosaceum, eáque in offas redacta dant accipitri. Vel radices sinapis & Caryophylli cum ouillo lacte, aut oleo hyspanico, mistas & tunsas ex carne suilla dent, aut succum Cynoscheti: pollinem piperis, apij semen: melle conspersa ex carne suilla præbeant.

Ad calculos & difficultatem vrinandi.

Accipitrem calculis, & difficultate vrinandi torqueri ita cognosces, non excrementa reddit, nisi exigua & cum gemitu, & ipsum quod reddit, durum est sicut lapis. Raphanum radito, & conspergito sale, in ahenum nouum inijci to lento igne dissolui finito eius decocto suillam carnem conspergito, post in peluim aquæ plenam ipsum indito, illicque totum diem maneat, facito.

Et

Et quoniam febri tenetur, quantum bibere velit, finito: quo enim plus bibit, eo magis sanabitur. Vel lentem conterito cum oleo rosaceo, & melle misceto, hisque carnem aspersam dato accipitri. Vel olerum radices, & sinapis folia contundito cum resina terebintina, in aquam misceto, & vbi triueris cum decocto raphani, vt dictum est, eo carnē conspersam dato accipitri: Vel herbam cysteriam cum oui albo liquore, & melle & exiguo sale commistam illius faucibus infundes. Vel treis allij partes coquito cum semine herbæ nuncupatæ mesicalæ, terito, calefacito, dato accipitri, vel carnem bubulam melle sparsam ipsi dabis.

Ad albugines ictúsque oculorum.

SI accipiter in oculo albuginem habeat, frequenti aqua frigida oculum foueto: deinde allium Cappadocum: fabam cum sale subigito, hisque oculum linito. Hoc ieiunus facito, donec expurgatus sit. Vel salem Cappadocum, & ossa sepiæ subigito: illinito oculum. Curatur etiam hoc modo, Ebulum contundito, eiúsque succum pinna in oculum instillato, per triduum & persanabitur. Alij ex corylo corticem detrahunt, purgant, in vino contundunt, in oculum exprimunt per triduum & sanant. Sunt qui lac muliebre in oculum instillant, & purgant. Alij scorpios in fictilem testam nouam coniectos vsque torrefaciunt, dum redacti sint in puluerem, quem in oculum iniiciunt & ex-

purgant. Hoc faciunt, si est albugo: sin oculus ictus sit, crebram aquam frigidam instillant & betonicæ contusæ succum in oculum exprimunt & curant. Alij salem Cappadocum & Ponticum conterunt, oculo inspirant: vel sale communi, in puluerem redacto, illinunt. Quidam aizoon, quam vocant amaranthon, tritum inspergunt.

Ad catarractas oculorum.

Accipitri catarractam habēti medebere hoc remedio, quod habet mel non infectum fumo, fel vulturis, terantur, pinna illinantur oculi, & sani fient. Quòd si oculorum dolor à capite proficiscitur, cognosces. Oculi conniuent, nares liquore redundant. Hoc medicamento sanabis, Galbani puluerem & lac asinæ mista cum cibo dabis: vinum vetus, laser, contusum miscebis, hisque nares fricabis & oculos ex vino, & oui albo liquore commistis inunges: sed quoad sanum sit, tandiu ne ipsum foras perferas.

Ad morbum accipitris.

SI morbo tenetur accipiter, cognosces, Lentè erigit se, tristi aspectu est, afflictus sedet. Hunc hoc remedio sanabis, Semen raphani, absynthium Ponticum conteres: eorum puluerem pinna accipitris naribus infundes & sanabis. Vel betæ radicem agrestem, aut hortensem purgatam ex aceto contundes, succum, linteo expressum, naribus inijcies.

Ad

Ad dolorem capitis.

Radicis agrestis, malua matura, contundantur, in acetum acerrimum adijciantur: alternis diebus in nares & palatum inijciantur, & nunquam ex capite laborabit. Vel rutam syluestrem cum oleo Hispanico in sartagine coquito: donec rubescat: tum ex igne remoueto, & cùm refrixerit, in vitreum poculum indito, eóque carnem illitam, dabis accipitri edendam.

Ad fluxionem capitis.

Accipitrem fluxionibus laborātem, ita curabis, Aloën in iecinoris modum concretam, non multum contundes, in carnem abdes, atque ita per septem dies ales, & ad sanitatem perduces. Vel balsamū, picem, cedriū, semina erucæ & rutæ, acetū simul cōteres, hisq; caput accipitris oblines.

Ad occultum morbum.

Accipitris interiora ægrotare ex nimio frigore cognosces, cùm excremēta reddit crocea aut cruēta, alas autē habet remissas & laxas, capitis horrentes plumas: ita curabis: Suillam carnem butyro oblitam accipitri dabis, caprinam carnem salsam & panē bene coctum, infriatū in lac addes, accipitriq; dabis. Hoc tandiu facito, dū stercus purū reddat, & corpus confirmatū videas, à frigore abstineat. Vel succum cydonij, aut citrij pomi miscebis cum vino veteri, aut melle, eóque carnem oblitam accipitri dabis.

Ad pituitam ſiccam.

ACcipitrē pituita arida laborare cognoſces, cùm videbis oſcitantem, liquorémque per nares non emittentem. Hoc remedium ei auxiliabitur, Vuæ tamniæ, piperis grana ſeptem, folij, quantum duo digiti capere poſſunt. Caryophylli grana quinque, nardi ſpicatæ ſiliquam: diligenter vnà contundito, & poſtquam vino veteri illius palatum elueris, ex hoc medicamēto capito quantum duo digiti capere poſſunt, eóque palatū ipſius fricato: deinde in ſole illum collocato: ad horam octauam eſca ei præbeatur hircina caro & ſanabitur. Vel mel Atticum, ſemen hyoſcyami, butyrum ſubigito, hiſque palatum fricato, & pinna nares illius mungito. Alij ipſum ita curāt, Alliū cum vino veteri contuſum naribus infundunt. Alij cupreſſi grana ſeptem: ſemen caprifici, braſſicam conterunt vnà, & naribus infundunt per triduum, ac ſæpe piper adijciunt.

Ad pituitam mollem, quæ liquida per nares defertur.

CVm accipitrem oſcitantem videbis, & naribus liquorem eijcientem, ſcito eum molli pituita laborare: ita curabis, Liquidam picem in eius os infundes: quam cùm deuorârit, acetum acerrimum per nares inijcies, aut garum bonum: palatum melle fricabis, atque illum in ſole collocabis. Quod ſi diu permaneat hæc ægritudo, ſandarach

racham cum aceto acri conteres, eóque palatum illines. Alij ita illum curãt, Piperis, camæleontis, ſingulorum ſcrupulum, coſti ſeſquiſeſtulam, commiſcent, terunt, hiſque palatum confricant, & naribus infundunt.

Ad grauedinem.

ACcipitrem grauedine laborare cognoſces cùm videbis ipſum per nares liquorem, & per oculos ſpumam emittere. Hunc ita curabis, Piperis, pedicularię, ſingulorum grana quinque, ſpicam, allium vnum, liquidam picem, mundam, quantam vno digito capere potes: contuadito vnà, ſumito quantum gladij cuſpis capit: oleo & balſamo palatum accipitris defrica, illúmque in ſole collocato ad ſeptimam horam, ipſúmque paſcito carne qualibet.

Ad pituitam occultam.

CVm caput intumeſcit, & frequenter oſcitatur, & lentè reddit excrementa, ſcito illum pituita latenti laborare ita curabis, Seminis agreſtis, rutæ ſcrupulum, piperis, pyrethri, ſingulorum ſcrupulum, pedicularię grana viginti folij, coſti, ſingulos ſcrupulos: vnà contundito, palatum ipſius fricato.

Ad pituitam ſpiritum elidentem.

ACcipitrem, pituita fauces ſtringentem, laborare cognoſces, cùm guttur accipitris intumeſcit ex humoribus coactis, oculi ſpumã mit-

tunt, caput tumidum eſt, nares nihil reddunt: ita ſanabis, Herbam nuncupatam phryarium contuſam miſcebis cum vino veteri, & inſperſam carnem ſuillam ferueſactam dabis accipitri. Quidam ſuccum betæ cũ melle naribus infundunt. Alij lac muliebre cum ſucco rutæ naribus immittunt.

Ad pituitam proficiſcentem ex dolore capitis.

CVm accipiter curuus manet, & reſpirare nequit: cùm oculis eſt hebetibus & ſpumã emittentibus: cùm caput ipſius dolore affligitur, ſcito eum laborare pituita, manante ex capitis dolore. Hunc ita curabis, Piperis vnciam, laſeris, cocci, ſingulorum tres ſcrupulos, pedicularię grana vndecim, tũdito, cribro incernito, pinna naribus inſpirato, hiſq; palatũ eiuſdẽ infricato: acetũ acerrimũ naribus infundito, viginti diebus ſolutus, in tegeticulam clauſus, cibum ex tabula capiat.

Ad pedis dolorem.

CVm videbis accipitrẽ ſe & ſuas alas ſtringentem, & tanquam in nido iacentem, ſcito eum pedum dolore torqueri. Hoc remedio ſanabis, Vini boni treis ſextarios, & tantundem aquæ, miſta vſque calefacito, dum manus tua ferre poteſt, hiſque illum foueto, & lauato: deinde emplaſtrum facito, quod contineat myrrhæ ſcrupulũ, arſenici ſextantẽ, maſtichæ vnciam, olei roſacei ligulas duas, ſimul miſceto, emplaſtrũ facito, idq; corio illitum

illitum super pede imponito, post tres dies resoluito, carnémque calidam ipsi dato. Nonnulli axungiam bubulam, in ahenum additam incalefaciunt, eiúsque pedes inungunt: alij vino pedes eluunt, atque in lata pertica collocant, ne digiti pedis lædantur. Quidam acetũ tepidum pedibus inspergũt.

Aduersus pediculos.

SI pediculos habet accipiter, sandaracham tritam in aquam frigidam addito, qua ipsum lauabis, & ad solem expones, & pediculos excuties. Alij oleum rosaceum, & cor bubulum, axungiam, oleum. Alij traphin tritam in aquam conijciunt, & ita illum lauant. Sunt qui lupinis in aqua maceratis accipitrem lauant, spondylio combusto ipsum fumigant, & confestim pediculi decidunt. Quidam oleo laurino caput accipitris oblinunt. Aliqui sandaracham, butyrum ex carne dant accipitri.

Ad luxatum.

SI in venando accipiter luxatus sit: ita ipsum restitues, Vlmi radicis scrupulos quinque in ahenum additos vsque ad tertias decoquito: eius decocto affectũ locum foueto, emplastrum facito, quod recipit masticæ, thuris masculi, floris periplo cadis, folij singulorum vnciam, fæcis vini optimi treis ligulas, rutæ cochlearia bina, in vnum cõtundito emplastrum facito, super locũ affectum imponito: quinto die mutabis: carnẽ calidam ipsi dabis.

Ad

Ad fractum.

Accipitrem fractum curabis, vt antè diximus esse curandum luxatum, ac vbi ipsum locum affectum calidis fomentis recreâris, sumito lanam succidam, eámque rosaceo oleo conspersam, super locum affectum imponito, linteóque obligabis, in locum obscurum accipitrem abdes quotidie, calidum cibum dabis. Sunt qui inferuefactam axunxiam ad fractum locum alligent, alij hircinum stercus, alij saponem imponunt.

Ad fractum crus.

Saponem, bulbos, cochleas in vnum contrita, linteo illita, super fractum crus imponito, & sanum facies. Alij pedes fouent, & suilla axungia inungunt, in loco obscuro collocant. Nonnulli argalicum, cum absynthio veteri contusum, affectæ parti imponunt. Alij ceram albam, marmor, cochleas, album liquorem oui vnà commiscent & contundunt, in locúmque fractum imponunt, & ad sanitatem perducunt.

Ad accipitrem aucupari nolentem.

Laseris siliquas treis, in aquam addito, ligulas duas dato cum carne edêdas per triduum. Quidam mandragoræ radicem fumigant, & confestim promptum ad aucupandum reddunt. Alij argemonia fumigât: sed & carnes, quas comedit, suffitu lustrant.

Ad euulsionem vnguium.

Cùm

CVm accipitri is vnguis excussus est, si excussum inueneris, illum reponito: sin minus, alium vnguem mollem accipitris sumito ipsius digiti, qualiscunque est, siue medij, siue calcaris: ita sanabis. Sanguinem pulli columbini, aut tamen tum taurinæ collæ, quantum tribus digitis capere possis, comburito, donec in puluerem redactus sit. deinde masticæ sumito grana tria, myrrham, thus, arsenicum, trita super vnguem imponito cum sanguine columbæ feruentis, & reple ipsum vnguem, ac infige in locum vnde excidit facito: ex dura pelle loculamentum pro magnitudine digiti, & ligato pulchrè, & in quatuor dies ipsum liberum dimittito in tegeticulam, nutriens ipsum carnibus feruefactis, postea que ad venationem educito. Si vnguis radicitus si excussus, confestim iniecta face locum comburito, & sanguis sistetur: vel sumito ex lucerna ea, quæ destillant subter eius collum, hisque locum affectum linito. Sed citò renascetur, si ita curabis. Absynthium syluestre cum axunxia suilla contundito, saculúmque ex aluta factum, præscriptis malagmatibus imolebis, eum induces in vnumquenque digitum, vnde vnguis euulsus sit, & ligabis, & tertio quoque die mutabis & sanabitur. Vel ossa palmarum cum vua tamina & melle contrita, linteóque illita affectum locum obligabis, & citò vnguis exorietur: Vel thus masculum aqua frigida diluito, eóque

locum

locum foueto, & sanabitur. Vel butyrum cum ramento corij elaborato iniicito in digitū vnde vnguis excidit, & ad iusta perducetur.

Ad tremorem accipitris.

TRemore exhorrescere accipitrē cognosces, cùm habet pinnas, vt struthiocamelus, & volare nequit. ipsum ita curabis, Myrrhæ, thuris masculi, sandarachæ, aristolochiæ rotūdæ, argalici, aloë in hepatis formam concretæ, spicæ Indicæ, nardi spicatæ, singulorum treis siliquas, masticæ grana tria, folij, pediculariæ, cumini Alexandrini, singulorum siliquas quinq; costi siliquas binas, mellis vnciam, croci siliquam, piperis semunciam, vini boni sextarios duos: simul omnia mista cōcisa contundito, atq; illa ex carne hircina per decē dies cibatui accipitris obijcies: deinde per alios decem dies dabis veruecinas carnes: tum alijs decem diebus præbebis ex pullis columbinis, & gallinaceis: semper cibos superiore compositione illines: tum post triginta dies ipsum lauato aqua, in quá prius decoctæ fuerint radicularum schœni libræ quinque, sinapis vnciæ tres, aquæ tertia, aut quarta pars addita fuerit: qua in peluim infusa, & vsque tepenti, quoad manus tua ferre potest, accipitrem fouebis, & lauabis, illum lotum in sole collocabis, idque similiter per triduum facies: si deficitur, vinum asperum insperges, ipsúmque confestim pasces: veruntamen suillam carnem

ipsi

ipsi ne dederis, donec confirmatus sit.

Ad vulnus accipitris.

Argemone ex aceto trita linito caput accipitris prius glabrum factum: pustulam postquam expresseris, inungito. Sunt qui fæces olei coquant, hisque refrigeratis, eius caput linũt.

Ad mutandas pinnas.

Priusquam in cellam, mutandarum pinnarum causa, incluseris, aqua lupinaria illum eluito, & quàm mox in cellulam includito, in eam sabulum spargito, addito tabulam rotundam: per decem dies dabis columbinum pullum. Quod si tardus sit ad mutandum, conterito pellem serpentis, eáque carnem conspersam dato, vel lac potui præbeto: mense Augusto quotidie aquam apponito decem diebus, antequam ipsum educas ex cellula: accede prope ipsum, neque confestim ipsum ex cellula proferas, neque pedibus strepitum edas.

Ad accipitrem mutandum varie.

Virides lacertos viuos, vel mures, vel ciconiam, vel turturem per triduum dabis. Si recuset lacertos virides viuos, in sole ipsos arefacito, leuigato, eorúmque puluere conspersas suillas carnes dato accipitri comedendas. Si accipiter mutauerit, aquam marinam calfacito, eáque pinnas eius foueto per triduum, vel cum aceto acerrimo calefacito.

Si

Si vulneratus sit à grue.

SI accipiter à grue, aut ab alia aue vulneratus sit: ita ipsum curabis, Ossium palmæ quinque vncias, ramenti ferri excidentis ex incude vncias treis: in vnum misceto, in puluerem redigito, consuito locum vulneratum, & ex illorum puluere inspergito. Sed prius locum vino calido eluito, & eius cibatui obijcito. Alij axungiam suillam, & stacten sarmentorum miscent, hisque perungunt plagam acicula consutam. Verùm attende, ne acicula interiorem carnem perstringas.

Ad interiora rupta.

SI interiora discussa habet, ita medebere, Stacten ex palmitibus vitis dabis ei bibendam, & sanum facies: & carnem feruefactam, & mel cum butyro commistum præbebis edendum ex carnibus. Vel sandarachã ex carne dabis, & sanitatem recipiet.

Ad dolores lumborum.

CVm videbis accipitrem, vel manu gestatum, vel ad prædam emissum, capite aggrauato & dormitanti deferri, & caudam frequenter flectentem, scito ipsum lumbagine, & torminibus laborare. hoc medicamento sanabis, In aquam conijcito radicum asparagi vnciam, poci infra terram generati sextantem, herbæ vesicariæ quadrantem, in cucuma testacea decoquito ad tertias, decocto eius lumbos foueto per septẽ dies. Aduersus torm

tormina hoc remedium adhibebis, Lumbricos terrenos coques, eorum sumes siliquam: laseris siliquam alteram, album liquorem oui, in vnũ miscebis, eáque ex carne dabis accipitri, per ipsos dies ipsum cum superiori decoctione fouebis.

Aliud remedium.

TIliam, alimi semen, oleum laurinũ & lentiscinũ ex aqua coques, hisq; accipitrem fouebis, olea quidẽ separatim coques, & deinde misce bis. Vino calefacto, & per spongiã expresso, accipitrem fouebis, & ad iusta perduces. Vel picem aridam contritam eius potui dabis, & lumbos restitues pristinæ valetudini.

Ad tubera pedum.

CVm accipiter habet tubercula in pedibus, tintinabulum paruum facito instar tuberculi, vehementer calefacito, idque ignitum super tuberculum imponito: sed cautè, ne aliam carnẽ perstringat, & tamen ad radicem tuberculum comburat, ac quàm mox saponem Gallicum, laurinum oleum, stercus columbæ in ollam nouam con iecta diligenter calfacito, & frequenter eius pedes & perticam, cui insistere solet, linito, & sanabitur. Vel ipsum tuberculum sauciato, carbe nemque tritum cũ oleo Hispanico plagæ imponito.

Ad tubera & rimas pedum.

SVillum stercus in furno desiccabis, aquæ dulci miscebis, eáque alutæ illita, afflictæ parti

imponito, & confeſtim diſcutientur, quod etiã hominibus, ſimili morbo laborantibus, auxiliatur. Sunt qui ſaponẽ Gallicũ, viuum teaphm cũ erugine raſili contundunt, accipitri alligant.

Ad puſtulas.

PVſtulis laborantem ita curabis, Oleum roſaceum, mel calcẽ viuam cũ lente miſcebis: calfacies, ex carne dabis accipitri edenda.

Ad accipitrem defugientem aucupia.

ACcipitrem aucupium defugientem ita reſtitues, Olei Hiſpanici, mellis, butyri, vini boni, ſingulorum ſcrupulũ cum luteo oui cõmiſceto, ex carne feruefacta præbeto: & cùm hoc cõcoxerit, & per excremẽta reddiderit, carne ſuilla, vel gallinacea paſcito. Vel butyrũ maſticæ in puluerẽ redactæ, ſanguinẽ columbæ, miſceto vnà, hisq; carnem hircinã, ſparſam per triduum præbeto accipitri, & ſanus fiet. Vel ſtercus paſſeris, vel eius carnem, vino vel melle cõſperſam, edendã eidẽ dabis. Vel apij ſemen, zinziber pari pondere contrita cum melle aut vino dabis & ſanum facies.

Ad ſitim accipitris.

ACcipitri ſæpe ſitienti eſcam frigidam cum melle dabis primo die: altero & tertio oleum Hiſpanicum & ſanum facies.

Ad debilitationem & langorem accipittis.

ACcipitri debilitato & languenti auxiliatur hoc medicamentum, quod habet croci,

roſar

rosarum aridarum, singulorũ semunciam ex sanguine leporino feruente: conterito illud, accipitri præbeto ex carne suilla frigida, & ad sanitatem perduces. Vel croci scrupulum, vinum vetus, in vnum contundito: potanda præbeto accipitri, eiusque cibatui hircinam carnem dato & conualescet.

Ad neruos læsos.

Accipitrem ex neruis laborare cognosces, cum ad aucupandum emissus, aucupari recusat, & aspectum auertit ab ipsa præda. hoc fit vel cùm arbori implicatus fuit, vel ad saxum genua offendit, vel armos læsit. Huic succurrit hoc remedium, quod recipit axungiæ bubulæ, ceruinæ medullæ, ceræ, singulorum semunciam: in ollam nouam hæc indito: Cochlearum, olei Africi sescunciam adijcito, atque omnia cum spongia & vino contundito: genua & calcanea inungito, & sanitatem recipiet. Aliqui axungiam suillam, tum pulli columbini adipem: succum maluæ & betæ in ollam adijciunt, contundunt, genua, calcanea per spongiam illinunt. Nonnulli axungiam gallinæ, oleum rosaceum, ceram, masticem pari pondere in ollam nouam conijciunt, coquunt, locum affectum perungunt, & pristinam valetudinem restituunt.

Ad vitreaginem oculorum.

Accipitris vitreagine laborare oculos signa sunt tubercula ad oculos & nares, velut paruulæ auellanulæ, exorta. Remedium hoc adhibeto, Lignum cupressinum acuito, idque ignitũ ter in eius nares inserito, vbi vitreaginem videas, locum exprimito, & mellis exiguum inspergito.

Ad accipitris frigus.

Si accipiter frigore rigeat: ita ipsum curabis, Piperis, pedicularię, singulorum granis tribus in vnum contritis illius palatum illinito, ad solem exponito accipitrẽ: deinde ipsum pascito & perueniet ad sanitatem. Vel sumito succum cynoschesti, piperis, pollinem, apij semen, mellis mediam partem: hisque simul commistis, carnem conspersam accipitri præbeto, & interiora omnia expurgabit. Vel allium simul cum pipere dabis illius cibatui, & rigor discutietur. Vel semen raphani, rutam syluestrem, piper, cuminum, mista contundito, cibatui obijcito, vel columbam scindito, eius intestina feruentia dato accipitri edenda.

Ad tardam aluum deiiciendam.

Accipitrem tardantem eijcere excrementa, scito cruditate laborare: ita illi succurres: Stacten ex vitis palmitibus factam ex ore tuo in os illius inspirabis, quãtam capere poterit. Et cùm excrementa reddiderit, oui vitellum vnà cum melle sumito, hisque carnem oblitam accipitri præbeto.

Ad tubera pedum.

SI accipiter tubera habet in pedibus, ita ipsum sanabis: Salem cum cochlea terrestri conterito, pedes illius defricato. Vel super tuberculum hirundines paulisper imponito: tum postquam hirundines remoueris, vino veteri incalfacto, locum foueto. Vel hircinum stercus terito, eóque illius pedes oblinito.

Ad vermiculos pinnarum.

ACcipitrem, cuius pinnæ vermiculis infestantur, sic curabis, Scindito calamum & telam aranei, quam poteris intus inuenire, ex aceto acerrimo terito, in locum, vnde cadunt pinnæ, imponito. Vel sumito sanguinem leporis, & vinum vetus pari mensura, locum affectum conspergito, & melle illinito, ad solem post accipitrem exponito, ad sanitatem perduces.

Ad dolorem maxillæ.

ACcipitrem ex maxillis laborare, vel alijs interioribus partibus circumuicinis cognosces ex manu gestatis. Se enim abijcit, neque perticæ insistere vult: sed etiam pinnæ caudæ rariores fiunt, & minuuntur. Saliuam cruentam expuit, & volitat. Sic ipsum curabis, Vinum vetus dabis ieiuno, & catello paruulo, vel nefrende per treis dies ipsum nutries: deinde butyrum dabis, & sanabis: vel radicem argolici, siue hyoscyami contritam cum carne dabis.

Ad debilitationem.

MEdullam veruecinam feruefactam præbebis edendam, & reficies.

Ad lippitudinem.

CLauo cupressino tenui, ignito, nares ipsius aperito, vel lac caprifici infra linguam infundito.

Ad læsionem axillarum.

FRequenter axillam aqua frigida fouebis & sanabis.

Ad accipitrem, qui progreditur ad prædam, & simul pedem refert.

ITa ipsum restitues, Piperis grana tria, vinum vetus, mel, cuminum, album liquorem oui. Hoc semel die dabis & ad iusta perduces.

Ad eum qui visco oblitus sit.

OLeo locum, vbi viscus adhæsit, eluito, & linteo, tanquam spongia, exprimito, & lacte caprino abluito, & mirificè absterges.

Ad eum qui ægrotat ex aucupio.

AQuam inferuefactam, quantum tua manus ferre potest, super eius dorsum inspergito.

Ad eum, quem velis educere ex cellula pinnarum mutatoria.

ANte lucem cum ipso ambulabis, & priusquam sol exoriatur, ad perticam reduces, vespere verò lucernam huc illuc mouebis, gestans ipsum

ipsum, quoad dies sit.

Ad oscitantem.

SI accipiter hiscit, oscitatur, scito eius interiora vlcerata esse, ita ipsum curabis, Butyri, mellis, olei rosacei, singulorum ligulam, medullæ ceruinæ quadrantem, sandarachæ vnciam, vini, ligulas duas, in vnum misceto, eáque cibatui præbeto ex carne hircina per tres dies, aut quatuor.

Ad vlcera crebris tumoribus exasperata.

HOc remedio auxiliabere, Piperis viginti duo grana, folij Indici, nardi spicatæ, foliorum petroselini Macedonici singulorum scrupulos duos, euphorbij, costi, singulorum scrupulum: omnia terito, misceto cum melle, hísque palatum accipitris fricato ad solem, & ad horam prandij sumito butyri treis partes, mellis partem vnam, balsami partem alteram. Simul terito, & cum prædictorum puluere commisceto, eáque commista ex cibo calido præbeto, & sanitatem adferes.

Ad eum qui decidit in aquam cum ansere.

OSsa palmarum aqua conspergantur per diē vnum: die insequenti terantur: adijciantur piper album, & nigrum, pedicularia, nardus spicata, Indica spica: omnia æqua portione terantur.

Sumatur etiam butyrum, axungia anatũ & suilla pari pondere contusa in offulas agglomerata accipitri dentur, & nihil frigoris sentiet. Vel offas illi dato rosaceo oleo conspersas, & protinus frigus illi pelles.

Si nolit comedere.

Pollinem tiliæ, & seminis lini adijcito carni hircinæ, nuper occisæ, cogito accipitrem capere & ad iusta perduces.

Si à lepore malè affectus est.

Fac quiescat septem dies, dentur ei cibi infer uefacti, vel columbinæ, vel hircinæ carnes, & sanabitur.

Ad obstrepentem & voce elisa recinentem.

Mellis, lactis caprini, singulorum ligulam, & tantundem olei rosacei misceto, dato ex carne columbina.

Ad disenteriam.

Seminis ferulæ grana vigintisex, trita vino asperssa, potui dabis accipitri. Vel rhodacynon intempestiuum scindito, cum sale coquito, ex cibo dato accipitri.

Ad extenuatum.

Cum accipiter extenuatur, butyrum cum carne ipsi dato comedendũ. Vel oleo Hispanico escam conspersam, dato ipsi edendam.

Si

Si ægritudine diminutus est.

CVrabis, si medullam arietis, nuper occisi, ipsius cibatui dederis: deinde pulli vel columbini, vel gallinacei occisi sanguinem calidum præbebis bibendum.

Si venari nolit.

QVindecim dies in locum obscurum includito, vbi lucem non videat, nisi ad comedendum. Ubi tertiam partem illi detrahito, posteà ad venationem emittito.

Ad fluxiones capitis.

SI accipiter capitis fluxionibus laborat: ita cognosces, Oculi ipsius lacrymantur. Hoc medicamento auxiliabere, Piperis albi triginta grana, costum, folium, spicam Indicam, pedicularia, crocum pari pondere: omnia quidem instar triginta granorum peperis ponderantia contundito, hisque illius palatum defricato cum vino bono: postea mel fumo non infectum sumito, eóque per pinnam palatum linito. Ex superiori compositione rursus inspergito, & quàm mox eius nares tuo ore sugito, vt medicamentum sursum perueniat. Hæc vbi feceris, in sole ipsum duas horas collocato, & cùm excrementa reddiderit, illum ex sole tollito, & vini boni paulum ex ore tuo in os illius infundito. Post duas horas ipsum vocato: dato ipsi vel columbinum pullum, vel murem, & sanus fiet. Si in eius oculis velut lenticulæ quæ-

dam appareant, & ipse oculis hallucinantibus sedeat: ita ipsum vindicabis, Lac mulieris, nutrientis masculum, in eius oculos instillato, & mox sanus fiet. Vel costum, folium, thus masculum, masticen, laser Iudaicum, piper, nardum spicam, caryophyllum, crocum, sandaracham, pedicularium, paribus portionibus contundito, cribrato, hísque eius palatum confricato, & sanitatem recipiet.

Si suas pinnas rodit.

Spumam nitri inferuefactā, & cimices quinque tritas ex carne dabis accipitris cibatui per triduum.

Si velis experiri, an infirmus accipiter viuet.

Quotidie ipsi dabis butyrum, oleum Hispanicum, vel rosaceum cum corde bubulo, & si excrementa reddiderit, viuet: sin reijciet, pullum columbinum per treis dies ipsi dabis: si excrementa reddet sanabitur.

Ad intestina.

Butyrum cum melle mistum, in carnes inspersum, frequenter ipsi dabis, & sanabitur.

FINIS.

DEMETRII CONSTANTINOPOLITANI DE Cura & medicina canum.



PETRO GILLIO INTERPRETE.

Ad reuerendissimum, & Illustrissimum D. Georgium Cardinalem Armaignacum.

GILLIVS NEPOS

Lectori S.

CVR Gillius patruus hūc de curatione canum non transtulerit, qui eiusdem authoris erat, & quasi ab altero dependebat, intelligere non potui. Verum ego, meo marte, qualicunque in hoc elaboraui: nō tamen quod me assequutum fuisse verum ἰδιώμα græcum in transferendo dici posit: sed vt alicui & doctiori occasionem primariam vertendi pręberem: tum maxime, in gratiam φιλοκυνηγῶν, in his occupatus animus deteriora non cogitabat. Bene vale.



DEMETRII CONstantinopolitani de cura & medicina canum

LIBER.

VTILITATEM non minorem adfert canis quàm accipiter, ita vt nonnunquam hominibus custodiæ, aut venationis gratia, subseruiat. Id satis comprobatur ex fidelitate & beneuolentia quam habet erga dominum, quem etiam sæpe ad mortem vsque pro ipso pugnare videmus. Igitur neque canis sic negligendus est, vt curæ nobis non sit quomodo se habeat: quandoquidem accipitris vsus sine ipso inutilis, imò iusta de causa his medicinam aliquam adferre oportet: ad quorum cognitionem peruenturi prius de generatione & probatione ipsorum dicemus.

Quo tempore submittere oporteat.

IAnuario & Februario alere oportet sub custodia & in otio detinere vt desiderent iniri à canibus excellentioribus ad concipiendam prolem

lem generosam, sed ineuntem trium annorum esse oportet, nec minoris ætatis: fœminam verò duorū. Cum autem submissionem appetit, alicubi includatur vnà cum mare, nec permittas omnino aliquem aspicere ipsos. alioquin inutiles erunt ad venationem huiusmodi canes. Id nanque experientia venatorum docuit. Vbi verò conceperit, in saltus caue deducas, ne fortè desyderio cursus opprimat catulos & seipsam labore fessam: quam scito dies sexaginta vterum gerere. Interea marem reficere oportet cibo delicato & pingui per triginta dies, deinde cum vsus expostularit educendus ad venationem.

Quomodo probandi & cognoscendi.

CAnes strenuos tibi si comparare volueris sic probato, conficiens circulum ex fœno quantum se habet magnitudo rotæ curriculi, catulos in mediū circuli mitte. Canicula verò seorsum alios habeat, succendatur fœnū illud: dissolue caniculam, & statim videbis quomodo haud multū reformidans ignem, insiliet in medium, catulorum amore tenta. Discernet autē naturali quodam instinctu meliores, & extrahet. Reliquos verò si vēdere, aut donare velis alienæ cani subijcias suos habenti vt alat: quod hoc modo facies, si ab huiusce mamillis aliquantulum lactis expressum, manu exceperis, & immixto sputo inunxeris catulorū

scapulas

scapulas: quos supponas cũ edere voluerit, & videbis quã libẽter excipiet. Aliter meliores futuri catuli sic experientur, hos prius in statera ponderato: & quem volueris pinguiorem eligito, inde à matre propria nec altera enutriatur, quarum lac & alitus certe longè magis vtilis sit quã aliarum.

Qui sint eligendi.

EX canibus qui diligentur sint leopardis, lupis consimiles: aures habeãt longas & molles, ita vt ex magnitudine & mollitie propendeant: si verò fuerint arrectæ, nec paruæ, haud omnino sunt despiciendi: è diuerso se habent qui paruas & duras. Collo sint paruo, pectore & armis latis, non angustis, sed abinuicem distantibus. Caudam trahant longam & acutam. Crura item posteriora anterioribus graciliora, cursitant nanque leuius per ardua & montosa loca: si verò fuerint priora posterioribus æqualia, in planicie optimè current.

Quo tempore ad venationem educendi.

COntinuè sunt agitandi, neq; in tempus aliquod differendum, quo minus segnes & languidi euadant.

Assuefaciendi vt eodem cubiculo vtantur cum hominibus.

CAnes cũ hominibus habitare nõ improbandum est: ex hoc nanq; mãsuetiores & hominum amantiores redduntur tũ facilius vocãtur.

Ad

Ad febrem.

CAnem febre correptū ita cognoſces, Auribus erit demiſſis, contrahet faciem, neque quieſcere poterit: tunc ab auribus ſanguinem extrahito & duæ olei roſacei vnciæ cum vino coquantur: triduo perfundatur, vel roſaceo bina oua addantur.

Si labore feſſus exæſtuet.

CAnem exæſtuantē ſic curabis: Lapathum & oua bina terito, quibus miſcebis butyrum & vini Sicilici ſextarium cum vulgato pipere, dabis ei ad bibendum: quòd ſi rediens à venatione, vehementiori æſtu affligatur, fuſca, pulegio immixto, ipſius os irrorato. Fuſca autem componitur ex aceto, tepida aqua binis ouis & oleó roſaceo.

Ad cognoſcendum canem rabie affectum.

CAnem rabie correptum ita iudicabis: primùm quidem ſtat tanquam ſtupidus & ſibi placet cum hominem inuadit, difficulter audit, ſic nunquam ſtat, vt dominum non agnoſcat: quod cum agnoueris, talem cōfi:ito potionem: Roſæ ſylueſtris radices terantur & in puluerem redigantur, immiſcebis parum aquæ fontanæ, & linteolo exprimens dabis ad bibendum cani. hoc facto rei veritatem intelliges, aut alio modo: nam inferior pars linguæ ipſius ligaminibus quibuſdā

detinetur

detinetur, quæ vermiculi effigiem habent, & neruo albo persimilia: prius igitur quàm accreuerit malum, & gulam inuaserit, abscindito à lingua, sicque curatum habebis.

Præseruatiuum ne rabie corripiatur.

A*Ccipito caprificum et axungiam veterem, vnà contusam des ei ad comedendum, aut hedera coquatur, donec ad tertiam partem venerit, quam vt edat diluculo præbebis, vel gallinæ fimum cum vino fragranti, aut chelidoniam cum axungia & pane dato.*

Ad lachrymosos & inflammatos oculos.

P*Rimùm oculos ipsius aqua tepida & vino fouebis, cum quibus decoctæ sint rosæ, œnanthe & myrthi folia, deinde oleum & oui liquorē album vnà mixtum oculis superimponito, quod sanè lachrymā restringet & inflāmationē auertet.*

Ad albuginem oculorum inueteratam.

Q*Vod si oculus illius albuerit, hoc remedio curabis, quod recipiat fellis taurini scrupulos sex, fœniculi succum, mellis vncias nouem, croci tres: quæ simul omnia leuigabis & canē illines.*

Ad oculorum dolorem.

S*I quid in oculis patiatur, gallinæ stercus cum aceto superimponas.*

V

Ad tubercula quæ in palato generantur.

QVod si ita sit, assumas ammoniaci quod satis erit, gallæ pillulas tres, aceti scrupulum, chartam adustam, omnia mixta contundantur, inde palatum inungatur, & sanus fiet.

Si quid inhæserit gulæ ipsius.

CAnis si quid gulæ infixum habuerit, infundatur oleum & ebibat, quod si dimouere non poteris aperto illius ore tepidam aquam guttatim instillabis.

Si bibendo hirudines hauserit.

EX cimicibus ipsum suffumigato, & statim sanus euadet, vel ptisanæ & olei puri libra coquatur, quibus adiunges mellis puri scrupulum, ex his canis perfundatur aut ex decocto tragacanthæ, ptisanæ, olei, mellis, & oui vitello omnibus mixtis.

Ad canem cibum respuentem.

CAnis si fastidierit cibos, humanum stercus ad edendum dabis, & pulegio, fusca addita, nares fricabis, tum illius cibo cuminum appones prius decocto garo, cuius odore maximè attrahitur: sed ad comedendum dabis in omni cibo donec ipsum satiaueris.

Ad inflammationem & tumorem ventris.

SI modicũ aceti dederis, statim dolorem sedabis.

Ad canem sanguinem mingentem.

CAnis sanguinem si minxerit, lenticulæ libras tres aut heminam cum lacte concoquito quibus corianni succum, piperis grana viginti quinque, olei vulgati sextarium aut uncias duas addes & ex his illinatur.

Ad stranguriam, aut vrinæ difficultatem.

PAnem lacte caprino conspersum bis in die facito vt edat.

Ad venæ rupturam.

SI vena canis excisa sit, araneū & gnaphaliū cum duobus muribus combustum, in puluerem rédactum cani superimponito, rursus gnaphalij acusti cinerē venæ applicabis: tum demum ferro candenti locum attinges, & colligabis eá parte qua sanguis emanat, sicque reprimes.

Si iuncturæ dolorem patiantur.

PVmicem exustum in fictili concoquito, & vrina hominis eos abluito, postea vinum addas cui acetum immixtum sit, & gallinæ stercus accipiens & fuscam illi dato.

Si laboret dactylo.

CAnem si dactylus corripuerit imprimis cooperiēdus est, deinde bina allij segmina oleo immixto læuiganda sunt, & applicanda. Talem etiam componito infusionem, quæ recipiat piperis grana viginti, tres lauri baccas, butyri scrupulum, singula misceantur, & instillentur.

Canem si velis saginare.

PRima die panem cum lacte dabis donec didicerit comedere, sequentibus verò auferens partem panis tantundem lactis adijcies: sed elapsis sex diebus in cœna, parum offeres. Rursus si volueris ipsum à lacte auertere, quantum ex hoc demeris, tantum panis apponito: neque his diebus à vinculo dissoluendus erit quibus lacte nutrietur, sed paulatim distrahẽdus ab ipso & singulis diebus ad exercitium educendus, vel auenam exsiccato, & cum volueris huncsumere cibum, in ahenum aquam immittito: quam vbi feruentem videris, addes etiam ex hac auena farinæ sufficientem partem qua saturari possit, miscebis etiam vnà adipem: at cùm refrixerit permitte vt edat, idque faciens quinque aut sex dierum spatio cognosces quomodo saginandus sit.

Canem si à fame saturare volueris.

OLei sextarium & fabæ flores coquantur vnà, quibus adiunges portionem æqualem axungiæ, prius tamen facito vt canis triduo ieiunet, deinde hora consueta ad edendum dato.

Ad canem paruulum enutriendum.

CAnes paruulos alere si desyderes, cum tibi desit lac, bouis pulmonem crematum in puluerem redigito, ipsius cibus ex hoc conspergatur.

Canis si patiatur inflammationem totius corporis.

Si

SI laboret inflammatione oculorum aut pedum ne credas tuberculum esse: sed hoc modo curabis si partem ceræ, & olei vulgaris, mellis attici duas, in vnum cōmixtas decoxeris, & canem inunxeris spatio dierum octo: cui etiam dabis offas saporis, optimi.

Canis si ab altero morsus fuerit.

HVnc ad sanitatem perduces, confecto ita cerato, quod habet cerui ossa combusta & contrita, oleo immixto.

Si percussus sit.

SVperimposita vulneri caro, cum ærugine ferri remedio erit.

Si ab altero rabie correpto morsus fuerit.

FOlia rutæ superimposita loco affecto, vnà cum pice & aceto sanum facient.

Asylus aut tabanus si canem momorderit.

COmbusta syluestri ruta, locum suffumigabis & aceto illines.

Ad curandam cicatricem.

ARgenti spuma exusta teratur, adijcias mel & acetum: deinde toties cicatricem inungito donec curaueris eam.

Si percussus sit, nec percipias qua parte doleat.

AD solem ipsum exponito atq; vbi dolor aderit, illic muscæ congregabuntur: hunc au-

tem locum aqua tepida fouebis, inde hordeum calefactum bubulum stercus, & fuscam, hæc in vnum mixta dolori applicabis.

Ad scabiem.

Erusa, resina, bouis adeps, & butyrum cum lentisco misceantur, coquantur, canis inungatur, vel canis pinguedinem, aut echini accipito, quam in ollam nouam repones, & resolues: cum autem feruentem videris, ab igne retrahas & injicito resinam optimè tritam, ne fortè ebulliens pinguedinem effundat: tantum verò resinæ insit quantum adipis. Aut accipe herbam κυνοσβάτου virentem, cuius flos adhuc sit purpureus, quam exactè conteres & succum in ollam injicies, ex quo illinatur canis.

Ad pustulas vel exulcerationes.

Hordeum cum aceto læuigabis, & inunges canem: postea eluito: commodius tamē fiet, si oleo illeueris.

Vngulæ si decidant conteres.

Cyminū ore masticabis & in vngues ipsius expues, quod decem diebus facturus es, vt reuiuiscat vnguis.

Si attrita fuerit pedis concauitas.

Ex hordei farina qua vtimur in conficiendo pane, verbasco, & oleo addito, pars illa inungatur, vel corianni grana recipe, vitellum oui,

gall

gallinæ pinguedinem quæ sufficiat, conterantur, & ita cum lana superimponantur.

Vt canis villos renouet.

Viuam calcem & argenti spumam vnà mixtam ad similitudinem mellis redigas: deinde per mensem oblinatur & villos innouabit.

Vt citò crescant.

Herbam γενῆτορ dictam comburito, cum qua axungiæ quod satis sit, misceatur, locum postea inungas.

Canem album, si nigrum reddere velis.

Capræ pinguedo, & asini stercus, vnà coquantur, ex quibus canis ille albus decem dierum spatio diligenter perungatur, & ita huius rei veritatem habebis.

Canem si velis per horam non currere.

Oleum manu excipiēs, scapulas ipsius inunges, & ita omnino etiam eo die non curret. id facito cum mercari vel emere volueris canem ab aliquo.

Si vt abortum pariat voluеris.

Collyrium ex cinere facito quod pudendo ipsius imponatur, deinde aquam, mustum & terram in vnum mixta leuigato, ex hoc canis perfundatur.

Canis, vt citò concipiat.

FArinæ partem ieiunæ ad edendum præbeto, aut salis grana contusa in pudendũ ipsius inijcias.

Canem si velis à calore desistere, vbi conceperit.

CAlcis exiguum ieiunæ dato, etiam nolenti.

Canem ægrotum si velis reficere.

IVniperi grana, rutæ folia, piperis quindecim accipito, & parumper croci, quæ læuigabis & contundes, vini modicum infundens & aquæ tepidæ: hæc ad edendum dabis.

FINIS.



INDEX EORVM QVAE HOC AELIANI VOLVMINE CONTINENTVR.



ABROTONI commoditates in necando lumbrico. 269
Accipitres nothi. 63
Accipitres hominum studiosissimi. 62
Accipitrum amor in fœminas. 63
Acus marina quo pacto pariat. 281
Adulter ab elephanto occisus ob stupratam sui domitoris vxorem. 326
Aegyptij accipitrem colunt. 292
Aegyptij bellatores cur scarabeum in digitis insculptum ferebant. 293
Aegyptiorum magia. 184
Africa neque ceruos neque apros alit. 47
Agni à partu ipso matres agnoscunt. 145
Agnos herba serpentibus infesta. 266
Alcion auis media hyeme parit. 21
Alluuio Nili messem piscium Aegyptiis affert. 309
Amphisbena duo habet capita. 164
Androclis cum leone amicitia & conuictus per

triennium. 237.& 238
Anas vbi pariat. 149
Animal ephemerum, idest, vnum diem viuens, apud Hipamin fluuium. 155
Animal curuos habens vngues neque bibit, neque meiere solet. 106
Animalia colorem ex flumine poto mutant. 247
Animalia vno die cursum vitæ conficientia, dicta ephemera. 37
Animalia quæ tempestatum aut serenitatis signa dant. 208.209.& 210
Animalia duplicia membra habentia. 463
Animalia omnia præclarè noscunt vbi vim habeant insitam. 272
Animalia quemadmodum pinguescant. 277
Animalia ad prolem augendam quo pacto excitantur. 275
Animalia quædã fascinationis remedia callent. 21
Animalia quæ duplex membrum habent. 340
Animalium alendorum nomina. 170
Animalium soni diuersi. 160
Animalium quorundam inimicitia. 192
Animalium coitus quo tempore fiat. 282
Animalium Arabicorum varius color. 290
Anserum astus ne clangorem fundant ob aquilarum metum. 147
Antaceorum natura. 415
Apes lapillum ferunt, ne à vento euertantur. 7. &

& 140
Apes sono à fuga reuocantur. 140
Apes mira arte ædificant. 34
Apes libidinosos, & vnguẽto delibutos persequuntur. 138. Earum sedulitas. 139. geometria. ibid.
Apes inertes. 6
Apes ex bubus enascuntur. 69
Aper quempiam inuasurus dentes exacuit. 155
Apis in Myconio non gignitur & importata illuc moritur. 155
Apri in Africa nulli nascuntur. 476
Apri musica capiuntur. 369
Apum ætas. 7
Apum mira œconomia. 6
Apum vigilantia ad fucos eiiciendos. 6
Apum rex aculeo caret. 35
Apum œconomia. 137. 138
Apum diuersa munia & nomina. 155
Apum in regem suum studium. 136
Apum insidiatores qualiter arceantur ab apiariis. 33
Apuæ pisces quomodo procreentur. 52
Aquila, quæ carnes non attingit sed herba pascitur. 258
Aquila Aeschylum testudine occidit. 218
Aquila oculos acres & acutos habet. 25
Aquilæ fel hebetudini oculorum commodum. 25
Aquila puerum seruauit. 354

Aquila, beneficij minimè ingrata. 183. & 493
Aquilam symphytum interficit. 192
Aquilarum modus in probandis pullis. 55
Aquilæ amor in nutritios suos, suósque fœtus. 61
Aquilæ cum vulpe amicitia. 67
Aquilæ in Creta tauros inuadunt & laniant. 60
Aquilæ & cornicis contentio. 438
Aquilæ pennæ aliis pennis commistæ in putredinem eas vertunt. 254
Aquilæ ab Indis erudiuntur ad venandos lepores. 109.110
Armeni quo pacto copiam ferarum occidant piscium esu. 486
Araneus ad textrinum opus natura natus. 14
Araneorum geometria. 198
Aries ad vtrunque æquinoctium mutat cubandi rationem. 295
Arietes marini quales. 423
Asina nullas tineas alit. 73
Asellus marinus piscis. 142
Asini in Scythia cornuti. 307
Asini quo pacto equas ineant. 42
Asinorum Mauritanorum celeritas. 402
Asinorum Indicorum natura. 125.126.127
Aspis, quam Aegyptij Termuthin nominãt. 304
Aspis Libyca excæcat. 89
Aspidis morsus vestigia. 281
Aspid morsus incurabilis. 31

Aspi

Aspidis morsus in quinquatrijs. 282
Aspidis morsus, si ranam comederit insanabilis omnino est. 260
Aspidis morsu nemo liberatur. 188
Aspidis morsus lenißimus. 259
Aspidis veneno nulla remedia parari possunt. 54
Aspidis & ichneumonis certamen. 83
Aspides apud Aegyptios mansuefiunt. 472
Astaci memoria. 250
Asteria auis humanam vocem intelligit. 151
Attagenis cantus. 121
Aethnaei piscis castitas. 8
Athenienses cur sues immolant in mysterijs. 294
Anthias piscis. 3
Aurata omnium piscium timidus. 394
Autoriates pop. ob ranas è cœlo lapsas solum migrare coacti. 489
Aurigæ munus simia edocta. 146
Aulopij piscis piscandi modus. 384
Austrinis tempestatibus crebrius abortus fiūt. 351
Aues Mennoniæ. 130
Aues Diomedeæ. 1
Auis dicta Cinamomum. 481
B*Abylonici pisces nonnulli amphiuij.* 146
Balenæ lac, & color. 134
Basilisci sibilus. 40
Basilisci magnitudo & venenum. 38
Basilisci metu gallinaceorum exanimantur. 160

Basilisco gallus gallinaceus terrori est. 89
Beluæ immanes beneficiorum acceptorum memores. 122
Bœotia talpis caret. 476
Boreas & auster ouium conceptui est adiumento. 224
Bos marinus. 12. & 13
Boues Libyci retrouersus pascentes, & quare. 464
Boues cornuum expertes in Arabia. 353
Boues apud Neruos pop. cornua in humeris habent. 146
Boues feri in India. 464
Boues Phœniciæ & Lyciæ quali magnitudine sint. 463
Boues Erythrei cornua mobilia vt aures habent. 51
Boues vt abstineant triturantes in area. 109
Boues apud Mysios cornuum expertes. 68
Boues iniuriæ non immemores. 116
Bouis Indici cornu tres amphoras capit. 90
Bouis domiti obedientia. 206
Boum Libycorum celeritas. 403
Boum Indicorum velocitas & certamen. 440
Bubulo pecori castrato Democritus ait tortuosa cornua & gracilia nasci. 353
Buprestidis pernities in bubulcum pecus. 185
CAllionymus piscis magnum fel habet. 372
Cameli nunquam cum matre concumbut, nisi fall

fallantur. 96
Cameleon serpentis morsus non timet, ob pellis firmitatem. 114.115
Camelorum verecundus concubitus. 200
Camelorum ætas. 128
Camelus in posterioribus cruribus quatuor habet femora & totidem genua. 286
Camelus veretrum habet inter posteriora crura caudam versus. ibid.
Canes Aegyptij fugacissimi. 196
Canes vt sileant & in fugam vertantur. 23
Canes Cretici. 72
Canes Cynamolgorum Indiæ populorum. 464
Canes fluuiatiles. 410
Canes cum mulieribus consuetudinem veneream habere deprehensi. 219
Canes quo pacto sint ducendi. 391.392
Canicula marina. 9
Caniculæ prægnantis operositas tempore Darij. 214
Canicularum marinarum tria genera. 30
Canis rabidi morsus quæ mala inferat. 261
Canis Indicus etiam leonem inuadit. 106
Canis fidelitas mira in custodia pecuniarum domini. 228
Canis primus nascens patrem refert. 255
Canis Eupolidis comici. 308
Canis adulteros prosequitur odio. 222
Canis rabidi morsus pernitiosissimus. 119

Canis Gelonis amor. 202.& 212
Canis Niciamin fornace conflagratum inuenit. 5
Canis Indici constantia. 239.& seq.
Canum amor in dominum. 230.232
Canum vigilantia. 214
Canum amicitia in dominos. 201.225
Canum beneuolentia erga nutritios suos. 181
Cancri lutarij. 223
Cancrorum varia genera. 222
Cantharides vbi generantur. 272
Cantharorum marinorum salacitas. 17
Capra à caprario adamata. 188
Capra caligini oculorum medetur rubi spina. 215
Capra acerrimi est auditus. 30
Capræ Syriæ lactis fœcundissimæ. 89
Capræ Lyciæ tondentur vt oues. 463
Capræ Libycæ cornua habent in pectore. 464
Capræ Illyricæ vngues pedum indiuisos habẽt. 146
Capræ pisces comedentes. 466
Caprarum Indicarum cauda. 114
Caprarum ferarum in Libya magnitudo. 405
Caprarum Sardiniæ commoditas mirifica ex pellibus. 465
Capito piscis. 3
Capitones Ionij maris quo pacto piscentur. 388
Capitonis amor. 7.& 8
Caprimulgus, auis vberis lacteos fontes exsiccat. 91
Caro suis, qui salamãdram comederit hominem interi

terimit. 267
Cærulorum & alcedinum proprietas. 218
Caspia muribus abundat & permagnis. 479. *& vulpibus.* ibid.
Castorides animalia marina, & eorum vlulatus pernitiosus. 276
Castor & aquas & terram colit. 184
Catoblepontis descriptio, & pernities. 206
Catrei auis descriptio. 482
Cepus animal varijs coloribus ornatum. 474
Cerastes serpens. 32
Ceruam cornua habere, autores qui. 231
Cerui cornua cur renascantur. 352
Cerui in Africa non nascuntur. 476
Cerui cornu suffimento serpentes fugantur. 263
Cerui musica capiuntur. 369
Ceruis quotannis cornua excidunt. 397
Ceruorum cum serpentibus dissidium. 42
Ceruorum moderatio in pastu. 172
Ceruus cornu dextrum occultat ne tanto bono homo fruatur. 80
Coruus eruca occiditur. ibid.
Ceruus amissis cornibus latet. 169
Cercio auis psittaco vocalior. 446
Cetacea maiora. 276
Cetacea omnia moderatorem habent & ducẽ. 48
Cetaceorũ Indici maris magnitudo mirabilis. 451
Cete gregatim natant & vbi. 388

Cete, quæ rotæ appellantur. 388
Cete cum ad pinguitudinem peruenit, visum & auditum perdit. 48
Cetoteria thunnorum piscatio. 384
Chymali piscis bonus odor. 410
Chamæ marinæ proprietates. 432
Chamelæon colorem suum facilè mutat. 48
Charadrij auis obtutus icterico commodus. 478
Cicada fœmina muta. 13
Cicadæ marinæ. 393
Cicadarum nomina varia. 309
Ciconia adulteros prosequitur odio. 247
Ciconiæ beneficij accepti memores. 248
Ciconiæ prudẽtia in tutãdis ouis ne fiant sterilia. 22
Ciconiarum cura erga parentes. 84
Cicuta homini lethalis, suibus verò optimus victus. 108
Cinamomum auis. 58. & 481
Cincli pauperes in rusticorum prouerbio dicuntur. 348
Cinclus auis in alieno nido parit. 348
Citharœdus piscis maris rubri. 332
Clysterem ab ibe aue Ægyptij didicerunt. 58
Clitomachi pancratiastis castitas. 166
Coccygis aut cuculi solertia. 88
Columbæ virides in India nascuntur. 446
Columbæ castitas. 73
Columborum in partu fœminæ solicitudo. 49

&

& eorum astus contra accipitres. ibid.
Conchæ maris rubri testæ ferræ similes. 296
Cophiæ serpentis iaculatio. 242
Cornicum fides. 74
Corui oua pilos nigros efficiunt. 28
Corui industria ad sitim leuandam. 66
Coruus Apollini sacer. 28
Coruus senex pullis seipsum in cibum præbet, vbi illos alere non potest. 93
Cor hominis ad papillam sinistram appensum, reliquorum animalium in medio pectore. 106
Coßinitus fluuius bibentes in rabiem inflammat equos. 440
Creta nullum animal veneficum fouet. 131
Crocodili partus, & quot annis viuat. 297
Crocodili ex cadauere nascitur scorpius. 58
Crocodilo trochilus auxilio est. 75
Crocodilorum duo genera in Gange. 365
Crocodilorum mira magnitudo. 473
Crocodilorum malitia & fraus. 144
Crocodilorum abundantia in Aegypto. 299
Crocodilus tactu pennarum Ibis immobilis redditur. 303
Crocodilus à trochilo contra ichneumonis insidias protegitur. 250
Crocodilus oua parit & ex oue fit. 58
Crocodilus natura timidus. 298
Crocutæ calliditas in referenda hominis voce, vt illum

lum interimat. 120
Culicũ multitudo apud Indos Rhiſophagos,& ſcorpionum,& phalangiorum. 489
Cyaneus auis. 129
Cynocephali docilitas. 171
Cynocephali virginibus vim inferunt. 219
Cynocephali in India naſcuntur. 124
Cycni cantus mortis præſagus. 57
Cycnorum ſedes & robur. 481
Cycnus mortem ſuam præuidet,& ſibi næuiam canit. 150
Cynoſpaſtôs herba canis opera extrahitur. 417
Cyrenæus ſuccus torpedine liberat. 151
Cyrus matrem nepharię amauit. 186
DArij induſtria in fuga capienda. 193
Delphini & pueri defunctorũ mumiſma.ib.
Delphini amor,& muſicæ ſtudium. 38
Delphini amor & conſuetudo in puerum Iaſsiũ. 173.174
Delphini amatores muſicæ. 324
Delphini muſicæ ſtudioſi. 368
Delphini defunctos ſui generis ſepeliunt. 345
Delphini amor in procreatos & ſtudiũ.11.&.12.
Delphinorum cum piſcatoribus Euboicis communio prædæ. 40
Delphino infirmo ſimia marina eſt pro medicamine vt leoni terreſtris. 436
Delphinorum amor in ſuum genus. 134

Delphinus omnium velocissimus aquatilium bestiarum. ibid.
Delphinus fœmina mammis uberrimo lacte catulos suos alit. 288
Delphinus catulorum suorum amantissimus est. ib.
Dentices pisces congregaliles. 27
Dicæon auis Indica & eius qualitates. 120
Diomedæa Insula. 1
Discordia & hostilitas quorundam animalium. 100
Dipsadis morsus sitim extremam generat. 195
Dorcadum & cemadum descriptio. 404
Draco sexaginta longus cubitorum ab Alexandro inuentus. 438
Draco marinus. 404
Draco Melitæ Aegyptiæ. 328
Draconis miræ magnitudinis in India & Aethiopia. 468
Dracones beneficij memores. 311. 312
Dracones sensu audiendi acerrimo. 314
Dracones sacri in Epiro. 318
Dracones Phrygiæ longi decem passuum, & eorum astutia in captandis auibus. 52
Draconis diuinatio. 327
Draconis amor in fœminam. 176
Draconis amor in puerum, quem ab sceleratis vindicauit. 203
Draconis in elephantum inimicitia. 178
Draconis apud Chios mira combustio. 469
Draconum industria. 168

Echini marini lapillos tollunt, ne à tempestate pellantur. 227
Echini terrestris & marini vsus in medicamentis. 397
Elephantes aquam claram minimè bibunt, & sine potione octo dies sitim ferunt. 474
Elephantes sceleratos detestantur. 245
Elephantus cornua arietis, & grunnitum porci horrescit. 22
Elephantus mulieris forma capitur. ibid.
Elephãtes decimoquoque anno cornua mutãt. 397
Elephas grunnitum suis reformidat. 229
Elephantus mulieris amore captus. 233
Elephanti vnguentorum & florum odore permulcentur. 234
Elephantorum religio. 234
Elephanti tela à vulneratis extrahunt. 235
Elephantus biennium gerit vterum. 114. aquam nitidam non bibit: somnum erecto corpore capit: flos eius ætatis sexagesimus annus est: viuit ad du centesimum annum vsque. 114
Elephantus minimè ad natandum habilis. 113
Elephas quam semel impleuerit, nunquam amplius attingit. 244
Elephas apertè non coit. 244
Elephantus duplex cor dicitur habere. 399
Elephanti telis sauciati, flore oleæ, vel oleo ipso curantur. 50.& 51

Elephanti Indici musica delectantur. 367
Elephanti quomodo fossas transeunt. 243
Elephanti pastus mensura & potionis & quot annis viuat. 474
Elephanti sues horrent. 466
Elephanti semel tantum in vita coeunt. 244
Elephanti quo pacto mansuefiant. 289
Elephanti solertia in eum qui cibum illi diminuebat furtim. 196
Elephanti adeps contra venena omnium ferarum remedio est. 229
Elephanti arbores euertunt. 163
Elephanti propugnaturi promuscide sese verberant. 165
Elephanti adeps contra venena ferarum remedio est. 22
Elephanti ignem extimescunt. 208
Elephanti descriptio. 113
Elephanti non possunt aut vix solij natalis obliuisci, aut consuetæ terræ. 295
Elephanti quo pacto in naues immittuntur. 295
Elephanti roscida & palustria loca amant, riparii-que sunt. 109
Elephanti nascentes qua sunt magnitudine. 251
Elephanti graues senectute radicem montis Atlantis incolunt. 205
Elephanti quæ pars esui sit apta. 290
Elephanti adeps valet contra venena. ibid.

Elep

Elephanti amor in nutritium. 95
Elephanti parentare defunctis videntur. 159
Elephātorum obedientia & docilitas. 43. 44. 45. 46. & 47
Elephantorum intellectus, & quòd sua pericula cognoscunt. 378
Elephantorum disciplina. 229
Elephantorum amor in nutritios suos. 229. 230
Elephantorum in ætate prouectiores elephantos reuerentia & solicitudo. 201
Elephantorum bellum cū venatoribus Libycis. 198
Elephantorum cornua obstrusa quo pacto reperiātur. 338
Elephantorum amor & riualitas. 285
Elephantorum magnitudo. 376
Elephantorum victus. 375
Elephantorum fides & memoria. 325
Elephantorum odium in adulteros. 326
Elephantorum vulnera quo pacto sanant Indi. 375
Elephantorum fortitudo. 485
Elephantorum in Lunam deuotio. 102
Elephantorum catuli quā mansuefiant. 109
Elephantorum pietas. 257
Elephantorum partus. 251
Elephantorum venatio. 207
Elephantorum amor in pullos suos. 216
Ellops, sacer piscis à poetis dictus. 252
Engraul *pisces & eorum piscatio.* 245

Equa

Equa cũ pullo amoris veneficia parit, & vorat. 80
Equarum miseratio in pullos orbos. 74
Equa vento concipere fertur. 100
Equæ etiam fœtu plenæ se iniri sustinent. 102
Equæ Libycæ tibiæ cantu capiuntur. 367
Equæ amor in suum pullum. 193
Equi Indi vno cornu præditi quo pocula fiunt cõtra venenum. 92
Equi fluuiatiles Nili alumni. 161
Equi Indici domatu difficiles. 376
Equi exultatio ad fræna & arma. 171
Equi non lubenter matres ineunt. 100
Equi Libyci & Medorum. 71.72
Equi docilitas. 459
Equi lycospades. 459
Equisonis mors à pullo equæ stupratæ. 101
Equorum beneuolentia erga nutritios. 191
Equos quomodo Persæ ad bellum audaces efficiãt. 461
Equus lauatione delectatur & vnguentis. 338
Equus si lupi vestigium conculcet, torpore comprehenditur. 21

FElle carent oues in regionibus perfrigidis. 461
Felis mas libidinosissimus, & semen habet calidissimum, & ideo fœminæ horrendum. 128
Fiber interdiu aquas, noctu verò terrã incolit. 184
Fiber suos sibi testiculos elidit, vt sibi caueat à venatoribus. 185

Formicarum œconomia. 54
Formicarum studium & diligentia. 121
Formicarum prudentia. 14
Formicarum domus & œconomia. 189.190
Formicæ sui generis defunctas ex cauernis efferũt ob munditiem. 159
Formicæ albæ in Pheneo Laconico. 100
Formicæ Indicæ aurum custodientes. 72
Formicæ ingenium. 194
Fucus vorax & piger ab apibus necatur. 6
Fusanei pisces marini temporis mutationem cognoscunt. 275
GAlerita grano synapis perditur. 192
Gallinaceus gallus victus non cantat. 112
Gallinacei & gallinæ templorum Iouis & Herculis & eorum auguria. 491
Galli muti in Macedoniæ Niba. 438
Gallorum cantus leones exterret. 160
Gallus quî fiat domesticus, cùm datus, vel emptus fuerit. 56
Gallus & perdix venatores. 104
Gangis fluuij altitudo & latitudo. 365
Geranon regina Pigmæorum. 444
Gladius piscis retia lacerat. 427
Glaucus piscis. 10
Glanis piscis etiam hamum deuorare potest. 350
Glauca citharœda à cane amata. 4
Gobij in mari rubro duorum aut trium cubitorum.

rum. 67
Grus marinæ generatio. 429
Grus vitis lachryma perditur. 192
Gruum prudentia & vigilia. 77
Gruum cerebrum amatorium quippiam habere. 26
Gruum prudentia. 36
Grypes auri custodes & quomodo ab eis aurum surripiatur. 110.111

HAlcionis partus & nidificatio. 261
Herba contra caninos morbos. 156
Hæmorrhous viperarum ex genere est. 433
Herodius ostreorum voracissimus. 151
Herodiorum amor in pullos. 84
Herinacei terreni versutia. 197
Herinacei terreni prudentia in condendis frugibus. 73
Herinacei terreni inuidia. 105
Hirundinis iustitia aduersus filios suos. 83
Hirundinum coitus & visus recuperatio. 37
Hirundo alba in Samo nascitur. 481
Hirundo hominis contubernalis. 29
Hirundinum in blattas cautio. 22
Hippomanes quid sit. 408
Hippocampus piscis. 408
Hircus complexu muliebri gaudet. 219
Homines cynoprosopi qui sint. 300

Hominis visus quantam maris altitudinem penetrare potest. 270
Horion auis Indica. 481
Hydro percussus. 129
Hyæna solo tactu somnum conciliat. 172
Hyæna serpens, nunc mas, nunc fœmina. 16
Hyæna piscis. 393
Hyæna pardalim odit. 178
Hyænæ malitia in vomendo. 220
Hyænæ vmbra canes obmutescere facit. 74
Hygrophœnix piscis maris rubri. 355
Hyosciamon & opon per volucres extrahuntur. 268
Hystrix crines pro armis iaculatur. 29
IBis Lunæ sacra est, & extra Aegyptum nunquam egreditur. ibid.
Ibis ore coit & parit. 302
Ibis clysteris adinuenit modum. 58
Ibis exportata mortem sibi consciscit. 59
Icci palæstritæ & Amoæi citharœdi castitas. 166
Ichneumo vtriusque sexus particeps est, & aspidi & crocodilo hostis. 310
Ignis frustra follibus agitur, vbi adest salamandra. 57
Ignis ex arboribus concussu venti vehementissimi accensus. 469
India nullum suem neque ferum neque cicurem habet

bet. 467
India oliuam, non gignit, neque aliunde importatam fert. 387
Indi reos capitalium rerū crocodilis obijciūt. 365
Indi sues detestantur & ab illorum carne tanquā ab humana abstinent. 467
Indica animalia satyris similia. 458
Indicarum formicarum prudentia & ars in fossis construendis. 452
Indicum mare hydros marinos parit. 448
Indorum regis bellaria. 404
Insecta animalia oleo perfusa moriuntur. 106
Istro conglaciato quo pacto pisces capiantur. 415
Iulides pisces. 64
Iumenta luna decrescente, infirmiora fiunt. 156

Lac suillum vitiligines & lepram generat. 294
Lacertorum dissectio. 53
Lacertus excæcatus quî visum recuperauerit. 157
Lacus feruentis aquæ in Africa vbi pisces degunt. 408
Lari aues, cochleas ad saxa confractas deuorāt. 82
Leo in bene de se meritos non ingratus. 237
Leo carnes cameli comedit. 492
Leo non nascitur in Peloponneso. 87
Leo acceptum iniuriam vlciscitur. 121. *exemplum habes de Iuba Mauro.* *ibid.*
Leo iubatus ignauior & imbecillior. 116

Leo edens leontophonon moritur. 106
Leo gallinaceum odit. 178
Leo pugnaturus cauda se flagellat, ne quid ignauè aggrediatur. 165
Leo Androclem à morte liberauit ob spinam a pede auulsam. 238
Leo apertis oculis nascitur. 152
Leo à somno inuictus. ibid.
Leo teterrimam aspirationem exhalat. 153
Leo esu simiæ ventrem mollitum extenuat. 153
Leo à prima ætate cicuratus mansuetissimus est. 153
Leones conuictores habuit Onomarchus. 154
Leo marinus. 402
Leo qualiter se gerat in senectute. ibid.
Leo à gallo gallinaceo terretur. 89
Leones in India ferocissimi mansuescunt eò vsque vt ad venationem ducantur veluti canes. 484
Leones Maurisias voces intelligunt, domesticique videntur illis. 70.71
Leonis ossa dura, medullis carentia sunt, eius natura & partus, & vires. 115
Leonis gressus varius vt venatorem fallat. 267
Leonis cum delphino affinitas. 436
Leonum magna multitudo Nomades è suis locis pepulit. 489
Lepores vtriusque sexus participes. 379
Lepores cursu & arte à vulpibus capiuntur. 377. 378

378
Lepores apud Bisaltas bina iecinora habere. 146
Leporis astutia in insidiatores. 193
Lepori aures, vt cauda leoni, roboris numina & incitamenta cursus sunt. 381
Leporum montanorum & campestrium velocitas & in cursu differentia. 380
Lepus magni maris. 456
Lepus tempora & ventos cognoscit. 380
Lepus marinus quæ damna adferat. 64
Lepus patentibus oculis somnũ capit. 47. & 380
Libanotis herba serpentibus formidabilis. 266
Libido scari, & quî capiatur. 1
Libycorũ modus in probandis legitimis liberis. 32
Limaces non serpunt vbi perdices & herodij versantur. 287
Locustæ piscis polypum extimescit. 307
Locustæ cum murena & polypo inimicitia. 19
Locustæ & polypi inimicitia. 265
Loligines, hirundines & accipitres pisces volant. 277
Lupæ difficilis partus. 99
Lupi fluuios transant, caudas mordicus inuicem tenentes. ibid.
Lupo saturato lingua tumescit. 104
Lupus cur immanis naturæ dicatur. 219
Lupus piscis binos anno partus edit. 286
Lupus marinus. 18

Lupus acerrimis oculis præditus. 300
Lupi Meotides. 203
Luscinia musicæ studiosa & gloriæ cupida. 152
Luscinia si confirmata ætate capiatur silentio venatorem vlciscitur. 92
Lusciniæ carnes comestæ somnum fugant. 26
Lutea nidum ex herba symphito construit. 123
Lycoctonos herba à lupo pressa. 262
Lynx vrinam suam hominem vtilem occultat. 105
M*Anticoræ animalis Indi qualitates.* 106. 107
Margarita Indica. 428
Margaritæ quo pacto piscentur. 291
Melanurus piscis timidissimus. 24
Mel in Cappadocia absque fauis fit. 155
Mel in Trapezunte Pontica ex buxo nasci. 155
Melle liquido pluit in India. 428
Menstruata mulier oleribus perniciem affert. 185
Meropis pietas in parentes. 334
Meropis auis volandi modus. 28
Merula marina. 9. & 10.
Merulas Cyllenæ omnes albas esse ait Sostratus. 146
Mithridates taurum, equum & ceruum pro custodia habebat. 235
Molossus canis. 72
Monedularum commoditas in locustas. 76
Monedulas capiendi modus. 113
Monopis stercus venatores occidit. 206

Mors

Morsus hominis ieiuni pernitiosus. 261
Muli malitia à Thale Milesio castigata. 222
Muli ruffi in India feri quo pacto capiantur. 449
Mulo immunitas vecturarum data. 193
Mulus piscis edacissimus. 61
Mulus piscis beta olere delectatur. 365
Mulus piscis ter singulis annis parit. 286
Mulus piscis ter in anno parit, & leporem homini mortiferum conficit. 277
Murenæ & polypi capitale odium. 19
Musca quî reuiuiscat. 56
Mustella maximis animalibus vel præteriens metum iniicit. 160
Mustella cum serpente pugnatura rutam edit. 104
Mustella omni iumento odio est. 179
Mustela terrestris & marina. 432
Mustellus piscis ore parit. 283
Mustellus piscis suos fœtus, cum illis timet, ore recipit, & rursus reddit. 68
Murena piscis è mari exit concumbendi cum vipera gratia. 29
Murena cum vipera coit extra mare. 284
Mures marini. 273
Mures ruituram domum prænoscunt. 329
Mures ex pluuia in Aegypto nasci. 188
Mures eos qui suis sedibus moriuntur oderunt. 159
Murium astutia. 144
Murium iecur. 69

Murium agrestium incursione quidam Italiæ populi in fugam pulsi. 489
Mus araneus, & remedium in illius morsum. 59
Myrops piscis. 405
Nautilus piscis è genere polyporum, & mira eius natura. 268
Neadum vi maius, prouerbium vnde sumptũ. 484
Nerites coclea marina. 418
Nilus fœcundissimam aquam præbet. 50
Nomæa felix à leonibus deleta fuit. 4*4
Noctua, captiosum animal. 17
Noctua mali olim auspicij. 307
Noctuarum cum cornicibus discordia. 74
Noctuæ in Cretam importatæ moriuntur. 131
Oestrus, & Myops, boui infestissimi. 185
Olori cicuta pernities est. 74
Onocentauri descriptio. 475
Origanum ciconijs, perdicibus, palumbisque vulneratis medetur. 79
Orphus piscis. 142
Orcynus piscis cetaceus. 24
Ostreæ rubri maris. 291
Otis auis canes perhorrescit. 145
Otis siue tarda equorum amantissima. 56
Oues in ponto carere felle dicuntur, in Naxo verò duplici felle præditas esse. 334
Oues Arabiĩ plus musica quã cibo pinguescũt. 224
Ouis & [illegible]patus piscis. 271

Ouium Arabicarum caudæ. 287
Ouium Indarũ cauda cubitali est latitudine. 224
Ouium Indicarum magnitudo, & caudæ. 114
Oxyrynchi pisces. 486
Oxyrynchus Nili piscis. 310
Pæoniæ mulieres laborum patientißimæ. 213
Paguri musicæ amatores. 184
Pagurus crusta rumpitur, & senectutem exuunt veluti serpentes. 273
Palumbium castitas & turturum. 49
Pardales quo pacto simias decipiant & deuorent. 162
Pardales quo pacto à Mauris capiantur. 377
Pardalis suaueolentia & prædandi modus. 154
Pardali humanum stercus remedio est contra venenum. 125
Pardalis Lyciæ nec animosa est, nec saltu valet, neque ferro facile cedit. 489
Pardalis clementia in contubernalem hœdum. 167
Passerem occidit semen allij. 192
Pastinaca aculeo mortem infert. 67
Pastinaca musica mulcetur & capitur. 479
Pastinacæ marinæ aculeus ab omni medicina inuictus est. 31
Pastinacæ aculeus periculosißimus. 58
Pastinacæ natura, aculeus, & venenum. 251
Patellæ vix è saxis abscinduntur. 197
Pauo hominis amantißimus. 5

Pauonis partus. 148
Pauonis formositas & superbia. 143
Pelamidum piscatio. 430
Pelecanes, aut plateæ, siue plataleæ. 82
Pelicanorum amor in fœtus suos. 84
Perdices mares quî egregiè ad pugnam prouocentur. 97
Perdices quo pacto suos fœtus tueantur. 78
Perdices mares salaces. 73.& 79
Perdices allia comedunt, ne mensis sint idonei. 103
Perdicum mirabilis conceptus ex vento. 478
Perdicũ partus & pullorum ab ouis exclusio. 102
Perseus piscis maris rubri. 87
Phalangiorum morsus terribilis. 476
Phalangius citò perimit. 90
Pharus insula & eius serpentes. 264
Phattage Indica speciem crocodili gerit. 448
Phisa piscis Ægyptius. 350
Physalus piscis maris rubri. 80
Piccus martius nidum obstructum quadam herba aperit. 27
Pimæorum pugna cum gruibus. 444
Pinna belua marina. 87
Piratæ à suibus submersi. 246.& 247
Piscandi artes variæ. 366
Pisces summa hyeme quo pacto se tepefaciãt. 279
Pisces ad pariendum in flumina vicina enatãt. 281
Pisces venenati. 67
Pisc

Pisces omnes non sunt muti. 290
Pisces aqua dulci in mari aluntur. 283
Piscis dictus luna. 425
Piscium & aliorum animalium diuisio. 338
Piscium coitus quo tempore fiat. 286
Piscium coitus. 101
Piscium acrimonia in audiendo. 256
Plutonis hiatus. 453
Phœnicum auium arithmetica. 199
Poephagus animal duplo quàm equus maior. 450
Polypi & osmyli pisces in siccum æstiuo tempore egrediuntur. 274
Polypi libido. 128
Polypi & murenæ inimicitiæ. 19
Polypi magnitudo, & quid damni Puteolis attulerit. 373
Polypi & locustæ inimicitia. 266
Polypi edacitas. 17
Polypi morsus acerbus. 155
Polypos ruta reddit immobiles. 22
Polypus in terram progreditur. 22
Polypus colorem mutat secundum loci in quo est qualitatem. 112
Polypus aquilum in mare detraxit. 213
Polypus & pagurus pisciculorum pernicies. 101. & 102
Pompyli piscis natura. 49
Pompylus piscis. 439

Porphyri serpentis Indici natura. 116
Porphyrionis auis pulchritudo & eius riualitas. 93
Porphyrionis amor cum gallo. 146
Psittacum Indi non edunt & quare. 387
Psylli morsum serpentum non timent. 32
Psylli Africæ homines venenatas bestias minime timent, & quo pacto examinent filios an legitimi sint. 462
Psylli auxilio sunt iis, qui à serpentibus sunt icti. 462
Purpura quo pacto ad tingendas lanas sit occidenda. 445
Purpura lingua capitur à piscatore. 227
Pyrigonos ex igni generari & ali, extráque ignem mori. 37
Rana piscatrix qua industria pisces captet. 265
Rana marina. 372
Ranæ mutæ in Macedonia: itē sues & cicadæ. 90
Ranæ interdiu coire horrent. 260
Remora piscis vnde nomen sortiatur. 21
Remoræ piscis natura. 50
Rhinocerotis natura & astutia in elephantum, & bellum. 490
Rubetarum pernitiosus aspectus & aspicientibus infestißimus. 477
Rubetas ranas duo iecinora habent, vnum pernitiosum alterum salutiferum. 478

Rumi

Ruminantia animalia tres habere ventres. 155
Rutæ odor serpentibus infestus. 104
SAlamandra ignem aggreditur vt hostem ac expugnat. 57
Salicis semen homini gignendi facultatem adimit. 108
Sargorum pisciū amor insanus in capras. 14. & 15
Scarabeus caret fœmina, & quo pacto procreet fœtum. 293
Scarabeus vnguento occiditur. 192
Scari quomodo suos gregales captos liberant. 3
Scari libido. 1
Scarus piscis ruminat. 68
Scolopendra marina hominis saliua disrumpitur. 108
Scolopendra maximum cetum marinum. 391
Scolopendra solo tactu velut vrtica pruritum generat. 227
Scolopendras saliua hominis occidit. 224
Scombrorum piscium piscatio. 395
Scombrus iecore laborantibus prodest. 396
Scorpij viuipari, vel caloris (vt aiunt) æstu non ex coitu procreantur. 178
Scorpiones alati, & duplici aculeo armati in Aegypto. 469
Scorpiorum Aethiopicorum natura. 242
Scorpiorum astus mirabilis in Libycos dormientes. 179

Scorpiorum copia in Media. 441
Sepedonis serpẽtis astus, pernities, & venenũ. 436
Sepiæ morsus venenatus. 155
Sepiæ atramentum. 20
Sepiæ duobus promuscidibus preditæ. 154
Serpens prester dictus venenosissimus. 472
Serpens hebetudinem oculorũ quo pacto sanet. 261
Serpens Aleuam pastorem Thessalũ amauit. 240
Serpens dictus Parias. 240
Serpens cor in gutture, fel ad intestina, testiculos ad caudam, venenum verò in dentibus habet. 148
Serpens seps dictus. 469
Serpens arundinis tactu torpescit. 22
Serpentes bicipites in Argade flumine. 469
Serpentes fumo cornu ceruini arcentur. 42
Serpentes à cancris interficiuntur. 467
Serpentes alas habentes in India cernuntur. 470
Serpentes in mari rubro Alexander vidit quadraginta cubitorum longitudine. 471
Serpentes appellatæ hidræ, in Corcyra. 242
Serpentes ex medulla spinæ hominis mortui generari. 29
Serpentes omnes ibidum pennas metuunt. 23
Serpentes odore alarum vulturum incensarum è latibulis euocantur. 26
Serpentium Aethiopiæ magnitudo mira. 51
Silurus piscis quomodo capiatur. 413
Simia ma is rubri. 356

Simia leoni ægrotanti pro medicamento est. 436
Simia, dicta oribate, & eius periculosissimus morsus. 128
Simia ad omnia imitanda habilis. 145
Simiarum copia Alexandrum in India magnis copijs septum perterruit. 483
Simiæ in sexum muliebrem furentes sunt. 435
Simiæ quo astu capiantur. 483
Simiæ in puerulum horrendum facinus. 220
Smilus arbor serpentes necat. 266
Spini auis prouidentia. 129
Spinus auis. 305
Spongia partus maris animans est. 243
Sphyrænæ piscis astus. 20
Squillarum tria genera. 18
Stellæ marinæ. 264
Stellionis tunicula contra morbos comitiales valet. 80
Struthio lapides pedibus in persequentes hostes iaculatur. 118
Struthio magna nō potest volare, at cursu alarum subsidio valet. 55
Struthiones aues quo pacto capiantur. 399
Sues quadricornes in Aethiopia. 476
Sues altoris vocem intelligunt, & mirum super hoc exemplum. 146
Sues Aethiopiæ habent cornua. 146
Sus nec agrestis nec domesticus in India nasci-

tur. 72
Syroperdrix lapides exest. 448
TAprobanæ insulæ palmeta, & elephanti & monstrosæ bestiæ. 455
Tarandus, animal Scythicum, tergus impenetrabile habet. 49
Tauri Aethiopici spiculis, neque telis penetrari possunt, & eorum vires. 491
Taurus victus exercet se, & à venere abstinet, vt fortior reddatur. 166
Testacea, luna decrescente ex inanitate & exilitate corporis laborant. 256
Testudines Gangis fluuij non minori magnitudine quàm dolium capax 20. amphorarum 365
Testudines in Troglodityde quales nascãtur. 472
Testudines quæ in Gange fluuio nascuntur. 365
Testudines ab aquilis ad saxa alliduntur. 218
Testudinis Indicæ magnitudo. 412
Testudinis terrestris mira libido. 437
Testudinis remedium vbi serpentem comederit. 73
Testudinis marinæ mirum. 112
Testudini in viperam origanum est remedium. 171
Testudinem magni maris testæ ad quindecim cubitorum magnitudinem procedunt. 454
Testudo rutæ esu armatur in serpentes. 172
Thaletis prudentia in castigando mulo. 272

Thelyphonus herba scorpium necat. 266
Thrissæ quomodo piscantur. 184
Thunni temporum mutationem sentiunt & solstitia noscunt. 273
Thynnorum piscatio. 426
Torpedinis nomen unde ductum. 260
Torpedo piscis & eius effectus. 21
Torpedo scorpio admota eum comprimit. 178
Tritones an sint verè. 389
Trochilus auis crocodilum tuetur. 250
Trocta piscis. 4
Trochilus crocodilo est adiumento contra hirundines. 75
Turbines regem constituunt. 226
Turturis castitas. 305
Turturum aucupium. 23
VAcca cur Veneri apud Aegyptios consecrata sit. 301
Vaccæ Susorum. 204
Vermis Indi amnis natura mira, & magnitudo. 132. *quì capiatur, & vis olei quod ex eo Indi extrahunt.* *ibid.*
Vespαrum regnum. 141
Vesparum aculeatarum malitia. 141
Vespæ gignuntur ex cadauere equi. 17
Vipera venenum deponit antequam cum murena coeat, & à coitu illud recolligit. 284
Vipera sibilo murenā piscem è mari vocat coitus

causa. 29
Viperarum partus. 435
Viperæ quæ in Troglodityde nascuntur decem & septem cubitorum magnitudine. 472
Viperæ coitus. 16
Viperis sputum humanum perniciosum. 54
Vireonis auis qualitas. 123
Vitis dicta pardalis. 307
Vituli marini vbi pariunt. 258
Vituli marini exeunt de mari, & dormiunt extra mare. 276
Vitulus marinus coagulum suum, ne hominibus sit vsui, deuorat. 80.81
Vpupæ nidificatio & industria ad reserandum foramen nidi occlusi. 86
Vrsa hyberno tempore parit. 168
Vrsa à leonibus dilacerata ob leunculos cæsos. 82
Vrsa fœtus suos lambendo format. 51
Vrsæ sagacitas in paruis tutandis. 170
Vrsi abstinentia & industria. 168
Vrsi prostratos homines non lædunt. 159
Vrso pro medicamento sunt formicæ deuoratæ. 168
Vulpanser cur ita dictus. 148
Vulpes marina, callidissima. 259
Vulpes in os herinacei meit. 203
Vulpis fraus in herinaceos, & pisces, & aues, & quî glaciem probet an firma sit. 180

Vulpis

Vulpis in vespas astutia. 118
Vultures omnes fœminini sexus. 65
Vultures vento concipiunt. ibid.
Vulturi vnguentum pernicies. 106
Vulturibus suauitas odorem exitio est. 74
Xiphia piscis Danubij. 411

FINIS.